BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE V. E. II ROMA
RB
1257

AE

Durling 4663

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE V. E. II ROMA
RB
1257

MEDICINALIA CONSILIA

AD VARIA MORBORVM GENERA

BENEDICTI VICTORII FAVENTINI

MEDICI EXCELLENTISSIMI


IN ACADEMIA BONONIENSI

MEDICINAE THEORICAM

PROFITENTIS

Nunc primum in lucem edita.

Cum Priuilegio Summi Pontificis & Illuſtriſſimi
Senatus Veneti per decennium.



Venetiis, in officina Eraſmiana, apud Vincentium
Valgriſium. M D L I.

RB 1257

VINCENTIVS VALGRISIVS PETRO ANDREAE MATHAEOLO SENENSI MEDICO.

S. P. D.

REcogitanti mihi Petre doctiſſime quàm ingenti beneficio me aſtrinxeris, idque non quod ego aliquid tale promeruerim, ſed ex innata benignitate, ac probitate tua feceris, dum multam operam & laborem, quem in Dioſcoridis Commentarios impendis, mihi ipſi largiris neque hoc contentus editionem aliam polliceris, & eam quidem latinam, quam impræſenti cum maxima omnium expectatione paras, adiectis herbarum, & animalium immaginibus, adeo ut nihil amplius in eo auctore grauiſſimo deſiderari poſſit ab aliquo, duo præcipue occurrũt quæ dubium me, & ancipitem reddant, quorum alterum eſt quod uideam nullo modo fieri poſſe, ut pro tantis in me collatis beneficiis parem tibi gratiam queam reddere, alterum uero quod ſummopere uerear, ne ingratus ab omnibus, niſi aliquod ſignum meæ erga te beneuolentiæ, & grati animi oſtendam, diiudicer. His ego difficultatibus diu multumque ueluti fluctibus agitatus, decreui tandem beneuolum, & gratum erga te animum meum aliquo pacto oſtendere, non quo tibi ſatisfacere ullo modo poſſe exiſtimem, ſed quia ſatius eſſe duxi aliquid experiri, unde affectio qua te proſequor eluceſceret, quàm nihil agendo ingratitudinis nota inuri. Cum igitur medicinalia Conſilia eruditiſſimi, & nunquam ſatis laudati uiri Benedicti Victorii Fauentini ſuperioribus diebus imprimenda curarem operepretium me facturum duxi ſi ea ipſa tibi nuncuparem, ac publice ſub tuo nomine ederem,

& hac ueluti ſtatua tibi erecta, meam qua te proſequor affectionem palàm declarare. Hoc ego iudicaui tibi quoque fore gratisſimum cum abſtruſa quadam, & recondita medicinæ ſcientia referta ſint, & a qua prodierunt officina dignisſima. Erunt illa quoque pignus quoddam amoris in te mei perpetuum, ac ueluti arrabo omnium quæ tibi debeo. Hylari fronte igitur, & quo animo ea tibi nuncupo eodem ut ipſe accipias rogo & obſecro. Vale vir Doctisſime, & me ama, a quo amaris plurimum, ex ædibus noſtris. XV. Cal. Iul. M. D. L I.

MOtu proprio &c. Cum ſicut dilectus filius Vincentius Vaugris bibliopola nobis nuper exponi fecit ad communem omnium tan latine quàm uulgaris Italicæ linguæ ſtudioſorum utilitatem ſua propria impenſa Commentaria in omnes Diui Pauli Epiſtolas atq; eas quæ Canonice uocantur per uenerabilem fratrem noſtrum Ambroſium Catharinum Politum Epiſcopum minoricñ. nunc primum in lucem edita & nobis dedicata. Item Medicinalia Conſilia ad uaria morborum genera dilecti Filii Benedicti Victorii Fauentini Medici Excellentisſimi in Accademia Bononienſi Medicinæ Theoricam profitentis etiam nunc primum in lucem edita. Itẽ Ethica Ariſtotelis per dilectum filium Felicem Senenſem in linguam etruſcam & maternã uera & declarata, ac concepta dilecti filii Hieronymi Garimberti, & alia complurium auctorum per eum collecta quibus quis uti posſit ad ſcribendum familiariter in lingua materna, nec non antiquitates Vrbis Romæ a dilecto filio Lucio Mauro Fortunato breuiter deſcriptas cum deſcriptione ſtatuarũ quæ Romæ ſunt tam publicarum quàm priuatarum per dilectum filium Vlixem Aldromandum facta. Item philoſophiam naturalem, deniq; philoſophiam moralem utraſq; in partes quinq; diuiſas & inſuper inſtrumentum philoſophie, ac theorica planetarum omnia per dilectum filium Alexãdrum Piccolhomineum etruſco ſermone cõſcripta ac etiã labores Alphõſi Toſcani ſuper tribus auctoribus linguæ etruſchæ Dantis Petrarcæ & Boccacii, & alia quæ in eo libro continentur. Item ſtudium boni principis eodem auctore. Necnon formularium terminorum emendatum cũ additionibus compluribus dilecti filii Ioãnis Antonii Bozolini Iuriſconſulti hactenus non impreſſa, imprimi face-

re intendat dubiteque ne huiuſmodi opera poſtmodum ab aliis abſque eius licentia imprimantur, quod in maximum ſuum præiudicium tenderet. Nos propterea eius indemnitati conſulere uolentes. Motu ſimili & ex certa ſcientia eidem Vincentio ne ſupradicta opera per ipſum imprimenda per decem annos, poſt dictorum operum impreſſionem a quocunque ſine ipſius licentia imprimi, aut uendi ſeu uenalia teneri posſint concedimus, & indulgemus inhibentes omnibus, & ſingulis tan in Italia etiam in Fulginateñ. & Rauenateñ. ciuitatibuſque extra exiſtentibus bibliopolis, & librorum impreſſoribus ſub excommunicationis latæ ſententiæ. In terris uero S. R. E. mediate uel immediate ſubiectis, ſub ducentorum ducatorum auri pro una fiſco cameræ Apoſtolicæ & pro alia mediẽtatibus eidem Vincentio eo ipſo applicandis pænis & inſuper amiſſionis librorum quoties contrauentum fuerit ipſo facto, & abſque alia declaratione incurrendis ne intra decennium ab impresſione dictorum operum reſpectiue computandum dicta opera ſine eiuſdem Vincentii expreſſa licentia imprimere, uendere, ſeu uenalia habere, aut proponere quomodolibet audeant mandantes uniuerſis uenerabilibus fratribus minoris Archiepiſcopis, epiſcopis eorumque Vicariis in ſpiritualibus generalibus, & in ſtatu E. S. R. E. etiam legatis, & uice legatis ſedis Apoſtolicæ, ac ipſius ſtatus gubernatoribus ut quotiens pro ipſius Vincentii parte fuerint requiſiti, uel eorum aliquis fuerit requiſitus eidem Vincentio efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes præmiſſa ad omnem ipſius requiſitionem contra inobedientes, & rebelles per cenſuras Ecclesiaſticas etiam ſæpius aggrauandi aliaque iuris remedia autoritate Apoſtolica exequantur. Inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachii ſecularis, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, priuilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis quibuſcunque

& præſertim dictis Fulginateñ. & Raccabateñ. Ciuitatibus ſuper libertatibus & exemptionibus mercatorum quorumlibet, tempore nundinarum eorūdem ciuitati ac alias quomodolibet editis, conceſsis, confirmatis, & innouatis etiam iteratis uicibus Quibus omnibus illorum ueriores tenores pro ſufficienter expreſsis habentes hac uice duntaxat ſpecialiter & expreſſe pari motu derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque, & inſuper quia difficile admodum eſſet præſentem motum proprium ad quælibet loca deferri illumque publicare uolumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus ipſius tranſumptis, uel exemplis plenam eandem prorſus fidem ubiq; tam in iudicio quā extra haberi quæ præſenti originali haberetur, & quod præſenti motus proprii abſque eo quod publicetur, aut in eo data apponatur ſola ſignatura ſufficiat & ubique fidē faciat in iudicio & extra, regula contraria non obſtāte.

1551. Adi 23. di April nel Senato.

CHe per auttorita di queſto Conſeglio ſia conceſſo a' Vicenzo Valgriſio libraro alla inſegna di Eraſmo, che niuno altro che lui ſenza ſua permisſione poſſa ſtampar, ne ſtampate altroue uender in queſta città, ne in alcun'altra città, ouer luoco del Dominio noſtro per anni x. li Commentarii del Reuerendo Domino Ambroſio Catharino Veſcouo di minori ſopra le Epiſtole di S. Paulo. Et li Conſegli in Medicina di Meſſer Benedetto Vittorio Faentino ſotto pena á quelli, che contrafaranno di pagar ducati duſento per ogni uolta, iquali ſiano diuiſi per terzo, cio è un terzo al Magiſtrato, che farà la eſſecutione, un terzo all'Arſenal noſtro, & un terzo alle pouere Monache conuertite. Eſſendo obligato il predetto Vicẽzo di oſſeruar le leze noſtre in materia di ſtãpe.

Bernardus Sandeli
Ducalis Not. &c.

INDEX MORBORVM QVI IN uniuerſo opere continentur.

Ad A

ARticulares dolores. car. xviij
Apoplexiam. car. xviii
Aſthma. clxx. cxcvi. cciij

C

Cerebri affectiones. car. i. xviii. xxvii
Capitis dolorem. car. lviii. lxi
Catarrhum. car. cix. cxxx. cxxxvii. cxlviii cxcvi
Coli dolorem. car. ccxi
Crurum dolorem. car. ccxxiii
Cruris ſiniſtri tumorẽ ac dolorẽ. car. ccxxvi
Conceptus abolitionẽ. car. ccxxxv
Coxendicum dolorem. car. cclxxvii

E

Epilepſiam. car. xvii. lxiiii
Epatis intemperiem calidam. car. ccxxi

F

Febrem hecticam. car. cclxxxiiii

G

Gallicum morbum. car. cccxii

H

Hydropem. car. ccxvii
Hæmorrhoides. car. cclviii. cclxxv
Hecticam febrem. car. cclxxxiiii

I

Impetiginem. car. cccv

M
Melancholiam. car. clxiii. clxviii
Menſtruorum ſuppreſsionē. car. ccxxxv. ccxxxix
Maraſmum. car. cccxvii
N
Naſi fœtorem. car. cccxxvii
O
Oculorum morbos. car. xxvii
Ophthalmiam. car. li
Oris fœtorem. car. cccxxvii
P
Paralyſim. car. xviii
Podagram. car. cix
Phthiſim. car. ccix
Polypum. car. cccxxiiii
Q R
Regium morbum. car. ccxviii. ccxxi
Renum calculum. car. cclxxv
S
Scotomiam. car. lxxiiii
Stuporem. car. xcv
Stomachi affectionem, & dolorem. car. ccxi
Sanguinis profluuium ex ſede. car. cclxx
Strumas. car. ccc
T V
Vertiginem. car. XVIII. LXXIIII. LXXXIII
Ventriculi debilitatem. car. CCXIIII
Vteri præfocationem. car. CCIII
Vteri uarias affectiones. car. CCXXXII
Vrinæ ſuppreſsionē & ardorem. car. CCXLIIII. CCLII
Vlcera quædam. car. CCLXXXIIII

FINIS.

BENEDICTI VICTORII FAVENTINI IN CONSILIA MEDICINALIA.

PREFATIO.

NEQVEO huius meæ Conſiliorum lucubrationis quoddam ſubſtituere ſubiectum, ne peripateticæ Doctrinæ occurſare uidear. Sane` conſultum habetur ex Analyticis poſterioribus unius ſcientiæ unum fore ſubiectum, cuius, & principia, atque paſſiones erunt. Ob quam rem, cum meorum Conſiliorum cumulus ſcientiæ unitatem minime` ſibi uendicare poſſit, non dicet quiſpiam eius unum fore ſubiectum, nec principia, minuſue de eis paſſiones. Ob hoc igitur Conſilia hæc noſtra unum quoddam accumulatione aſſeremus eorum, quæ ſpecie differentium diuerſas hominum naturas explicant, & uarias eorum affectiones, atque loca. Propterea cum affectorum corporum uictus rationes uniuerſim fere` eædem habeantur. Auctore Galeno in libro, de facultatibus alimentorum, & in libro, de cibis boni, & mali ſucci, & in particularibus oblæſis corporibus diſcrimen ſuſcipiant: non ueniam ego accuſandus, ſi in moderatione rationis uictus ægrotantium in generali hiſce in Conſiliis noſtris fere` eiſdem utar uerbis, dum tamen generalia ad propria ducendo, unicuique ægrotanti pro morbi debito in uictus ratione, quod ſuum eſt, adducantur. Neque quempiam mihi obiicere uelim, idem in ſcientia repetere ſuperuacaneum fore. Quoniam non ſumus in unitate ſcientiæ laborantes circa idem genus ſubiectum, ſed in cumulo operamur conſiliorum hinc, & inde ad diuerſas æui partes tranſmiſſo-

rum,

rum, ut uaria in multis morborum genera profligare ualeamus, quæ in iiſdem natura, cauſis, atque ſymptomatibus plerumque eadem ſunt. Quo fit ut ea, quæ ad uictus rationem attinent, & quæ uim morbum profligandi habent, ferè in unum coeant, & à nobis penè ſub eodem ſermone proferantur. Sanè & minus accuſandus ero, cum omnia hæc ab eodem ſcaturiant fonte.

BENEDICTI VICTORII FAVENTINI

PRO ILLVSTRISS. AC REVERENDISS, DOMINO

BERNARDO CLESIO

S. R, E, CARDINALI AMPLISSIMO

Et Tridentinornm Epiſcopo ac principi opt. Ad uarias corporis D.S, Illuſtriss. *affectiones*,

Cerebri præſertim, et earum quæ ex affecto cerebro contingunt,

Conſilium I.

QVVM apud nos, Reuerendiſsime, ac Illuſtriſsime Domine ſermo habitus ſit de ſanitatis Dominationis ueſtræ tutela, atque morborum curatione, deq; abolēdis ſymptomatum timoribus, in quę facile D. V. Reuerendiſsima irruere poſſet: Non ab re eo in ſermone duximus quattuor ſpeculanda capita: quibus Reuerendiſsima, ac Illuſtriſsima Dominatio ueſtra eam, quam ante habuit ualetudinē, noſtris ſalutaribus præſidiis adipiſci ualeat.

Caput Primum. Reuerendiſſimi patientis naturalem temperaturam totius atque mēbrorum eius, exponit.

PROFECTO uir Illuſtriſsime, ac Reuerendiſsime naturalem temperaturam totius corporis, ac membrorum Dominationis ueſtræ, in primis dignoſcere cogemur, quoniam cum Medici ratione certa operātis ſcopus ſit humani corporis, & eius partium naturam ſeruare, & quæ in ipſum præter naturam irruunt pro

ſligare, Et medicus id aſſequi non poſsit, niſi hominis naturam cognouerit: expedit medicum priuſquam morbum pellat, ſeruandam naturam dignoſcere. Hunc quippe doctrinæ modum didicimus ex Galeno libro VIII. methodi curatiuæ cap, IX Et primo De Dyſpnœa ad principium,& primo artis curatiuæ, ad Glauconem cap. primo. Et à Principe quarta primi, cap,primo. Et ſi naturalis temperaturæ indicia dignoſcere ſanè haud facile ſit,ut ſecundo de Temperamẽtis,cap.VI.nos edocuit Galenus,& nono Methodi,cap.XV. expedit tamen ea perquirere,eſto etiã,quòd è profundiſsimis tenebris eruenda eſſent, Nempè ea naturalis temperiei neglecta notione,non poterit Medicus idonea medicamenta ægrotanti aſſociare, ob incognitam diſtantiæ proportionem intemperiei præter naturam, à naturali tẽperamẽto totius corporis,atque membrorũ eius, qualẽ eſſe debere auſpicamur,medicamẽti ægrotanti cõtribuendi, ad medicamentum ſui generis tẽperatum,ut edocuit nos Galenus primo de Dyſpnœa.ad principium.& tertio artis medicinalis.Et Princeps quarta primi cap.primo. Porrò ut ſenſus noſtri,& ratio dictant,ueluti etiam edocti fuimus uerborum ſerie doctiſsimi, ac fideliſsimi Dominationis ueſtræ medici Hieronymi Drogi Parmenſis,qui nõ modo docte,uerum & exquiſitè eius temperaturarum notas,tum ex Galeno,tum ex rationali indagatione adeo percurrit, ut indubiè illam ei fidem donare cogamur, qualẽ ſi eam nobis Hippocrates contuliſſet:Reperimus Dominationis ueſtræ reuerendiſsimæ naturalem tẽperaturam calidam,humidamq́. Quo fit,ut ſi dominantium natura humorũ indicia percurramus, ueluti Galenus ſecundo artis medicinalis, & quarto aphoriſmorum commento ſecundo.Et Paulus Aegineta primo artis medẽdi libro,cap.LXI. & Princeps ſecunda primi:& Raſis ſecundo ad Almanſorem,& Auerrois quarto colliget,Dominium ſanguinis natura uigentis temperaturæ Dominationis ueſtræ reuerendiſſimæ

diſsimæ aſſociabimus. Cum illa amplitudinem carnis non aufugiat. Quippe colore rubro afficitur,& pilorum nigredine molliũ tactu,& uiuido colore,& idonea ſtatura,atque calido tactu. Hæc inquã indicia uigentis ſanguinis adſunt, præſertim cũ D. V. Reuerendiſsimæ indicia hæc ſequantur quæ mox a nobis dicētur: uidelicet quoniã ipſa comis eſt, delectabilis, aſpectu placabilis, facie hilaris, amans, concupiſcens, uenereus, ſæpe ſudans,& ſatis ridēs. Hæc quippe iudicium medici firmant, comprobantq́ ſanguinis dominium in totius corporis tēperatura. Quippe ſi Galeni uerbum ſecundo artis medicinalis comprobamus, ubi ait. Totius corporis temperaturam maxime cordis,& iecoris tēperaturam in utriſque coeuntem comitari. At in Reuerendiſsima D. V. cōpertum eſt cor calidum, humidumq́, atque iecur, dubio procul & totius corporis temperaturam, calidã, humidamq́ aſſeremus. Vbi uerò cordis calidi,& humidi indicia percurremus, recluſis (ut ita dicata) oculis dominatiõis ueſtræ cor calidũ humidumq́ reperiemus. Hirſuta quippe eſt. D. V. minus quidē his qui calidi,& ſicci ſunt cordis: ad actiones uerò nihil minus prompta, nõ tamē ferus, & immitis eſt animus dominatiõis ueſtræ Reuerēdiſsimæ, ſed ad irã procliuis tantummodo. Conſimile inquam iudicium temperamēti iecoris ducemus, ſi iecoris calidi, humidiq́ indicia permeabimus. Plurimi itaque ſanguinis eſt D. ueſtra reuerendiſſima hiſpida quidem tenens hypochondria: & uenas amplas, habitũq́ calidiorē, atq́ humidiorē. Quòd ſi Galenũ ſecundo artis medicinalis inſpiciamus,& Paulũ artis medendi libro. I. cap. LXII. quo quippe modo certiores nos reddidit D. V. Reuerendiſsima & uerborũ ornatus excellētia doctiſsimi medici, inueniemus aperta indicia caliditatis, humiditatisq́ unà coeuntium in ueſtræ D. reuerendiſsimæ cerebro. Nempe arbitror inſigni quidem exceſſu eas qualitates, non quippe ad extremum uergentes à propria cerebri temperatura condeſcendere.

quippe cum amplioris humiditatis,quam caliditatis indicia D. V. cerebrum nobis oſtendat, facile diiudicauimus maiorem ei humiditatem caliditate ineſſe. Nempe color bonus adeſt, & quæ circa oculos ſunt, calidiora eſſe, & oculorum uenas magnas nemo ambigere debet. quippe & excrementorum abundantia,atque plenitudo,& grauitas capitis à calefacientibus, & humectantibus, & ab auſtro aduerſa ualetudo, cum & graui ſomno D. V. tentetur. Hæc quippe cerebri calidi, humidiq; indicia eſſe, quiſque opinari habet, Porrò quæ de uentriculo calido non planè improportionate humido,indicia à Galeno ſecundo artis medicinalis,& à Paulo primo artis medēdi libr.cap.LXIIII. recordata ſunt: dubio procul dominationis ueſtræ uentriculo alligari, nullus porrò dubitabit,cum exactius coquēdi, quam appetendi functionem abſoluat,tametſi dura, & coctu difficiliora modeſte ingerat. Quippe D. V. cum pluribus delectatur cibis, potibusq;, neque quicquam gelidis, ſi moderatus eorum fuerit uſus læditur. ſanè huius exemplum trahimus, eam gelidiſsimis uti uinis, atque in aqua gelidis effectis.

Cæterũ ſi teſtium naturam D. V. reuerendiſsimæ coniectari uelimus,iudicio recto dicemus humidum in his calori agglutinari, cum ſanè audiuimus eos ſatis hiſpidos eſſe,atque genitali admodum ſemine abundare dominationem ueſtram accepimus, neque quidem in libidinem proniorem eſſe bilioſos habentibus teſtes, ſed quippe minore detrimento & ueneri præter modum indulgentem magis his,qui eos bilioſos tenent,& non equidem ſine detrimento à uenereis abſtinentem.

Verũ enimuero: Reuerendiſsime Domine. ſi uerba Principis audierimus, xviii, tertii cap.iiii. Renes dominationis ueſtræ in calidam irruere temperaturam, nequaquam denegabimus: Id enim indicat urinæ tinctura ad rubrum,uel citrinum, arenoſo quippe ſubſidente ſedimine. Quippe &

tactu

tactu caliditas, & inſigne coeundi deſiderium,non quẽadmodum in his,quorum bilioſi ſunt teſtes,ſed quod magis eſt in eis uiget caliditas ob deſuper proruptum calorem à iecinore per uenas, à corde uerò per arterias ad ipſos, ut habuimus à Galeno de locis affectis capite tertio.&c.

Caput ſecundum morborũ,atque ſymptomatũ eſſentias,& eorum cauſas Reuerendiſſimi,ac Illuſtriſſimi Aegrotantis explanat.

VERVM Reuerendiſsime Domine Medicus indubitato fallitur, ſi à prima die morbum non cognouerit: Autore Galeno primo de Criſibus cap. XVI. & XX. Et primo de ratione uictus acutorum, commento tertio, & primo artis curatiuæ ad Glauconem, cap.primo. Quippe dixit Galenus ſexto de morbis,& ſymptomatibus cap. primo non modo ſufficere medicum actiones læſas cognoſcere, uerũ & omnium cauſas ubi oriantur intelligere oportet. Anno igitur uigeſimotertio ætatis ſuæ D. V. Reuerendiſsima,contumaci fauente fortuna,Gallica affectione corripitur. quo fit, ut primum iecinoris facultas naturalis imbecillis effecta ſit,ob uitiatam ueretri partem carneam à fœda, & malo humore affecta uulua. Porrò enim parte carnea uitiata ſanguis corrumpitur,ut ſenſim ad iecur eius uitium permeet, ipſiusq́ robur fere proſternat, & humores uitiet atque operationes alentis uirtutis cõtumaces reddat. Quo fit,ut omnia corporis alenda membra, alimento ipſo uitiato corripiantur. ob quam rem perlucide apparet temporis diuturnitate gallicum morbum patientes,in cachecticam irruere habitudinem. Demum neruoſa ueretri pars affecta ſenſim uitium cerebro comunicat, ut nõ modo eo cerebrum occupetur, uerum & malo alimento,à iam uitiato iecore regatur. Quo fit,ut caput, & ei conſocia membra, atque totius corporis omnes neruoſæ partes in gallica affectione condoleant,atque fœdis bullis nodoſisq́ tu-

berculis. & motus impotentia corripiantur. Vnde fit, ut cerebri facultas imbecillis facta, uitio morbi gallici perpetuo malam auram ſpirantis, omnibus corporis humani particulis alimentum cerebro delatum concoquere nequeat. Quippe neque fumos, quos ei inferiora membra comunicant corrigere ualeat, ut hos quippe cerebri algore in humidum aqueum ductos, & quod ab eius incõcocto alimẽto ſuperfluit, uirtus cerebri expultrix ea deſuper deorſum explodat, aut eadem cerebri facultatem grauantia, atque à cerebri naturæ operibus derelicta, ad modum cadentis aquę guttatim, ad inferiora membra irruunt. Quo fit, ut D. ueſtram reuerendiſsimam & illuſtriſſimam ad ſecundũ genus morbi conducant, quod deſtillationem Galenus tertio aphoriſ. commento XII. & III. de ſymptomatum cauſis nõ longe à fine, & Paulus tertio artis medendi, cap. XXVIII. nominarũt, Et quia ad os excrementũ defluit, ut proprio ri utar uocabulo, catarrho moleſtatur D. V. Quippe cũ ea non immunis ſit à defluxu excrementorũ ad nares, neque immunis erit à grauedine. i. coryza. Vbi uerò irruentis humoris fluxio in guttur, & aſperam arteriam deferatur, brãchum appellant, à quo ſanè D. V. non abſoluitur.

Nempe harũ fluxionũ, ſiue in nares deſtillando impetũ faciant. ſiue per palatum, os, & fauces corripiant, ſiue guttur, & pulmonem deſcendendo afficiant, cauſa eſt cerebrum. auctore Galeno tertio de ſymptomatum cauſis non longe à fine. Porrò ſimilari eius ſubſtantia huiuſcemodi fluxionis cauſa eſt cerebrum. quia ab algore, uel ſolis ardore ad intemperiem redactum eſt, Quo fit, ut calore diſſoluente, & algore exprimente à cerebro humor deorſum cadat, auctore Galeno tertio aphoriſmorum commento XII. Audiuimus itaque D. V. Reuerendiſsimam ab Auſtri, atque Aquilonis tempeſtatibus admodum moleſtari, ut nedũ in coactis itineribus catarrho corripiatur. ueũ & mortis periculo detineatur. Quippe et earũ fluxionum

grauedo. i. coryza

num cerebrum eſt cauſa,ut inſtrumentum, ut eodē in loco aſſeruit Galenus quatenus à plenitudine infeſtatur. ob eius enim facultatis concoctricis imbecillitatem tum contumaci natura gallicæ affectionis,tum mala expirata aura à uentriculo, è ratione uictus male recto,conſurgit in eo inſignis plenitudo, ueluti continens cauſa deſtillationis deorſum è ſuperiori. Atqui quantum ex D. V. accepimus, Treis cauſas fluxionis humoris à cerebro reperimus:Procatarcticam quidem, quæ ſanè eſt contumax uictus ratio: Præcedentem,& eſt omnium membrorum natura uitiata ob Gallicum affectū: Continentem uerò, quæ eſt cerebri plenitudo ex pituita cerebrū grauante, atque eius facultates imbecilles efficiente,

Porrò ſi paulo Aeginetæ fidem, ut decet, adhibuerimus,huiuſcemodi deſtillationis temperaturam, nō quippe ſimplicem, ſed commiſtam reperiemus.cum non ſimplicis temperaturæ notæ tantum ſenſus noſtros occupent, ſed illæ confuſæ,fluxionis qualitatem nobis confundunt, porriguntq́. Sanè D. V. Reuerendiſsima plerunque ex æſtu deſtillatione uexatur,cum affectas quaſdam partes, caloris nonnihil ſentiat .Quippe & acrium humorū fluxione corripitur,ac tenuium, cum ad os defluunt,atque in gingiuas,& dentes irruunt.quippe & rubor partes faciei,nariumq́ inficit.Quæ uerò contra ſunt notæ algentis temperaturæ ſigna denunciant,à quibus etiam non immunis eſt Dominatio tua Reuerendiſsima, præſertim cum naturæ modus pituitæ fluentis, craſſus, hærens, atque glutinoſus exiſtat,ut non modo inobediens ſit uirtuti pulmonis, & pectoris expultrici, uerum & uiolentia quadam uentriculi ſubuerſionem ducit.

Ad hæc Domine Reuerendiſsime,ac Illuſtriſsime ad hanc cerebri defluxionem ad inferiora membra, ſymptomata hæc condeſcendunt. Primum cum per palatum ad os permeat,in quod impetum promptiſsimè facit, in gingiuas,

& dentes

& dentes influit, & ſui quippe acrimonia gingiuas erodit
& dentes perforat, ſuo uerò confluxu ad eroſi, & perforati
dentis radicem, gingiuas inflammat hoc dicente Galenò
libro ſexto de ſanitatis tutela ultra medium, ubi ait. Sane
non latet uuam quoque & pariſthmia, & parulides, & an-
tiades, & dentium eroſiones, & ulcera, & putredines, ſaniē
hanc, quæ à capite in ipſa decidit, conſequi. Secūdum ſym
ptoma eſt tuſsis contumax, & laborioſa, ut ea plerunque
ob difficilem exitum glutinoſæ, & hærentis pituitæ uentri
culus ſubuertatur, atque oris halitus grauetur: hoc quip
pe fit fluxione cadente in gulam, & aſperam arteriā, atque
pulmonem. Quo fit, ut eorum uirtus expultrix ſtimulo
afficiatur, & motu tuſſis ad expellendum excitetur. Ter-
tium ſymptoma eſt uentriculi inſignis concoquendi imbe
cillitas. Si enim in gulam & uentrem fluxio feratur, quæ
quidem plus frigida eſt, in frigidam intemperiem uentrē
ipſum permutat. Quo fit, ut appetentiam, & concoctionē
labefactet, ac dubio procul ſpiritū flatuoſum progignat, ip
ſius uentriculi calore imbecilli facto. Quo fit, ut in eo, & pa
riter in aluo dolores, rugitus, eructationes nidoroſæ, hu-
moris uentriculum grauantis, concreent. horum ſanè au-
ctor eſt Galenus ſexto de tuenda ſanitate ultra medium, &
ſecundo prædictionum commento. xlix. & tertio de ſym-
ptomatum cauſis, non longe à libri fine. Quartū ſympto-
ma eſt Iecinoris meatuum obſtructio, tum ob uirtutē eius
concoctricem factam imbecillem, fluxionis caſu in ipſum
iecur, tum debili eius æſtu, quo inconcocti, et frigidi humo
res progeniti, iecoris uaſa obſtruunt. Huius quippe notas
accepimus, è dolore plerunq; iecur infeſtante, & exigua in
eius plaga, tenſione apparente: & quod iudicium noſtrū
certius reddit, eſt tumor pedum, quem aperto ſenſu ue-
ſperi dignoſcimus. Quippe huius, & pedum tumoris fo-
mentum eſt è fluxione ad eos irruente, & has uidimus no
tas, cauſaſq; à Galeno ſecūdo prædictionum libro ad prin
cipium,

uartum sy
ptoma de
obstructioe
ecinoris

cipium,& quinto de locis affectis, cap. VI. Quintum ſymptoma eſt nimius ſudor capitis. quod ſi eius ſomnus longo temporis ſpatio nocte producatur, eo admodum præcordia afficiūtur, ſi uerò diurno, ac meridiano ſomno utatur, uentriculo fermè pluribus quàm pareſt cibis repleto non ſudore tantum laborat uerum & eo triſtatur, & angitur. Nempe huius cauſam nouimus quarto aphoriſmorū XLI. ex Hippocrate, ubi ait: ſudor multus ex ſomno factus abſq; cauſa manifeſta, corpus uti plurimo cibo ſignificat: ſi uero cibum non accipienti hoc accidat, ſcire oportet, quòd euacuatione indiget corpus. Quòd autem ii ſudores magis caput, & præcordia afficiant, cauſam attulit Gal. iiii. aphoriſ. com. xxxviii. fore plenitudinem affectarum partium, quam ſudores euacuant. Sextum ſymptoma eſt, muſculorum pectoris, atq; articulorum grauedo. Quo fit, ut D. S. Reuerendiſſima nedum eorum diſtenſionem, uerum & dolorem patiatur, & hoc quippe fit multitudine humiditatis ad muſculos, & ad artus à capite confluentis, atque eadem grauantis, & dolore afficientis, auctore Gal. iii. aphoriſmorum, com. xxxi. Sane membri grauitas à multa in eo collecta materia progignitur, ut ait Gal. ii. de ratione uictus acutorum com. x. Septimum ſymptoma eſt Renum calculi labor, atq; affectus, Sanè hoc fit fluxione pituitæ, tum à capite per uenas, tum à uentriculi, imbecilli facultate concoctrici, in Renes irruentis, quorum æſtu in ſimilem callo ſubſtantiam, pituita tenax, & craſſa uertitur. hanc ſententiam habuimus à Galeno. vi. de locis affectis. cap. iii. & aphoriſ. iii. com. xxxi. ubi ait. Renes ſæpius obſtruuntur, & lapides generantur, quādo tenax uel craſſa ſuperfluitas, ibi firmata in ſimilem callo ſubſtantiam tranſierit. Octauum ſymptoma eſt atra bilis aucta. quo fit, ut plerunque melancolia, & mœſtitia contriſtetur. Porro ob id quod diximus de ſuæ Dominationis temperatura bilē hāc atram non quippe ex flaua bile aduſta, ſed ex craſſo ſanguine exu

ſto genitam eſſe non dubitamus, eo ſanè modo quem nobis aperuit Galenus tertio aphoriſmorum comento.XXII. & tertio de locis affectis.capitulo ſexto.

Caput tertium edocet prædicere de morbi termino, atque eius ſymptomatum.

CVm prænotionis cognitio non pauca, ad morbi curationem afferat commoda, auctore Galeno primo de ratione uictus acutorum, comento tertio, operę precium eſſe duximus non modo morbum, atque eius ſymptomata corrigere, uerum & eorum prognoſticum iudiciũ afferre, ut & nobis & ægrotantibus cõmoda contingant. Atq; à Gallica affectione exordium capiemus. Quippe dicemus, cũ hæc morboſa affectio à ſemine ortum teneat, & his, qui à ſemine cõtingunt morbis fixe afficiatur humanum corpus, auctore Galeno primo artis medicinalis: nõ ab re curationẽ haud facilem eius pronunciamus. At quia affectio ipſa principalioribus membris infeſta & noxia eſt, igitur & curationis diuturnitatem, certam tamen ſalutem bonitate eius temperaturæ Dominationi ſuæ. Reuerendiſſimæ pollicemur,

A Catarrho quippe prognoſticũ attulit Galenus libro ſecundo prædictionum comento.XLIX. ubi ait. Itaque grauedines, ac deſtillationes aſſiduæ non eſſe bona indicia, cenſendum eſt: præuenientes quidem, eo quòd malis repleát humoribus pulmonem, procedẽtes uerò morboſi exiſtũt, quia magnam pulmonis affectionem, & ab ipſa caput eſſe affectum ſignificent. Porro ſi fluxio à capite calida ſit, dixit Galenus ſexto de tueuda ſanitate, non ſolũ ad uocẽ ineptæ partes gutturis fiunt, ſed etiam grauiſſima quædam eroſio his accedit, ita uerò & pulmo his exulceratur, & morbus, qui Tabes dicitur efficitur: inter initia uerò appetentiam, & co ncoct ionem labefactat. Si uero fluxio gelida fuerit, tarditate m concoctionis, & cruditatem, & acidos ructus

creat.

creat. Quòd ſi etiam corrupta ſit, alimentum in corruptelam uertit: quæ, ut ait Galenus, uel fumidos, uel acidos, uel alterius cuiuſquam dicibilis, indicibilis ue qualitatis ructus emittat. Si uerò inferius aluum infeſtet, & ieiunum, & craſſius inteſtinum affligat, fit, ut coli, & inteſtinorum doloribus patiens contriſtetur. Quippe ſi uaſa, quæ in meſenterio ſunt, & per quæ fit in iecore cibi concoctio, tangit, & his, & iecori noxam affert. Nempe à Galeno didicimus libro . iii. de ſymptomatum cauſis non longè à fine in commoda non pauca, in humano corpore fluxio à capite progignere poteſt. Quo fit, ut intrepida fronte dicere audeamus catarrho affectos non eſſe omni periculo tutos, ſed naufragium prope conſtitutos. Nam & eius curationem haud facilem putamus, dum id Hippocratis legimus, & Galeni. ii. aphoriſmorum. iiii. Raucedines, & grauedines in ualde ſenibus coctionem non admittunt.

Ab imbecilli uentriculi facultate concoctrici prognoſticum dixit Gal. lib. vi. de ſanitatis Tutela, poſt principium, ubi ait. Et exacta uentris concoctione indigent humana. ſ. corpora. Quidquid enim in hoc corrumpitur, id toti corpori morborum putredinis occaſio fit.

Ab atra bile adaucta melancholia mœſtitia progignitur, ut ait Gal. vi. de locis affectis. cap. i. & eius incremento iudicium prognoſticum dixit Galenus. iii. de locis affectis cap. vi. uerbum hoc pronuntians. Melancolici magna ex parte comitiali morbo afficiuntur, & econtra: morbo comitiali laborantes, efficiuntur melancholici, atque horum utrumlibet magis accidit, prout uel in hanc, uel in illam partem infirmitas repit. Si enim in corpus, Epileptici: ſi uerò in mentem, melancholici redduntur. Propter hæc, quia adaucta eſt, atra bilis, merito Dominatio ſua in poſterum morbum metuit comitialem. At quia caput plenum habet pituita, in poſterum metuit uertigines, ac apoplexias, iuxta illud Galeni. iii. aphoriſ. com. xxiii. ubi ait

Vertigines quoque cerebri læſiones conſequuntur, ſicuti apoplexiæ. Nam & hæc paſſio fit, cum caput repletur pituita. cum his etiam paralyſim futuram metuit D. S. Reuerendiſſima, quia eius cerebrum cõſimiliter impletur frigido, ac craſſo, aut omnino uiſcido humore. Dicente Galeno. IIII. de locis affectis, cap. II, horum trium morborum frigidus, ac craſſus, aut omnino uiſcidus humor cauſa ē. Porrò Dominatio ſua Reuerẽdiſſima magis, magiſq; paralyſim metuere debet. quia accepimus eam bina mercurii inunctione perunctam fuiſſe. Quippe proclamant omnes, crebrum mercurii uſum, ad paralyſim ducere. &c.

Caput quartum morbos corrigit, atque eius ſymptomata procurat.

MOrborum Reuerẽdiſſimi ac Illuſtriſſimi Domini Curationis Scopus, uno trium perficit inſtrumentorum, aut quippe ex his pluribus, aut omnibus, auctore Galeno in libro de partibus artis medicæ, ſumma ſecunda capit. II. & in libro experimentorum, cap. ultimo. ſ. uictus ratione, medicamentorum uſu, atque manuum opera quam chirugiam apellant. At quoniam eorum omnium nobilius inſtrumentum uictus ratio cenſetur à Galeno in libro experimentorum, operæpretium eſſe duximus D. S. Reuerendiſsimam in uictus ratione inſtuere. Nam (ita medeus amet) omnium affectionum atque S. D. Reuerendiſsimæ ſymptomatum curationes, & ſuæ ſanitatatis Tutela magis, in uictus ratione, quã in aliis medendi ſcopis conſiſtunt. Igitur quæſo, hortorq; D. S. Reuerendiſsimam ſub obſeruantiæ firmamento, quæ à nobis de uictus ratione in hoc ſalutari conſilio conſcribenda ſunt, non modo audiat, uerum etiam ut perficiantur operam nauet.

DE AERE.

RAtionem igitur uictus ab aere exordiar, cum ab ambiente nos aere corpus admodum mutetur, auctore

Galeno

Galeno libro tertio. artis medicæ, & tertio methodi cu-
ratiuæ, cap. ottauo & nono. methodi nō longe à fine, ubi
ait: Ambiens uerò is eſt ſine quo nec tolli morbus, nec te-
neri ſanitas poteſt. At primo, de tuenda ſanitate, non exi-
guam ineſſe uim ipſius tuendæ ſanitatis in boni aeris ele-
ctione oſtendit.

Ambien quid ſit aer.

Nempe igitur eligat ſibi Reuerendiſsmus ac Illuſtriſsimus Patiens, aerem nō craſſum & nebuloſum, incluſumq́ nullum recipiens perflatum, iuxta illud Galeni libro primo. de ſanitatis Tutela, nec qui ob ſtagnum, uel flumen uicinum, nebuloſus eſt aer: nec qui editis undiq́ montibus in cauo loco clauſus, nullum recipit perflatum, ſuffocans enim, putriſq́ eſt, Proinde locum domus accurate ſibi præparet, in quo non ſit incluſus aer, perflatus defectum ſuſtinens ob illud Gale ni uerbum eodem in loco, ſimilis ei, qui in domibus quibuſdam eſt incluſus, in quibus ob putredinem, & perflatus defectum, plurimus aceruatur ſitus: huiuſmodi enim aer omni plane ætati noxius eſt. aer quoque fumo, uel puluere affectus prohibeatur, cum .n. corpus intrat facultatis animalis tranſitum tollit, meatuum ſpiritus obſtructione: auctore Galeno eodem in loco. Porro aerem humidum ualde fugiendum exiſtimo qui & ſtagni, & paludis halitu eſt infectus: & qui ex Cloacis malam ſpirat auram, & qui ex animalium, & olerum, & leguminum putredine uitium contraxit, aut fimo coinquinatur. Suo enim halitu caput grauat, & animalem ſpiritum offendit, ut libro primo de Tuenda ſanitate dixit Gal. Sed purum aerem, & clarum ſibi paret, ne impuritate, & craſsitie uires animi obnubilet. Dicente Galeno ut ſupra optimum aerem cenſeo, qui prorſus ſit purus.

Aer igitur D. S. Reuerendiſsimæ calidus ſit, & ſiccus non admodum quidem calidus: plus quidem ſiccus, non ſane frigidus, quoniam ex capite deſtillationibus totum corpus offendit, auctore Galeno. quinto. aphoriſmorum com.

uigeſimo

uigeſimoquarto. Non admodum calidus ſit, propter Galeni uerbum.quinto.aphoriſmorum com.xxii. Calor extrinſecus in capitis diſpoſitionibus facit hæc eadem. ſ. diſtillationes,igitur calidus eſto, quoniam ut dixit Galenus eodem in loco,capitis grauitates ſanat,concoquens, atq; diſſoluens quæcunque moleſtant.Cæterum ſi natura calidus, & ſiccus aer haberi non poterit,eo in loco,in quo D. S. Reuerendiſsima moram trahit, aut hybernum affuerit tempus, Leuibus aromatum ſuffitibus utatur.conſiderandum quod à me dicitur, leuibus ſuffitibus, quia à fortibus caput admodum grauatur & offenditur, ut Hippocrates dixit quinto. aphoriſmorum. xxviii. ſuffitus aromatum. etcæt. Nam ſi eum læſerit, quod ab aromatibus de fumo exit, ſola aromatum præſentia in loco manſionis D. S. ſit contentus ut quod de odore ab aromatibus expirat, quæ ſua ui aperiunt uaſorum orificia obſerata; & humorum craſsitudinem extenuant:& omnibus frigidis, & humidis affectionibus corporis peridonea ſunt auctore Galeno eodem in loco.

Aromata uero ſunt cinnamomũ:Gariophyllũ,nux myriſtica,macis, Ambra,lignum aloes, moſcus,cortices citrii. maſtix,Thus, Ludanum: & ſimilia, Quippe, ſi D. S. pergratum fuerit lucidum ignem inſpicere, & potiſsimum hyberno tempore is fiat ex lignis Roriſmarini,Iuniperi,lauri & ex ſimilibus. Porrò ſi ex ligno Terebynthi, uel ex illo, quod uſitato uocabulo Lignum laricis dicitur,ignis accendatur, admodum proderit. Quoniam ſui natura craſſos, & glutinoſos corporis humores attenuat,& diſſoluit. Cæterum D.S.hortarer,ut re quapiá modicæ calida caput ſuũ muniret.Calor enim extrinſecus atque immodicus ei noxius eſt,admodum colliquádo,& ad ipſum caput ab inferius corporis partibus ſurſum trahendo, plus uerò frigus exprimendo auctore Galeno quinto aphoriſmorum comento uigeſimoſecundo & uigeſimoquarto.&c.

PANIS.

PAnis electio ſit ex Tritico, quoniam Triticũ nedum apud omnes nationes frequẽtiſſime, immo cum utilitate uſurpatur. auctore Galeno primo de facultatibus alimẽtorum, capitulo ſecundo. Ex Triticeis nanque panibus D. S. peridoneus eſt ille, qui ex tritici ſimila cõditus eſt, ſinceriſſimus enim is panis eſt, naturalia non grauans, non flatuoſus, neque deorſum aluum replens, & peroptimè nutrit, auctore, Galeno eodem in loco.

Sitq́ panis eius non admodum fermentatus. Sui enim ſuperfluo acore, noxius eſt cerebro & neruis, Sed neq́ omnino fermento careat ob id Galeni uerbum primo. de facultatibus alimentorum, cap. ſecundo. At qui omnino fermẽtõ caret, nemini prorſus erit accommodus.

Non ſit eius Panis ſalitus propter dictum Galeni. ii. de comp. med. ſecundum loca, cap. xviii. ubi ait. Sal moleſtum eſt propter grauedinem: & potiſsimum in capite, ſitq́ eius panis non admodum coctus, ut qui cruda, incoctaq́ interiora habet, ambuſta uerò: obarida, & cruſtacea exteriora. Ignis enim uis in totum panẽ nequit penetrare, ideoq́ illum non percoquit, maximeq́ intimas partes. Dixit enim Galenus primo alimentorum libro. cap. ſecundo. Is enim deterrimus panis cenſendus eſt, & uẽtriculo inimicus, qui in cruſtaceis admodum aduritur: in intimis uerò incoctus relinquitur. Sit eius Panis recens duorum dierum, ueruntamen calidus non edatur, ob principis dictum ſecundo canone. capitulo DLXXiii. Panis enim calidus non eſt naturæ amicus, ſitim facit: & natat propter ſuam uaporoſam humiditatem cerebro noxiam.

VINVM.

CVm ſit omnis exceſſus fugiendus, maxime illũ fugere expedit, ex quo non corpori modo, uerum etiam animo damnum accedit. ob quam rem. Cũ D. S. Reuerendiſsimæ corpori & animo uini potus

tus dánum ingerat, nedum hauſtum guſtare ſuaſerim, uerum & omnis uini potionem denegarem, eius náque corpori noxium eſt uinum. Quippe uino epoto humectante, atque calfaciente infeſtos exceſſus corpori eius adducet, auctore Galeno primo de tuenda ſanitate, & in exhortatione ad bonas artes. Profecto cum repleri eius caput ſit inutile, uinum autem halitu caput repleat, ut ait Galenus eodé in loco, uinum illi ualde noxium erit, propterea mihi ſuadeo S.D. potum per idoneum eſſe debere hydromel in quo decocta ſint hyſſopus, & ſaluia calefacientem, & exſiccantem frigidos, & craſſos humores, & facultatem cerebri roborá tem: auctore Galeno octauo ſimplicium pharmacorum, cap. CLII. ubi ſaluiæ, atque hyſſopi facultates recenſet ac laudat. Nam ſi quiſpiam uiderit Galenum tertio de temperaturis D.S. Reuerendiſſimæ uinum nequaquam ei concedet. Sed dicet quiſpiá, ſi Galenus inquit quinto aphoriſmorũ comento quinto uinum qualitate ſua ſanare eam, quam fecit diſpoſitionem, neruos calefaciendo, atque exſiccando, cur D.S. Reuerendiſſimæ uinum denegabis? Huic reſpódeo quia certius eſt uinum ſuo halitu cerebrum percutere, & grauare, cum hoc ſit ei peculiare, quã ſua qualitate neruos calefacere & exſiccare. ideo tutius eſt in cerebri affectionibus uinũ tollere, quam illis errando tribuere.

Nempe ſi Reuerendiſſimi D. atque Illuſtriſſimi ob metũ aquæ inter cutem, uel conſuetudine, uel inordinata illius appetentia, uel uiolento medicamentorum irritatu ad uini cogar potionem condonandam ſit eius uinum album, uel coloris mediocris, imbecillium uirium, ut caput minime percutere ualeat. dicente Galeno primo de Tuenda ſanitate. & quinto de locis affectis capitulo quinto. Nam huiuſmodi uinum ut uentriculum robuſtum efficit, ita haud quamquam tentat caput, id quod facere ſolent ea, quæ ualentiores uires obtinent. &c.

CARNES

CARNES.

Vetuſtorum itaque pedeſtrium animantium carnes caueret debet, ut Bubula caro eſt, auctore Galeno tertio de facultatibus alimentorum cap. primo ubi ait: Bubula uero alimentum ipſa quoque non exiguum, nec diſcuſſu leue præſtat, ſed ſanguinem craſsiorem, quam par eſt, progignit. Quæcunque igitur pedeſtria animalia temporis uetuſtate terrei alimenti naturam ſibi conceſſerint, non optimi ſanguinis, ſed feculenti, facultati rationali noxii facile ſunt procreantia ſuæ Dominationi noxia ob adauctam atram bilem. quales ſunt ceruorum carnes, & capreolorum, arietumque, & uetuſtorum caſtratorum. Quippe & ſuilla caro omni adminiſtrationis modo ei cuntumax exiſtit. uentriculum enim grauando craſſum progignit alimentũ, & ſui natura haud facile concoctionem recipiens, auctore Galeno ſeptimo methodi curatiuæ capi. ſexto,

Sunto igitur D. S. carnes temperaturæ calidæ & ſiccæ. Quo fit, ut auiculæ omnes ſylueſtres in arboribus degentes, ac uictum in ſiccis locis trahentes admodum ei conueniant, ut ficedulæ, Turdi, merulæ, ſylueſtres palumbi, frigellæ, & huiuſcemodi. Quod ſi domeſticæ aues ad minorem ſiccitatem uergant, condimento parentur, hyſſopo, ſaluia, betonica, roremarino, & ſimilibus. Quales ſunt capones, gallinæ, & domeſtici columbi, carnes Hædorumque, & uituli, & Iuuenis caſtrati. Conueniunt quoque ei admodum phaſiani, perdices, coturnices, Iuuenes cuniculi, & lepores iuuenes, & potiſsimum cerebrum paratum hyſſopo, & ſaluia, longe fugiat aues omnes in aquis degentes, cum ſua humida temperatura ſint D. S. ſatis noxiæ, ueluti anſeres, & Anates, & conſimiles. Agninam carnem ei noxiam pronuntiamus ob id quod humidius alimentum quàm par eſt progignit, auctore Galeno in libro de cibis boni & mali ſucci. &c.

PISCES.

CVm apud Galenum ſexto de uſu partium.cap.ix.compertum ſit, omnibus animantibus Piſces frigidiores eſſe, naturaq́ꝫ, humido abundantes. Quippe uictus ratio hoc in D. S. affectionibus non admittit. Idcirco ei piſces non concedimus. Illos ſanè maxime. qui in cœnoſis, & ſordidis aquis ueſcuntur. Porrò & qui in paludibus,& lacubus capiuntur.Excrementitia namque & mucoſa eſt admodum eorum omnium caro, auctore Galeno tertio de facultatibus alimentorum cap.xxiiii.

Fluuialium uero piſcium non adeo ei noxia eſt caro, & tanto minus, quanto fluminis aqua rapida, & multiflua eſt, ut ipſius torrentis fluxu piſces fatigentur. Quo fit, ut eorum caro minus excrementis redundet, atque mucoſa reddatur. Potiſsimum uero eorum piſcium caro ei parum noxia eſt, qui in puro natant mari, maxime cum uétorum difflatu agitatum attollitur. Dixit enim Galenus tertio de facultatibus alimentorum capi. XXIIII. In ſilente namque mari, nulliſq́ꝫ agitato fluctibus tanto piſcium caro uilior eſt, quanto minus exercitata.Nempe ſi D. S. Reuerendiſsimæ piſces admittamus,ad memoriam reuocare uelim, eos parare ſaluia, hyſſopo, Iua, betonica, & roremarino, ipſiſq́ꝫ paulul um aromatibus ueluti, cinnamomo paratis.

Salitos piſces ei non dabimus, ſi Galeni præceptum obſeruabimus. ſecundo de comp.med.ſec.loca.cap.xviii. ubi ait, Sal moleſtum eſt, & maxime in cerebro. &c.

ſal moleſt. eſt cerebro

OVA.

QVæ ab animantibus oua naſcuntur,à Galeno tertio de facultatibus alimentorum, cap.xxi.inter hominum numerantur alimenta, quorum ſummam nutritionis laudem gallinarum oua, demum phaſianorum obtinuere.Porrò cum albuminis uis frigida ſit, & glutinoſa dominationem ſuam incommodat, ſolo igitur oui lu-

teo,

teo, D. S. uti non ambigam, ſintq́ oua ex eius comuni eſu recentia, & non diu aſſeruata, hæc ſanè recentia facile concoquuntur: diu uerò aſſeruata, nedum concoctioni pertinacia ſunt, ſed prauos progignentia ſuccos ob quam rem dixit Galenus tertio de facultatibus alimentorum capite: XXI. uerbum hoc. Recentium porrò ouorum ad uetera, non mediocris eſt differentia. Quippe optima ſunt recentiſsima, peſsima perquandiu aſſeruata.

Non ſint quæ D. S. Reuerendiſsimæ largiuntur oua cocta.i. dura, ob id Galeni uerbum eodem in loco. Cocta, ſeu dura difficilis ſunt concoctionis, & tardi tranſitus, craſſamq́ alimoniam corpori exhibent. Quæ ſanè cerebro infeſta eſt. Porrò ſint tremula, atque ſorbilia, quæ ei concedimus oua, dicente Galeno: Tremula, molliaue oua, omnium belliſsime nutriunt.

Nempe in aqua cocta ſint, quæ acceperit oua, ob id, quod in feruentibus cineribus aſſata, longe tardioris ſunt meatus, & craſsioris ſucci. Quippe quæ in ſartagine condimento parantur, longius diſtent à communi eſu D. S. ob illud uerbum Galeni, ut ſupra. Quæ uerò in ſartagine ad craſsitiem uſque friguntur oua, deterrimi omnino ſunt alimenti. Dum namque coquuntur, nidorem, ac fumum edunt, ſuccusq́ ex his prognatus, non ſolum craſſus, uerum etiam prauus, & excrementitius eſt. &c.

LAC.

LAc numeradum eſſe inter cibos, qui ab animalibus proficiſcuntur, compertum eſt à Galeno libro tertio de facultatibus alimentorum, cap. XIIII. & in libro de cibis boni, & mali ſucci. Quòd ſi D. S. capiti attendamus, dubio procul lac ei denegabimus, iuxta illud Galeni quinto aphoriſmorum commento. LXIIII. Lac uerò, quod bene concoquitur, nutrit, & bonos facit humores, & dum concoquitur, his pariter attollit præcordia, & caput tangit. &c.

CASEVS.

SErmo eſt Galeni tertio de facultatibus alimentorum. cap. XVI. Caſeum ex iniecto lacti coagulo formari, quippe dum formatur acrimoniam accipit, totamq́ humiditatem relinquit. Porrò eò magis inueterato creſcit acrimonia, & is calidior, atque urentior redditur, concoctioniq́ contumacior, & deterrimi alimenti procreator. Quàobrem à tota rei natura D. S. Caſeum minime dandum putamus. Quippe & ſi facultatis attenuatoriæ craſſorum corporis humorum caſeus ſit, plus tamen damni ex ſucci prauitate, & æſtuanti feruore infert, quam craſſorum attenuatio prodeſſe poſsit, ſanè igitur cum omnium caſeorum hoc commune uitium eſſe ſoleat, D. S. omnem pernegabimus caſeum. &c.

BVTYRVM.

CVm ex eo, quod in lacte pinguiſsimum eſt butyrum progignatur, atque leniendi facultatem ſibi acquirat concoquendi, reſoluendiq́ uim habeat, auctore Galeno decimo ſimplicium pharmacorum, cap. XI. forte fortuna D. S. Reuerendiſsimæ butyrum darem. Quòd ſi ingenti butyri deſiderio D. S. afficeretur. butyrum elotum aqua hyſſopi, uel ſaluiæ non denegarem.

FRVCTVS.

EOs fructus, quos arboreos appellitant, qui hominum cibos adiuuant, auctore Galeno ſecundo alimentorum. cap. VII. à tota rei natura ad edendum ei non darem. Ii, quorum mollis, atq; humidior eſt conſiſtentia nedum non nutriunt, humidamq́ ex ſe alimoniam corpori afferunt, uerum & flatuoſam cerebro noxiam. Videmus enim Epilepſiam à ſolo uento progigni, quales ſunt ficus, pira, Poma, Perſica, Armeniaca, ceraſa, pruna, & huiuſmodi. Nempe ſi, ut pueri uoraci quadam appetẽtia pulſi, quempiam horum cuperet, maturas ficus, ueluti minoris nocumenti concederem, minus namque praui ſucci progignunt

gnunt omnibus his, qui fugaces, & autumnales uocantur fructus, etſi penitus huius uitii non immunes reddantur ficus, iuxta Galenum ſecundo alimentorum. cap. VIII. Certè poma, & pira ſub feruentibus cineribus cocta aliquando ei non denegarem. Excalfaciens enim ignis, non ſolum humidum noxium minuit, uerum & ſpiritum flatuoſum ſenſim excernit, ſoluitq́. Verum enim uerò cum ſolidæ conſiſtentiæ fructus fuerint, qui adſtringente ui admodum pollent, eos certè ſuæ Reuerendiſsimæ D. non concederem. quales ſunt cydonia, meſpila, ſorba, nuces, & huiuſmodi. Ii porrò nedum in tranſeundo non celeres ſunt, uerum & craſſum, atque glutinoſum ſuccum omnino progignunt, functioni animali infenſum. Nempe huius ad ſtrictoriæ facultatis dulces amygdalæ nihil ſortitæ ſunt, Quippe abſtergendi, & attenuandi ui pollent. Quo fit, ut uſu moderato idonea ei comprobentur edulia, & neque caput grauabunt, ſi poſt earum a cortice purgationem tribus in calida aqua horis permanſerint, & nuces Auellanæ adſtringentis facultatis ui pollent, ut ait Galenus ſecundo de alimentis, cap. XXVIII. Quo fit, ut nedum hæ, uerum & iuglandes nuces ei eſca efficiatur nocua, cum fluxiones deſuper mouentes caput offendant. &c.

LEGVMINA.

DIxit Galenus primo de potentiis alimentorum, ob id quod legumina nulla gratia, nullaq́ iucunditate prædita ſunt, quippe flatibus admodum uentrē implent, ob hoc ea proculdubio Reuerendiſsimæ D. S. quoquomodo parata fuerint, ingratas eſcas pronuntiabo.

OLERA.

QVæ ex oleribus eſitare debet, excalfacientia, atque exſiccantia ſint, qualia ſunt hyſſopus, ſaluia, betonica, fœniculus, roſmarinus, & huiuſmodi. Hæc enim humores craſſos, & frigidos, hærentesq́ attenuant, & abſtergunt:

& abſtergunt: Quæ uerò frigidæ, & humidæ ſunt temperaturæ ei inimica ſunt, qualia ſunt lactuca, endiuia, beta, ſpinachia, malua, & huiuſmodi. Neque terræ bulbi, qui mordaci acrimonia præditi ſunt, S. D. admittere debet, qualia ſunt, Allia, cepæ, aſcaloniæ, porri, & huiuſmodi, non ſolum enim tangunt, & percutiunt caput, uerum & peſsimi ſunt alimenti. Caueat ergo ab his, quæ à proprietate ſolent Epilepſiam mouere, ut ſunt Apium, petroſelinum, & fungi.

EXERCITIVM.

DIxit Galenus primo de tuenda ſanitate: Humani corporis excogitata dimotio, non ſolum ad ſanitatis tutelam, uerum & bonam corporis habitudinem neceſſariam eſſe priſci omnes prædicarunt. Quo fit, ut Reuerendiſsimæ D. S. plus conueniat moderata dimotio, quã immoderata quies, & ocium ſitq; per loca calida, & ſicca; immo arida ne pedes humectentur. &c.

SOMNVS, ET VIGILIA.

DIxit Galenus ſecundo aphoriſmorum, commento primo ſi ambo uidelicet ſomnum, & uigiliam conſectari uoluero, hoc fieri ſecundum innati caloris motionem: ſomnum quidem ad intima corporis, uigiliam autem ad exteriora natiuo calore permoto. Quamobrem, cum in ſomno multo, natiuo calore ad intima uocato, ex halitibus multa quantitas capiti ingeratur, quibus facile Epilepſia poſſet excitari: ideo iubeo Reuereudiſſimam D. S. non gaudere multo ſomno, & præſertim diurno, aperta enim fronte ipſum prohibeo. &c.

ACCIDENTIA ANIMI.

DE accidẽtibus animi dicam, Quòd Reuerendiſsimus D. patiens gaudeat, & non triſtetur. Nam mœſtitia reuocat ſpiritus, & calorem ad cor, & exteriora algeſcunt membra, auctore Galeno ſecundo de ſymptomatum cauſis. Quo fit, ut algor inimicus ſit cerebro. Gaudeat igitur

Reuerendiſsima

Reuerendisſima D. S. & non triſtetur. &c.

REPLETIO ET INANITIO.

NEminem admirari uellem, ſi uitioſam ciborum, atque potuum ſatietatem, & malorum ſuccorum ſimplici uerbo damnari dignoſcat. ſanè cogor id fateri Galeniu erbo primo aphoriſmorum, commento tertio ubi ait: Cum enim uaſa cibis, & potibus fuerint ſupra modũ repleta, periculum eſt, ne diſrumpantur, aut calor naturalis ſuffocetur. Quamobrem, quia Reuerendiſsima D. S. timore mortis terretur, non impleatur: uentres quoque moderatè inanire cogatur, aut cibi, & potus parſimonia, aut ſenſim cum purgatorii medicamẽti euacuatione, qua humorum abundantia non grauentur membra, quod facultati animali admodum noxium eſt. Nempe eius uentriculus non immoderatè inaniatur, quoniam Inanitus uentriculus aduocat epilepſiam, ut docet Galenus in libro de ſectione uenæ. contra Eraſiſtratum, & tu uide. Vnum tamen eſt, in quo Reuerendiſsimam D. S. hortor, ut pro uirili utatur attenuante uictu, iuxta illud Galeni in libro de attenuante uictus ratione, ubi ait, eadem etiam hæc attenuans uictus ratio epilepticos quidem paruos, & incipientes penitus ſanat: inueteratos uerò, ac conſummatos iuuat non mediocriter. &c.

MEDICATIO PER POTIONEM.

CVM à nobis oſtenſum ſit, quali uictus ratione Reuerendiſsimus ac Illuſtriſsimus Dominus, uti debeat: alteram rem, quæ eſt per potionem medicatio, aggrediar, quam morbi profligandi facultatem libro primo de ſanitatis Tutela Galenus appellat. Nempe quoniam eius morbus diutinus, ut plerique morbi longi ob craſſos, lentos, ac frigidos fiet humores. Cumque ob id non facile concoqui poſsint, ut eſt Galeni uerbum ſecũdo aphoriſmorum commẽto, XIX. Nam & in patientibus particulis impacti ſunt, atque agglutinati adeo, quòd eorum diſpoſitiones

magis

magis præ duris tumoribus quàm inflammationibus aſsimilantur, ut Galenus eodem ſenſit in loco. Idcirco curationis modus affectionis D. S. eadem medicari die non expedit. Quippe in his eadem medicari die non modo irrationalis, uerum & fallax, atque periculoſus eſt modus. auctore Galeno primo aphoriſmorum commento. XXII. Quo fit, ut ſenſim huiuſmodi affectum medicari operæ precium ſit, tum altero die morbi cauſam concoquendo, tum concoctum deiiciendo, ueluti edocuit nos Galenus primo aphoriſmorum commento. XXIIII. & ſecundo, commento nono.

Nullo igitur planè ductus errore mihi ſuadeo D. S. Reuerendiſsimam binis medicationibus per anni temporis ſpatium medicari oportere. Vna uernali, altera uerò autunnali tempore initiantibus. Quippe huiuſmodi medicationes præcauentes erunt morbos, qui futuri ſunt, atque curantes illos, qui iam adſunt, ut præcauendi, atque curandi morbos eodem ſcopo aggrediar.

At quia à docto, & peroptimè experto D. S. Medico Hieronymo Drogo tot, & tanta præſidia D. S. oblata ſunt, tum ad morbi initium tum ad eius proceſſum, ſanè mente repoſita, ut ferè in morbi profligatione nihil remanſerit, ſuper quod & ratiocinari, & experiri poſsim, attamen ut boni coqui fungar officio, pro huius Reuerendiſsimi Domini benemerita ſalute ſic loquar.

Initio igitur ueris prætereunte D. S. medicamentis purgari iubeo. Porrò purgationibus peridoneum eſt id tempus, auctore Galeno in libro de ſanguinis miſsione. Verum quoniam Hippocrates nos edocuit ſecundo aphoriſmorum, commento nono. Et Galenus primo aphoriſmorum commento. XXIIII. ubi uidelicet quis corpora purgare uoluerit, oportet fluida facere, mihi nempe aſſuetudo eſt fluidum in primis corpus efficere, medicamento à latioribus uiis excrementa eiiciente, ne à prauis eorum flatibus

principalium

principalium uires offendantur atque hæ imbecilliores ef fectæ proximam morbi cauſam conſocio adhuc calore cõcoquere nequeant. Primum igitur deuoret D. S. ueſperi priuſquam uentriculum impleatur, quod ſequitur.

Floridæ caſsiæ recenter eductæ drachmas decem accipito, betonicæ in ſubtilem puluerem ductæ, drachmam unam, & mediam ei miſceto, & bolum conficito, & uoratú dato.

Altero nempe ſuccedente die, priuſquam ſolis ortus ad nos pertingat, antidotum hanc ad D. S. commodam, atque ſeptem non intermittentibus diebus epotam, ac tepidam tribues, craſſos ſanè ac glutinoſos, frigidoſque humores concoquit, attenuat, & diſrumpit. Quippe & obſerata neruorum orificia aperit, & hoc ſentiendi, & mouendi facultatem admodum iuuat.

Radicum acori. ſtecádos; herbæ paralyſis, ſatureiæ, maioranæ, ſaluiæ, calaminthæ, mentaſtri, origani. de quolibet quantum manus capere poteſt accipito. Radicum endiuiæ, buglosſi, fœniculi cuiuslibet. Vnc. med. ſumito. Ex his conuenienter coctis cum melle, uel ſaccharo, fiat ſyrupus. Demum cinnamomi, gariophillorum, cubebarũ, nucis myriſticæ, ſem. pæoniæ, piperis nigri, piperis longi, croci, ſpicæ, zinziberis, aniſorum de quolibet ſcropulum unum accipito, & in ſubtilem puluerem terito, & in ſyrupo ebullito. Quippe in lineæ telæ fragmento ligato, & colato. Eo igitur ſic utere. Syrupi dicti, Vnc. unam ſyrupi roſati, oxymellis ſimplicis, de quolibet Vnc. med. accipito. Aquam ſcabioſæ, betonicæ, & lupulorum permiſceto, & propinato, uel materiam concoques ſic, & membra parabis, ſyrupum de pomis compoſitum, ſyrupum de betonica, ſyrupum de endiuia, ſyrupum iuiubinum accipito, pondere Vnc. med. pro quolibet. Aquam betonicæ, ungulæ caballinæ, & endiuiæ permiſceto, & potui dato. Vel quod admodum laudo, attenta gallica affectio-

ne, ſic materiam concoquito. Syrupum de pomis compoſitum, ſyrupum de fumo terræ, ſyrupum de endiuia, cuiuslibet. Vnc. med. aquæ deſtillationis ligni guaicani. Vnc. IIII. permiſceto, & propinato. Vel ſic. ſyrupum de betonica, geleniabim zuccharinum myrtinum accipito cũ aquis betonicæ, hyſſopi, lupulorum miſceto, & potui dato. Vel ſic. Accipe betonicæ, eupatorii. an̄. M. unũ, florum boraginis. M. unũ & med. ſem. endiuiæ. Vnc. I. ſem. citrii drach. II. ſem. uiticis, caulium, radicis iridis. an̄. drachm. I. dulcis radicis. Vnc. med. bulliant in ſuffic. quant. aquæ abſinthii, & plantaginis ad medietatem, & per colum tranſfuſis ex decocto dent. Vnc. v. in aurora.

Cæterum octaua die, ſanè indiciis concoctionis apparentibus, priuſquam nox è tenebris ad lucem uertatur, tali purgetur medicamento.

Mannam granatam pondere unius unciæ accipito. Diaſebeſten lenitiuum, Diaſene lenitiuum de quolibet drachmas tres, confectionem hamec, confectionem dactilorum utriuſque pondere drachmæ unius, Reubarbari optimi drachmam unam, & mediam, ſpicæ gran. VII. ſumito. Reubarbarum, & ſpicam ſimul in decocto pectorali, in quo bulliant corticum radicum ellebori nigri drachma una, & media, funde ſecundum artificium. Finitis quippe decem horis fuſionis eorum, inſigni peracta expreſsione, ſoluantur omnia cum eodem pectorali decocto, & potui dantor, conſuetudine ſanè ſeruata. quam plerique Medici in alui purgationibus ſeruare ſolent.

Vbi uero medicamentorum potiones guſtum D. S. perturbarent, iuberem, quia ſum medicus ſalutis adminiſtrator, eam ſequentem bolum ingurgitare.

Agaricum in oxymelite paratum pondere drachmæ unius. Turbith boni tantundem. Reubarbari ſcropulos quatuor, ſpicæ gran. quatuor, pulparum ſebeſten unciam mediam. Zinziberis recentis, drachmas duas accipito, omnia

nia miſceto, & in bolum redigito.

Vbi uerò D. S. liberius pillulas ingurgitaret, erunt ſanè D. S. Reuerendiſsimæ commodæ, & peridoneæ, quæ ſequuntur pillulæ.

Pillulas cochias almanſoris, pillulas de agarico Meſue, pillulas aureas Nicolai, cuiuslibet pondere unius ſcropuli, Reubarbari medium ſcropulum, ſpicæ grana duo accipito. Ex his cum ſyrupo de ſtæcade pillulas quinque conficito, & dato. Vel ſic. Recip. ſpecierum hieræ ſimplicis. ſcropul. II. agarici præparati. drachm. med. Reubarbari electi ſcrop. I. fiant pillulæ quinque cum ſucco roſarum puro. capiat poſt mediam noctem, & dormiat ad placitum.

Vel ſic. Recip. folliculorum ſenæ. Vnc. med. corticum radicum ellebori nigri drachm. II. ſem. citrii ſem. pæoniæ, florum roris marini ana drach. I. aquæ nympheæ. Vnc. VI. bulliant quantum ſit ſatis, & facta expreſsione in ea infundatur Reubarbari ſubtiliter inciſi, & diſſoluti in uino maluatico. Vnc. med. & facta forti expreſsione, cum ea miſce oxymellis ſquillitici, drach. VI. lachrymæ abietis, drach. II. & cum eo madefac Vnc. I. agarici electi ſubtiliter puluerizati, fiant trociſci ſcrop. II. pro ſingulo, ex quibus duo puluerizentur cum drach. IIII. floris caſsiæ, exhibeantur poſt ſupraſcriptam decoctionem præparata materia ita, ut per uices præparetur, & euacuetur ex interuallis moderatè.

Nempe, cum excogitata S. D. temperatura menti noſtræ occurrat, ſanguinis miſsionem peridoneam eſſe, tum præcauendo à futuro fieri, tum curando quod adeſt, auctore Galeno in libro de ſanguinis miſsione: non ab re iuberem cubiti dextri iecorariam ſecandam fore captis ante purgatorium pharmacum tribus ſyrupis.

Vbi uerò ſuperiores uenas D. S. tangere negligeret, hortarer, ut ei hirudines uenis hæmorrhoidum iungerentur, bibitis prius purgatorio, atque ſyrupis.

Cæterum eo temporis interuallo, quo totum uernale

tẽpus finietur uno cuiuslibet ſeptimanæ die,in noctis medio iuberem D. S. unam de ſequentibus pillulis ingurgitare.

Turbith boni, agarici electi cuiuslibet drachmas duas, ellebori præparati drachmam unam, Reubarbari electi drachmam unam, & mediam, zinziberis, ſpicæ, de quolibet gran.x. ſem. pæoniæ,ſem.citrii, cuiuslibet drachmam mediam, ſpecierum hieræ ſimpl.Galeni unciam unam accipito, ex his omnibus in ſubtilem puluerem ductis addito electuario roſato Meſue, conducatur paſta pillularum, menſura eſt tertiæ partis unius drachmæ, pillula effecta.

Sed rogauerit quiſpiam an priuſquam tempus uernum terminum ſuum poſsideat, nonnullæ apud Italiam naturales Thermæ ſint D. S. perutiles.

Huic dicere auderem, ſi præceptis ſalutaribus Galeni,& principis aſſentire cupiam, quæ ex naturali minera ſulfurea, atque aluminoſa aquæ ſcaturiunt, indubiè ei peridoneæ ſunt,non potu ſanè,ob illã, quam dixi gallicã affectionem, cui ut experimento edoctus fui, huiuſcemodi aquæ admodum noxiæ ſunt. Vbi uerò eas aquas ad contexturã coronalem ex alto cadentes S. D. ſuſceperit, ei inſigne præſidium aduenire ſanè nequaquam ambigam. Quippe his exquiſitè peractis, illis uerò ſeruatis, quæ ipſi, & ſimili aquæ cadenti obſeruiunt, congruuntq́.

Igitur intrepida fronte iuberem, priuſquam uernũ tẽpus à nobis effugiat D. S. huiuſmodi ſulfureas, ac aluminoſas thermas aggredi ob craſſos, ac glutinoſos humores S. D. caput tenentes, & ad inferna membra irruentes, at eæ poſsidentes uaria uitiorum genera perturbant. horum quippe capitis craſſorum humorum & pituitoſorum maximum remedium eſt, eos deſtruere, & conſumere. Porrò hoc fit per attenuantia, & abſtergentia medicamenta, atque exſiccantia. auctore Galeno ſeptimo de comp.med. s.l.cap.tertio.Quale eſt ſulfur, ut dixit Galenus nono ſim-

plicium

plicium medicamentorum. Verum eam aquam ad contè xturam coronalem ab alto cadentem, ualentius ſuſcipere iubeo. Quo fit, ut fluxioni fouenti, quod in D. S. Reuerẽdiſsima iam uetuſtum eſt, ſalutare remedium cõducatur, eo enim occurſu qnod frigidum eſt alterabitur, & concoquetur, quod craſſum attenuabitur, atque capitis uires roborabuntur, ut pituitoſum humorem non progignant, procreatumq; ſoluant. Quo fit, ut à defluxu animalis facultatis organa non grauentur.

Nempe Thermæ conuenientes D. S. Reuerendiſsimæ ſunt quæ in comitatu patauino ſitæ ſunt, ut Abani, & Sanctæ Helenæ. In comitatu uerò Lucano balnea ſunt de corſe na admodum D. S. idonea. In comitatu Senenſi balnea de Pitriolo, & Sancti Philippi mirabile afferunt iuuamentũ.

Vbi uerò D. S. Reuerendiſsima, & Illuſtriſsima arduis oppreſſa negociis huiuſcemodi naturales Thermas aggre di non poſſet, iuberem eodem uere D. S. artificiali Duciæ ſubmitti debere. Porrò ea nedum æquale, uerum & fortè elegantius iuuamentum reperiet. Quippe in eius forma, & modo conficiendi S.D. Medicus Hieronymus Dro gus admodum edoctus, atque expertus eſt. Nos tamen Duciæ ſimplicia dicemus talia.

Suſcipere debes florum ſtæcados arabicæ, ſtæcados mõtanæ, cuiuslibet. M.IIII. foliorum Lauri, florum lauri, roriſmarini, cuiuslibet manipulos.III. Pulegii, calamenti, ſerpilli, hyſſopi, ſileris montani, pæoniæ, betonicæ, maioranæ, ſaluiæ, ſatureiæ, de quolibet manipulos. III. florum chamæmeli, meliloti, anethi, fœnigreci, ſem. lini, abſinthii, fœniculi, aſari, iuæ, meliſſophilli, cuiuslibet manipulum unum & med. chamædreos, chamæpityos, cuiuſlibet manipulum unum, menthæ, menthaſtri cuiuslibet. manip. unũ & med. roſarum rubearum, florum nympheæ ruh, baccarum mirti, hypociſtidos, gallarum, nucum cupreſsi, corticum granatorum, cytinorum, cuiuslibet. M.ii.

corticum citrii, M.i. polii, ſpicæ, cuiuslibet manipu.med. ladani, thuris, maſticis, nucis myriſticæ, gariophyllorum, macis, ſandaracæ, cubebe cuiuslibet Vnc. I. ſulfuris uiui. lib.iiii. alumnis. lib.iii. ſalis nitri. lib.ii. Bulliant in corbis quattuor aquæ calybeatæ uel cum ſpuma ferri ſecundum artem; & optimè coletur, & colatura ſeruetur uſui.

Ob errata, quæ in uictus ratione contingunt, non modo morbi fiunt, uerum & ab anni temporibus, quorum naturæ, atque mutationes morborum naturis affines ſunt. auctore Galeno tertio aphoriſmorum commento. XIX. Quippe cum hiberno tempore cerebri affectiones uigere ſoleant. auctore Hippocrate tertio aphoriſmorum. XXIII. non ab re autumno procedente D. S. rurſus purgatoriis uti medicamentis, ut ab initio curationis expoſui, facile iuberem. Quamobrem cum autumni tempus ad nos acceſſerit, eam ſeptenis inſcriptis ſorbitionibus haudquaquam intermittente die, priuſquam ſol nobis eluceſcat, uti uellem.

Syrupum de ſtæcade, ſyrupum de hyſſopo, ſyrupum roſatum, ſyrupum de endiuia pondere. Vnc. med. accipito. Quibus betonicæ aquam, ſcabioſæ, lupulorum miſceto, & potui dato.

Cæterum cum cōcoctionis indicia apparuerint, ſic purgato. Pillulas cochias, Pillulas de hiera Nicolai, pillulas de agarico Meſue, cuiuslibet ſcrop.i. accipito, quibus duas unius ſcropuli partes, Reubarbari miſceto, cum ſpicæ granis duobus, & pillulas quinque conficito, & ante lucem exhibeto.

Cæterum Hiberno tempore ſuccedente, quod experiētia frequentius didici, id D. S. ſalutare præſidium eſſe non ambigo: uidelicet, ſi octo dierum temporis interuallo. Terebenthina, ſemel atque iterum non pleno uentriculo D. S. propinetur. Eſto autem quantitatis menſura quattuor drachmarum, accepi hoc à Galeno libro quinto de

tuenda ſanitate, ubi ait. ſimiliter & Terebinthi reſina, ſumitur autem aliquando nucis ponticæ magnitudine, aliquando duarum, triumúe. Quippe non modo aluum ſoluere citra noxam poteſt, ſed etiam uiſcera omnia, iecur, lienem, renes, pulmonemq́ abſtergere.

Verum enim uerò peractis purgationibus. Quippe & præcedente ſanguinis miſsione, ſiue uernale, ſiue autumnale tempus affuerit, cum in nullis ſuis affectionibus aquã decoctionis ligni Guaicani contumacem reperiam, iuberem D. S. Reuerendiſsimam iterum eius potionem accipere, ea enim quod, gallica affectio nocuum dereliquit ueſtigium, proculdubio attenuabitur, diſſoluetur q́. quia gutta cauat lapidem non ui, ſed ſæpe cadendo.

Nempe, cum D. S. Reuerendiſsima ac Illuſtriſsima pluribus infeſtetur ſymptomatibus à duobus iam memoratis morbis cadentibus, ſanè non minus curatione egentibus, operæ precium eſſe duximus ea, nedum generali curatione iam acta, cum eos curauimus morbos, uerum & eorum unicuiq́ præſidia propria applicando corrigere. &c.

AD DENTEM PERFORATVM. ET EROSVM.

LAc Tithymali Vnc. I. accipito, fermenti Vnc. med. ei miſceto, & paſtillos conficito, unum eorum in dentis foramine immittito, & ne alios pertingat dentes cum capſula cærea cuſtodito.

Item tres guttas olei uitrioli romani in dentis foramine imponito, & cum cæra claudito, & diſrumpetur dens, cum eius radicibus.

Item tangatur dens in eius foramine cum ſtylo aureo candenti, per canulam argenteam immiſſo, & dens omnino ad partes diſrumpetur. &c.

AD GINGIVAS CORROSAS.

RAdicem mori celſi ad umbram exſiccatam. Vnc. I. accipito, Myrrhæ. Vnc. med. ei permiſceto, cornu ceruí uſti.

ui uſti. drach.II. iungito, & ex his ſubtilem puluerem cõducito. Veſperi cum D. S. cubare uoluerit dentes,& gingiuas abluere conuenit, uino nigro ſtyptico,mox uerò gingiuas dicto puluere aſpergere, mane uerò eas aceto ex ſcylla diluere.

Item aluminis. Vnc.I. cornu cerui uſti, ſtipitum capillorum ueneris, maſticis, myrrhæ, copularum glandium, anna drach.I. bulliant in aqua plantaginis quant. ſuffic. & abluantur gingiuæ bis,uel ter in die.

Item Recip. Aluminis liquidi drachm. ii. cornu cerui. Vnc.I. gummi laccæ drach. I. aquæ plantaginis. lib. II. bulliant ad medietatem, & decoctum colo transfuſum ſeruetur pro collutione dentium, & gingiuarum.

Item Recip. pulueris corallorum. Vnc. I. infundatur in ſupradicta decoctione, & facta reſidentia coletur,& ex colatura colluatur os, ex reſidentia uerò poſt colaturam ſuperaſpergantur gingiuæ.

Item Recip.ficus maturas uirides, & contuſæ teneantur in uaſe ad tres dies coperto; poſt auferatur ſuccus eorum, qui reſidebit, & ſinatur aceſcere, poſt cum eo miſce ſuccum radicis eſulæ, & bulliant ad conſiſtentiam, & cum eo miſce puluerem corallorum, & fiat ſpiſſamentum, quo impleatur dens corroſus. &c.

AD TVSSIM, ET IMPLETVM PVLMONEM.

SVccum hyſſopi, ſuccum altheæ, ſuccum helenii, de quolibet. Vnc. iii. carnium ſebeſten, carnium iuiubarum cuiuslibet. Vnc. ii. pulueris dulcis radicis, pulueris pulmonis uulpis, cuiuslibet. Vnc. med. Butyri recenter facti, olei amygdalarum dulcium recentur facti cuiuslibet. Vnc. med. pulueris aniſorum, pulueris diadraganti frigidi, cuiuslibet. Vnc. med. penidiarum. Vnc. X. zucchari quoad expedit, & fiat mixtura, cuius portio frequentiſſimè lamendo ori condonetur.

Item

Item Mannam electam. Vnc. ii. accipito, olei amygdalarum dulcium recentis. Vnc.unã & med.carnium ſebeſtẽ. Vnc.i.penidiarum. Vnc.iiii. cum paululo zucchari mixtura efficiatur, cuius alternis diebus non pleno uentriculo unciam unam ingurgitet. D. S.

Item & ſanè mirabile eſt, ſuccum altheæ,pondere duarum unciarum accipito,gummi arabici, dragaganti, amili, cuiuslibet. Vnc.med. penidiarum. Vnc.X. Terbenthinæ perlucidæ lib med.ficuum pinguium.Vnc.ii.omnia ſimul benè tũſa in mixturam conducantur. cuius. Vnc. med. D. S. Reuerendiſsima ſtomacho ieiuno ingurgitet frequenter.

Item laudo, & peroptime ualidum eſt, ſi D. S. Reuerendiſsima cum cubare uoluerit tria ingurgitet Thuris maſculi grana.

Item qnia Tusſis eſt ex defluxu pituitæ deſuper ad mẽbra pectoris,laudo ut D. ſua cum ibit cubitum noctu, palato aſſociet drachmam unam huius mixturæ.

Conſeruæ ſtæcados, conſeruæ ſaluiæ,ſacchari roſacei,cuiuslibet Vnc. i. accipito, & miſceto.

Item laudo ut aſsidue mandat uacuo uentriculo radices acori conditi,cui permiſceatur granulum maſticis.

Item tueatur caput cum his pulueribus.Recip.roſarum rubearum, corallorum rubeorum, baccarum mirti ana. drach.ii. olibani, gariophyllorum, macis, ana.drachm.i. impleatur ex his ſacculus de ſerico ſubtilis ualdè,qui conſutus aptetur capiti porteturque ſuper commiſſura coronali, & fiant duo, uel tres, ut cum unus nimium humectatus fuerit remoueatur, & ponatur alter, & primus exſiccetur.

Item Recip. dragaganti. drachm.ii. corallorum rubeorum, roſarum rubearum, ana. drach.i. ſucci dulcis radicis, olibani, myrrhæ, maſticis, ana ſcropul.i. reformentur pillulæ in forma plana cum ſyrupo myrtino ſub lingua. &c.

Ad uentriculum, & aluum imbecillia facta.

SPecies diagalangæ, ſpecies aromatici roſati, pulueres diadraganti frigidi, de quolibet drach.ii. accipito. quibus tantum ſacchari comiſceto, in aqua menthæ diſſoluto, quoad expedit pro globulis conficiendis. Quorum unum quottidie mane capiat, tribus priuſquam comedat horis, ſuper bibendo hauſtum uini albi odoriferi.

Item Recip. ſucci abſinthii, menthæ. ana. Vnc. iiii. uini maluatici. Vnc. ii. ladani, belzuini, maſticis. ana. drach.ii. gariophyllorum, zedoarii, ana ſcrop.ii. olei de ſpica. Vnc.ii. corallorum, iaſpidis ana ſcropul.iiii. bulliant ad conſumptionem ſuccorum, & facta expreſsione ſeruetur pro unctione ſtomachi.

Item Recip. olei de abſinthio. Vnc. iiii. ſucci fumi terræ. Vnc. VI. uini albi lib.i. bulliant ad ſpiſsitudinem, & facta expreſsione ſeruetur pro unctione alui. &c.

AD IECORIS IMBECILLITAtem, & timorem de aqua inter cutem: &c.

REubarbari drach.iii. accipito. ſpicæ gran. unũ & med. Iecoris lupi. Vnc. iii. paſſularum ſine oſsibus. Vnc. VI. ſumito, & omnia ſimul optimè contundito, & huius mixturæ. drach. iii. alternis diebus D. S. edat.

Item aſplenum, & eupatorium, de quolibet drach. ii. accipito, & in unciis nouem iuris pullæ ſine ſale ebullito, quoad tertia conſumatur pars, reſiduumq́ tepidum, modico ſacchari addito. D. S. in diluculo exhibeto.

Item plerunq; D. S. uentriculo non pleno mandat, ingurgitetq́ apophlegmatiſmi ſuccum inſcriptæ mixturæ. Reubarbari. ſcropul.ii. paſſularum abſque oſsibus drach.i. accipito, & totum mandendum exhibeto, mox uerò maſticatione peracta, capiat hauſtum uini albi odoriferi, minima portione endiuiæ aquæ permixta. &c.

AD

Ad calculos renum dolore conſocio.

HIberno, ac autumnali tempore bis unius ſeptimanæ tempore diluculo infraſcriptam ingurgitet D. S.. bolum. Iuſtini optimi drach.ii.ſacchari uiolacei drach.unam & med.accipito, & bolum conficito.

Item eiſdem tēporibus aſsiduet D. S. ingurgitare Vnc. med. terbenthinæ perlucidæ in diluculo cum aqua uiolacea lotæ. &c.

AD ARTICVLARES DOLORES, ET THO- racis grauitates,& ad timorem caſus in ægritudines cerebri. Quales epilepſia,apoplexia,paralyſis, uertigo, & huiuſmodi.

PRæſidium his admodum utile,ſequens aqua conducit. Radicum acori.lib.ii.Pæoniæ. lib.med. galangæ, zedoarii, de quolibet. Vnc.unā & med. Iuæ,centaureæ minoris, ſaluiæ,maioranæ,ſtæcados,betonicæ, roriſmarini, pulegii, calamenti,polypodii, polii,folii,de quolibet. manip.i.roſarum rubearum, baccarum myrti, cuiuslibet. manipul. med. omnia hæc craſſo modo contundantur, atque in ducentis libris uini albi potentis,& odoriferi fundantur ſpatio temporis dierum trium, demum uinum coletur, uiolenta, & forti facta expreſsione,& in uitreo alembicco uinum ponatur, & diſtilletur aqua, cui adde nucis myriſticæ, macis, gariophyillorum, cinnamomi, maſticis,zingiberis, de quolibet craſſo modo rupto. Vnc. i. trahe moram per diem naturalem, demum per alembiccum iterato diſtilla aquam, & uſque ad nonam diſtillationem eandem diſtillabis aquam.Remanenti uerò aquæ ex nona deſtillatione permiſceto foliorum auri numero centum. foliorum argenti numero. L. omnium fragmentorum, de quolibet drach.ii.Margaritarum. Vnc.med.omnia pulueri zanda in ſubtiliſsimum conduces puluerem, & iteratò uicibus duabus eandem deſtillabis aquam. Vltimo uerò de-

ſtillatam aquam cum moſcho, & ambra aro matizabis, & ſic habebis diuinum Eliſir uitæ, cui uolo D. S. Reuerendiſſimam tantam adhibere fidem, ut omnino ab eo ſanari habeat, & à futuro longe malo prohiberi.

Modus uſus eliſir uitæ eſt, Mane priuſquàm uentrem impleat, diluat ſibi D. S. omnes colli ſpondylos, atque thoracis muſculos, & plerunque artus ſibi madefaciat. Quippe per tres ante matutinum cibum horas, ſorbeat potum hunc. Aquæ ſaluiæ, aquæ endiuiæ, cuiuslibet. Vnc. med. Eliſir uitæ guttas quinque, miſce, & potui dato.

Item admodum D. S. præſeruabit à futuris morbis, & præſentes curabit, Ducia aquæ cadentis ab alto.

Item Recip. ſem. citrii. Vnc. i. radicum aſari. Vnc. med. calami aromatici, cinnamomi ana drachm. ii. ſpicæ nardi. drach. i. aquæ iuæ, lib. ii. bulliant ad medietatem, & facta expreſsione, cum ea miſce olei de ſpica lib. med. ladani, belzuini ana. Vnc. med. maſticis drachm. ii. & iterum bulliant, & colentur, facta expreſsione, cui addatur ambræ. ſcrop. & ſeruetur, & ungatur collum, & dorſum.

Item capitis ablutio ad hæc nobile iuuamentum præſtabit, ſic. Lixiuium dulce conficies, in quo ebullito ſaluiam, betonicam, ſtæcadem, aſarum, maioranam, chamæmelum, roſam, mirti baccas, citinos ex quo D. S. caput diluet, mox uerò eo lixiuio capite diluto, ſemel leui quadam dilutione caput diluat uino albo mediocris facultatis, quippe tempus ablutionis ſit ſpatium duorum menſium, quia ad hanc non aſſueta eſt D. S. Reuerendiſsima.

Item Recip. Lixiuium ex cinere betonicæ, & aqua betonicæ, in quo bulliat aliquid ex ſemine myrti, pro lotione capitis. Vtatur autem ſequenti ſapone, cum abluitur caput Recip. ſaponis damaſceni. Vnc. iiii. agarici boni. Vnc. i. ladani. Vnc. med. gariophyllorum ſpicæ nardi ana drach. i. miſce cum oleo myrtino quant. ſuffic. ut fiat ſpiſſamentum durum.

Poſtremo

Poſtremo poſſet quis interrogare, ſi quippe his, quæ prædiximus, nullum aperte iuuamentum laboranti ſuccedat, an aliquam illius corporis particulam urere idoneum ſit.

Nempe neminem ambigere uellem, quod opus illud, quod urendo manu poſita à nobis efficitur, poſtremum medicinæ priſci appellitant. Porrò ſi his, quæ de uictus ratione præcedente ſermone conſcripta ſunt, nullum D.S.Reuerendiſsima præſidium palàm concapeſcat, minuſq; his medicamentorum potionibus, indubitato iubeo, duas, uel alteram earũ particulas urere peridoneum fore, Quippe ſit prima in contextura coronali, & in loco opportuno, ſed. abſit. Dico tamen quod à me expertum eſt, ſi deorſum in cruribus à genu ſanè diſtanter ſpatio digitorum quattuor inter duos illius muſculos cauterium conducatur, inſigne iuuamentum D. S. aſſociabitur. Quippe & hæc uia eſt ad præſentes morbos D. S. curandos, & futuros præcauendos. Nempe enim hac uſtione facta, humores, qui neruoſas corporis partes occupant, ad exteriora eo foramine ducuntur, & euacuantur. auctore Galeno ſexto Epidemiorum libro, ad illius bene merentis gloriam, qui nos gubernat, & cuſtodit. Amen.

Initum eſt conſiliũ in Patauino gymnaſio M D XXXV. XXIIII. Septembris, & ex omnium doctorum conſenſu à Benedicto Victorio Fauentino æditum.

PRO RESPONSO AD QVAEDAM INTERROGATA ab Illuſtriſsimo & Reuerendiſsimo Cardinali Tridentino.

Conſilium II.

QVæſitum fuit à nobis in diſpoſitione præter naturali, qua Illuſtriſsimus & Reuerendiſsimus Cardinalis

lis Tridentinus in præſentiarum, & in certo præteriti tem poris ſpatio corripitur, & corripiebatur: An.D. S. balnea apponenſia ſint conuenientia,& proficua. Quod ſi conuenientia fuerint, quæſitus eſt modus, & uictus ratio,& tempus, quibus Reuerendiſsima D. S. prædictis balneis debeat ſe ſubmittere.

Huic nos uno animo,unoq́ꝫ conſenſu ſatisfacimus petitionibus D. S. Reueren. Primo quippe dicimus, quod prima ſtante affectione,qua iam ſua.D. tenebatur,ſtantibusq́ꝫ eiſdem ſymptomatibus: qua, & quibus alias tenebatur, cum Conſilium S. D. condonauimus, & in præſentiarum eiſdem aliquantiſper adauctis aliis quidem affectionibus, ut habuimus ex relatione doctiſsimi medici, & benè experti Remigii ſanitatis. S. Reuerendiſsimæ.D. moderatoris nouiter.D. ſuam corripientibus. Hæc dicimus intrepida fronte balnea Apponenſia eſſe illi conuenientia, & forſitan neceſſaria,propter ea quæ in conſilio alias habito à nobis dicta ſunt. Et quoniam dixit Ariſto. in problematibus balnea calida naturalia eſſe ſacra, ſi cum debitis modis, & requiſitis conditionibus aſſumantur, ſic & nos nullo ducti errore conſulimus D. S. Reuerendiſsimam debere balnea prædicta aſſumere, obſeruatis omnibus modis,omnibusq́ꝫ conditionibus, quas nunc D. S. referemus, ſicut & retulimus aperto ore Remigio doctiſsimo medico D. S. Reuerendiſsimæ.

In primis igitur cum balnea ſacra ſint, cum ad ea immediatè præceſſerit corporis totius purgatio. Perdunt autem nomen ſanctitatis ſi ſine præcedente purgatione homines ad ea impetuoſe ſe exponant. Ideo dicimus D. S. antequam illa balnea aggrediatur, conuenienti purgationi debere ſubmitti. Et quoniam tempus aggrediendi huiuſcemodi balnea apponenſia eſt à medio Aprilis uſque per totum Iunii menſem: ideo dicimus quod tempus ſuæ purgationis initium capere debet à medio Aprilis, uel à. XX.

eiuſdem

eiuſdem diebus, ita quod conſideretur à ſuo experto medico purgationem debere terminari, ut ad minus Reuerendiſſ. D.s. in principio menſis Maii reperiatur in balneis. Demum dicimus, quod cum apud Tridentum D. S. non fuerit immunis ab arduis negotiis, & à curis publicis præuaricantibus & ordinem purgandi, & operationes medicinarum, laudamus cum uoluntate S. D. ut purgationem apud nos propè balnea apponenſia ſecurius capiat, cum immediatius purgato corpore ſe exponet ipſis balneis.

Vbi uerò D. S. Reuerendiſsima hilariori animo apud Tridentum purgationem ſuſcipere coniectaretur, & uelit, obſeruet tamen quod certè obſeruandum eſt, quod poſt quattuor dies ad plus balneis apponenſibus adhæreat, obſeruetq́ D. S. Reuerendiſs. curare, ut eo etiam in tempore manſionem non trahat propriam in loco, ubi balneorum apponenſium aquæ ſcaturiunt, quoniam aer ibi non eſt illius ſinceritatis, quam omnino cupimus pro ſua Dominatione. moretur igitur in loco conuenientiori, tum propter aerem, tum propter meliora, & iucundiora hoſpitia, uidelicet apud uillam dictam de Abano, à loco balnerum diſtantem per medium miliare.

Demum dicimus, Quòd S. D. obſeruet ſequentem modum aſſumendi balneum, orto enim ſole à propria manſione D. S. Reuerendiſsi. conducatur ad locum aquæ, & in primis duobus diebus ad plus, quoniam potus aquæ balnei naturalis eſt diſpoſitioni gallicæ contumax, bibat ſexdecim pocula uſque ad uiginti dictæ aquæ, & hoc ratione ſolius præparationis ad duciá, & euacuationis à uiis latis.

Quod ſi commodiori etiam modo. D. S. eam illis duobus diebus bibere uoluerit, ad propriam manſionem quolibet mane faciat ſibi aquam deferre, & in cubili ſuo bene clauſo, ne uento turbetur, bibat aquam ſic. Bibendo inquam ſtet D. S. erecta, & cyathum primum propria caliditate calidum, quodammodo lambendo ſenſim deglutiat,

tiat, poſt uerò immediate ſemel ambulet per cubiculum, & ſic capiat ſecundum poculum, ſic præciſè procedēdo quouſque poculorum prædictum numerum finiat, & ſic partim ſedendo, partim per cubiculum deambulando, D. S. quinque moretur horis, uel quattuor ad minus, deinde prandeat.

Prandium autem ſuum ſit panis madefáctus in iure pullæ, uel tritus panis in eodem iure, comedatq; pullam unam, uel de carne hædi, & nihil aliud, niſi ſi poſt prandium D. S. uoluerit Pineas mundas, comedere poterit, & ſit eius uinum album, aut medii coloris pauciferum tamen. Poſt prandium uerò D. S. lætetur, & gaudeat cum lætantibus, & gaudentibus, & nullo pacto dormiat, cum ei ſomnus diurnus admodum nocuus ſit, tum quia potus aquæ balnei non admittit, neque etiam diſpoſitiones præter naturam, à quibus D. S. tenetur.

Veſperi uerò per horam ante cœnam, quæ erit uigeſima tertia hora poterit D. S. corpus ſuum exercitare, uel deambulando, uel equitando, permittente aeris diſpoſitione. Et in eadem hora, qua D. S. bibit aquam ſit benè induta ueſtibus, & aliquibus pellibus, ut corpus calidum tunc ſeruetur, quoniam erit & ipſius aquæ completior operatio. In hora uerò prandii exoneret ſe à prædictis ueſtibus, & ſic duobus diebus D. S. continuet potum aquæ, & non plus.

Tertia uerò ſuccedente die D. S. poſt primam diei horam, idoneo tempore exiſtente non pluuioſo, orto iam ſole, ſe exponat duciæ aquæ cadentis ab alto ſecundum idoneam menſuram altitudinis, quam optimè obſeruabit Barbitonſor aſsiſtens balneis, capiatq; eam in commiſſura coronali non admodum calidam, ſed quantum D. S. Reuerendiſsima poterit tolerare, & in primis illis diebus cum ſubtiliori cannula, & ſic gradatim ſexto quoque die permutet cannulam de minore ad maiorem.

Tempus

Tempus autem quo ſub ducia debet D. S. immorari, eſt unius horæ, uel paulo minus, ſecundum quod D. S. poterit tolerare. Hunc tamen obſeruet modum, quod pluris temporis ſpacio mane ſubmittatur Duciæ, quam uеſperi. Demum poſt Duciam ingrediatur S. D. lectum calidum, & pannis calidis bene abſtergatur, & ſic nō dormiendo quieſcat per dimidium horæ, uel per duas tertias horæ, induatq́ poſt ſe ueſtibus ſuis, & ad ſuam redeat manſionem, & per tres horas poſt capiat prandium ſuum, quod poterit eſſe ex carne pullorum gallinaceorum, uitulina, uel hædina, in moderata quantitate. Poteritq́ S. D. tempore Duciæ, & non potus aquæ, comedere ultra carnem aliquantum elixatam modicum de eiſdem carnibus toſtis, & ſit eius potus ut diximus. Poſt prandium uerò D. S. non dormiat, quoniam ſomnus omnino ei noxius eſt. Veſperi uero hora. XXI. capiat Duciam iterum, uel in minori uel æquali tempore ut de mane, & hora. XXIII. cænam ſuam capiat ex eiſdem rebus quale fuit prandium, parcius tamen, & multo parcius, quando S. D. bibet aquam, quoniam tunc temporis uellem duobus ouis recentibus in aqua elixatis cum pane diluto in iure pullæ contentum eſſe, & nihil aliud D. S. capere uelim, niſi potum ex prædicto uino. Vbi uerò non fuerit inſigne incommodum D. S. iubemus, quòd aliquando Duciam ipſam capiat in poſteriori cerebro, & in brachio læſo, & in crure, quoniam plus magnificamus Duciam in prædictis locis, quam quòd D. S. in balneo diluat ſibi totum corpus.

Tempus autem, quo D. S. debet ſubmitti Duciæ eſt. XXV. dierum tempus, bis in die, mane. ſ. & ueſperi, iuxta modum dictum eam capiendo.

Quòd ſi non fuerit ualdè incommodum D. S. omnium noſtrum intentio fuit, quòd de prædicto tempore quindecim diebus continuis capiat Duciam balnei de Abano, pro decem uerò ſequentibus diebus capiat Duciam Sanctæ He

lenæ, quoniam hæc ſui uigentiore uirtute inducit formã, illa uerò ſui familiari, & domeſtica uirtute præparat, ad formæ inductionem. Eodem quippe obſeruato modo in Ducia Sanctæ Helenæ, qualis obſeruatur in balneo de Abano, obſeruet ꝙ D. S. Reueren. quòd ſi fortè fortuna (quod deus auertat) in febrem aliquam, uel in dolorem capitis, uel in aliquam aliam malam affectionem caderet, proculdubio abſtineat ſe ab omni balneorum uſu, quouſque ab illis affectionibus D.S. releuabitur, obſeruato tamen. quòd tot diebus, quibus intermiſerit Duciam poſt. XXV. diem morem gerat, ut compleatur numerus uſque ad. L. Ducias. Et aduertat D. S. quòd aqua cadens ab alto maiorem facit impreſsionem, ſi ſit plus diſtans à capite D. S. quam magis propinqua, quoniam effectum ſuum non compleret. Et quoniam plerunque ſuſtinens Ducias ad immoderatam ſitim peruenit: ideo laudo, quòd D. S. extra tempus ordinatæ cibationis non bibat uinum, ſed aquam endiuiæ cum modico Iuleb roſati bibat.

Et quoniam plerunque ſupprimitur aluus ſuſcipientis Duciam, ita quòd ipſius beneficium quotidie habere non poteſt: laudamus, ut aliquando ei imponantur clyſteria ex aqua balnei, cum drach. VI. hieræ picræ, & zucchari, & oleo comuni, & uitello oui, & ſale. Vbi uerò D. S. Reuerendiſsimæ contigerit (ſicut & multis accidit) quòd præ uirtute calefactiua ipſius duciæ eliquentur humiditates aliquæ, delegatæ oculis, uel gutturi, ne impreſsionem aliquam in illis membris figant: laudamus, quòd cum D.S. Reuerendiſsima ſubmittitur Duciæ, aliquando diluantur oculi cum aqua roſata, & continuè in eadem hora teneat zuccharum candum in ore lambendo, & quia plerunque caliditas illa communicatur hepati & renibus, ne ex eorum adaucta caliditate ad cerebrum effumante, concreſcat catarrhus: laudamus quolibet mane poſt Duciam dicta membra D. S. cum unguento roſato Meſue, uel unguento

ſandalino

ſandalino inungatur. Nempe caueat D. S. eo tempore, quo ſubmittitur uel potui aquæ, uel Duciæ, nequaquā aliam contangat aquam frigidam, ſed manus diluendo, utatur aqua thermarum, uel dulci aqua tepida. Caueat quoque D.S. ne uinum potet in aqua aliquanto tempore infrigidatum, quoniam tale uinum, ultra hoc quod opponitur aquæ balnei, perturbat omnia membra naturalia à ſuis naturalibus operationibus.

Porrò purgatio, qua D.S. uti debet, ante quam ipſa thermis exponatur, ſit ut infra.

Primo D. S. Reuerendiſsima in orto ſolis capiat infraſcriptam bolum. Recip. floris caſsiæ nouiter tractæ drach. IX. ſpecierum hieræ ſimpl: drachm. ii. pulueris betonicæ drach. med. miſce, & fiat bolus cum zuccharo.

Sequente uerò die per ſeptem dies continuos prope diluculum capiat infraſcriptum ſyrupum.

Recip. oxymellitis ſimpl. ſyrupi de betonica, ſyrupi de endiuia, mellis roſ. col. ana. Vnc. med. Aquarum betonicæ, lupulorum, bugloſsi. ana. Vnc. i. miſce. Quòd ſi hic ſyrupus D. S. non ſatisfecerit, facile uti poterit uel decoctione aliqua per totidem dies, uel altero ſyruporum, quod à nobis ordinatum fuit in Conſilio noſtro.

Octaua uerò accedēte die per horam ante lucem capiat infraſcriptas pillulas. Recip. pillularum de agarico Meſue, pillularum cochiarum. ana. drachm. i. pillularum de hiera Nicolai drach. med. miſce, cum ſyrupo de ſtæcade, fiant pillulæ numero. v. Vel capiat aliam medicinam quæcunque fuerit illa ſecundū quod in Cōſilio ſermonem habuimus. Purgato uerò corpore D. S. ſe exponat balneis ſecundum modum iam præſcriptum, laudamus tamen, ut in tempore quo D.S. Reuerendiſsima Duciæ ſubmittitur eo in tempore, quòd eſt tempus. XXV. dierum, bis capiat ſequentes pillulas, per horam ante lucem, uidelicet tranſactis primis. XIII. diebus illius temporis ſecunda uerò uice finitis

omnibus duciis. Recip. agarici trociſcati drach. med. pillularum de hiera Nicolai. ſcropul. ii. miſce cum ſyrupo uiolato fiát pillulæ numero quinque: laudamus tamen, quod facta uentris lenitione, & aſſumptis tribus de prædictis ſyrupis D. S. Reuerendiſsima utatur appoſitione trium hirudinum uenis hæmorrhoidum, quoniam maximum iuuamentum, maximamq́; præparationem afferunt corpori exponendo thermis naturalibus. &c.

ADHVC IN REGIMINE, Et tutela ſanitatis Reuerendiſsimi & Illuſtriſsimi D. Domini Bernardi Cleſii Cardinalis Tridentini fuimus interrogati. Primo qua uictus ratione uti debeat ſua Reuerendiſsima & Illuſtriſsima D. cum a balneorum adminiſtratione expedita fuerit, & per quantum temporis ſpacium poſt balneorum dictam adminiſtrationem aſſequì debeat illam uictus rationem.

Huic dico, quod omnium balneorum naturalium, quorum minera ſulfurea, & aluminoſa eſt, uel alterius ſunt mineræ calidæ, ſiue potu, ſiue Ducia, eorum fiat adminiſtratio, uictus ratio duplex eſſe debet, una breuis, ſeu tenuis ualde & eſt, ut per totidem dies candem uictus rationem in cibo, & potu, & aliis rebus non naturalibus. obſeruet ad unguem, per quot D. S. Reuerendiſsima ſe ipſam ſubmiſit adminiſtrationi balneorum dictorum. Igitur excellens Remigius D. S. Reuerendiſsimæ medicus computatos habeat dies, quibus D. S. adminiſtrata fuit Ducia. Si quippe dies adminiſtrationis Duciæ fuerunt decem, uel duodecim, uel alio certo numero, tunc regatur diæta eadem per tot dies, qua in adminiſtratione Duciæ D. S. regebatur, & huius cauſam demus, quoniam natura poſt adminiſtratum balneum adhuc occupatur à materia mota per balnei adminiſtrationem, & nondum diſſoluta, ne igitur natura retrahatur ab operæ diſſoluendi reſiduum materiæ motæ, & non ſolutæ, non grauetur largiori uictus ratione, ob quam rem laudamus, immo præcipimus, quod

itineris tempore, quo D. S. Tridentum petierit, nullate-nus diætam alteret, ab eo, quod in balneis obſeruauit, iubemuſque, ut hanc anguſtam uictus rationem, quo-niam in itinere D. S. non complebit: cum moram domi trahet, eam procuret, ea quippe regatur, & eam exquiſitè obſeruet. Et hanc anguſtam uictus ratio-nem Reuerendiſsimæ D. S. condonauimus, cum iam regimen adminiſtrationis Balnei Apponenſis conſcri-pſimus.

Deinceps altera accedit uictus ratio, maiorem latitudi-nem obtinens, cuius terminus erit ſpacium temporis duo-rum futurorum menſium à termino dictæ anguſtæ diæ-tæ, & in ea cibaria ſint eiuſdem qualitatis ſcilicet to-ſta, elixaque, & eiuſdem modi ſubſtantiæ ſcilicet faci-lis concoctionis; & optimi nutrimenti, ut de quadru-pedibus D. S. euitet carnes ferocium animalium, ut bubula caro, ſuilla, ceruina, capreoli, & caſtrati anti-qui. Et eo quippe tempore D. S. Reuerendiſsima ue-ſcatur quadrupedum carnibus, quæ per ſuum modum ſubſtantiæ facile concoctioni obediunt, atque natura-les facultates non grauant, ut inde facultas animalis in-columis reddatur, quæ ob balnei aquam ab alto caden-tem, & coronalem commiſſuram, atque poſterius cere-brum percutientem, ſatis perturbata, atque imbecillis facta fuit. Carnes ſunt uituli lactantis, hædi, leporis, & cuniculi iuuenis, & caſtrati anni unius nati, de auibus ſunt phaſiani, perdices, frigellæ, turtures, pulli columborum, capones, pulli gallinarum, turdi, merulæ, ficedulæ, & oẽs auiculæ in arboribus, nemoribus, & pratis, præſertim mõtanis habitãtes. In eodẽ quoq; lata diæta, oua recẽtia in aquis elixata, & tremula, uel ſorbilia cõueniũt, ſicut & eadẽ concedimus D. S. tempore anguſti regiminis, in eadem quippe piſces, non quidem crebro conuenientes, & non ad ſaturitatem, ſunto piſces omnes ſaxatiles, qui maximè

in torrentibus ueſcuntur, de quibus ſunt temoli. optimi enim ſunt, & recentes trutæ, & carpiones, marſiones autẽ, & lampredæ minus D. S. Conueniunt. Piſces uerò de libero mari non grandes in eodem lato regimine conueniunt, ut barbones recentes, atque ſardones, & arbores, ſtu rionesq́; omnes uerò piſces ſordidos, & cænoſos, atque ſtantes, & lacunoſas aquas habitantes, ut anguillæ, tenchæ, lucii, ceuali, ſunt D. S. contumaces, fructus uerò omnes caueat, præter ceraſa benè matura, & ficus benè maturas, & uuas, & melones, de quibus moderato uſu eſitare poterit, & fraga.

Secundo fuimus interrogati, an aliquo medicamento poſt balnei adminiſtrationem D.S. Reuerendiſsima uti debeat intus, & deforis, aliisq́; ſequentibus temporibus. Huic dicimus, Quòd cum ratione coniungitur materiæ aliquam portionis quantitatem motam fuiſſe, quæ neque euacuatione naturæ, neque Ducia fuit propulſa, diſſolutaq́;. Ideo conſulimus D. S. Reuerendiſs. cum domi biduo ea quieuerit, ut prope diluculum capiat ſemel infraſcriptas pillulas.

Recip. pillularum cochiarum, pillularum maſticinarum conciliatoris, pillularum de hiera Nicolai. ana. ſcropul. unũ miſce cum ſyrupo uiolato fiant pillulæ numero quinque.

Sequentibus uero temporibus, conſulimus Reuerendiſſimam D. S. in regimine medicinarum eo præciſe modo in omnibus anni temporibus regi debere, quem iam in noſtris Conſiliis D. S. dicatis conſcripſimus, cõſuluimusq́; tam intus, quàm deforis, ad quæ conſilia in totum intentiones noſtras conferimus.

Tertio fuimus interrogati, quo nam modo D. S. Reuerendiſsima debeat ſe regere, & gubernare in itineribus, & peregrinationibus, laboribus, & curis, atque ſollicitudinibus &c. Huic dicimus D. S. Reuerendiſsmæ omnino

exercitio

exercitio ſubmitti debere, propter commoda, quæ illi ex exercitio contingent, quanto autem exercitio, & qua hora uti debeat, recurrēdum eſt ad magnum Conſilium pro D. S. à nobis peractum, dum tamen itineribus, & peregrinationibus morem gerat, iubemus D. S. longe fugere æſtum, & in eo non equitare, ſanè enim id nocuum eſt D. S. Reuerendiſsimæ cum ipſa ſit multarum humiditatum, quæ à magno æſtu in toto corpore facile eliquari poſſunt, & cerebrum grauare & origines neruorum replere, atque neruorum cauitates, quibus repente timetur D. S. poſſe cadere in apoplexiam, & paralyſim, & etiam calore æſtus membra eius naturalia inflammabuntur, quæ caliditatem cerebro difflantia promouebunt humiditates cerebri, irruentęq; ad membra inferna facultatem eorum motiuam lædentia. Quo fit, ut D. S. in his membris ſtupore, uel paralyſi occupetur, iubemusq; D. S. magnum aufugere algorem. Caueat igitur ab equitatione, & motu hiberno tempore, ob quod caueat D. S. per loca deambulare niuoſa, & ualde frigida. Quoniam D. S. Reuerendiſſ. admodum cerebri, & neruorum affectionibus tenetur. Quantum autem frigus cerebro, & neruis noxium ſit, nullus dubitabit, qui quintum Hippocratis aphoriſmorum leget. Nos igitur illa fideli ſeruitute moti, quam erga D. S. Reuerendiſsimam tenemus, eam ſupplicamus, ut his temporibus magni.ſ.æſtus, & algoris ab omni itinere, & peregrinatione quieſcat. Aliter putamus D. S. propriam deſperare uitam. Quod dii boni caueant.

Conſulimus igitur D. S. hiberno tempore loco temperate calido ſe exponere, & in eo ueſtibus ſe modeſte munire, tuericq; locum, ne frigiditate inſigni aeris occupetur, ob quam rem ſemper in cubiculo ſuo eodem in tempore aliquid ignis accedatur ex lignis lauri, iuniperi, roriſmarini, & laricis, & cum animaduerſione, & cautela de die locum illum exeat, igitur in exitu de die muniat ſe ueſtibus,

bus, caputq́ modeſtè defenſet. De nocte autem iubemus hiberno tempore D. S. nullatenus diuo ſe exponere, cum eis mala qualitate, & manifeſta frigiditate facile totũ eius corpus irruere in lapſum poſſet incorrigibilem. Conſulimus quoque ob hæc D. S. Reuerendiſsimam non immorari diu in loco hiberno tempore, in quo non poſsit aliquando igni ſe exponere, cum D. S. frigoris tolerantia ſit infeſta, atque pernicioſa.

Caueat quoque D. S. ne diu moretur tempore magni æſtus, in loco, in quo ſit perflatus aeris defectus, uel in quo multitudine flatus hominum aer conturbetur, hic enim aer D. S. ſatis contumax eſt, & rebellis.

Et ob hoc D. S. Reuerendiſsima caueat magni algoris tempore, ne moram trahat in loco, ut in feneſtra, ad quã perflat uentus frigidus, ne ſui frigiditate exprimente excitetur diſtillatio à capite ad inferiora membra, quæ etiam à uento calido colliquante facile progigni poterit.

Ob eandem quippe cauſam D. S. Reuerendiſsima iam graueſcente ætate à laboribus, & laſsitudinibus corporis cauere debet, quoniam natura ex ætate grauata tantum fiet imbecillis, quòd uirtutes corporis ad ſua opera diſpenſare non poterit, A curis quippe, & ſollicitudinibus D. S. cauere debet, illæ enim ſunt, quæ noſtra corpora exterminant, & natiuam ſanitatem corrumpunt, ut ait Galenus tertio artis medicæ: illis quoque curis, & ſolicitudinibus, atque uigiliis ſuperfluentibus facultas animalis fit imbecillis, non potens diſpenſare ſpiritus motiuos, & ſenſitiuos ſuis organis, quo fit, ut uirtus membrorum particularis motiua deficiat, & ſenſus tenebreſcant. Et niſi D. S. ab his immodicè factis ſe gubernare ſciuerit, certè illi imputabitur in re uitæ ſuæ.

Vbi uerò D. S. Reuerendiſsima illis curis, laboribus, & ſollicitudinibus, atque peregrinationibus ad ſtricta fuerit, minus ei nocua tempora, erunt uernale, & autumnale tẽ-

pus,

pus, his quidem ſuam naturam ſeruantibus. Quo'd ſi alienam naturam induant, ea etiam euitanda ſunt tempora, tanquam naturæ ſuæ aduerſa, & contumacia.

Conſimiliter loca minus nocua in his peragendis curis, uigiliis, atque ſollicitudinibus ſunt, quæ mediocris ſunt temperaturæ, ut uidelicet non ſint acerrimi caloris, & intenſi algoris, & putreſcentis humidi. Quæ loca Germaniæ maximè D. S. ſatis conſtant, & loca contrariæ temperaturæ tanquam falſum fugiat amicum, ſunt enim ueluti Tyrannus, qui ſemper alterius bona tollit.

Quarto fuimus interrogati, cum plurimi cibi D. S. Reuerendiſsimæ prohibendi ſint, qui eorum minus uetari debent, ut minus ab his D. S. lædatur, & à tali læſione facile leuari poſsit, uel beneficio naturæ, uel auxilio operis medici.

Huic dicimus primo. Quo'd piſces omnes ſunt D. S. cõtumaces cuiuſcunque fuerint condimenti, ſunt enim à tota natura larga humiditate abundantes ei noxia: minus tamen mali ſunt piſces elixati, condimento parati, cum hyſſopo, ſaluia, betonica, iua, roremarino, & ſimilibus, & ii maxime piſces ſunt D. S. minus nocui, qui propriis nominibus dicti ſunt, cum primo dubio ſatisfecimus. Nempe piſces omnes ſalitos, nocuos, peſsimosq; D. S. pronuntiamus, propter illud dictum Galeni ſecundo de compo. med. s. l. capite. XVIII. ubi ait, ſal enim moleſtum eſt, & maximè in cerebro, minus enim ſunt D. S. nocui. Piſces ſaliti, quos ſupra conceſsimus recentes, & ſine ſale D. S. minus inconuenire. Quibus addo ſalitos ſardones & enchiouæ ianuenſes, & oua Tarachi .i. botarghæ, & ſturionem ex Danubio ſalitum, & tarantellum, & arengas, & ſalitas trutas, atque ſaxoſas, & carpiones modico ſale cõfectos.

De carnibus autem, & omnibus aliis edulis, quæ ſunt D. S. Reuerendiſsimæ conuenientes, & minus indecentes,

& de fructibus longiori ſermone diximus in conſulto noſtro magno iam pro S. D. conſcripto, ad quod conſultum decurrendum eſt,& addo, quòd omnia condimenta de paſta azyma ſunt D. S. non idonea, immo admodum contumacia,minus uerò nocua ſunt, quæ minorem paſtæ quantitatem tenent, ſicut laganæ, quæ ex modica farina,& medulla panis triti, & uitello oui conficiuntur, & ſimilia.

Quinto uenimus interrogati, qui potus ſunt D. S. Reuerendiſsimæ minus nocui, ad infeſtam ſitim ſedandam, in ſpacio temporis medii, inter prandium,& cænam.

Huic dicimus, tunc temporis nullatenus bibendum, quoniam cibus natabit in ſtomacho, & eius uirtus concoctrix adeo imbecillis fiet, ut cibum parare ad futurum nutrimentum minime poterit, & ſi facultas concoctrix fortis exiſtat, ob tamen obiectum fluidum eſſe,ut non conuenit, uirtutis actionem recipere non poterit.Quo fit,ut relictum ab opere naturæ uertatur in ſuperfluum S. D. ualde infeſtum. Vbi uerò ex acquiſita natura D. S. Reuerendiſsi. cogeretur bibere, uel infeſtanti ac intolerabili ſiti afficeretur,conſulimus de altero trium potuum. Primus eſt, ne ſui antiquata aſſuetudo repente tollatur,bibat S.D. aquam uinatam parcè quidem, & ſenſim lambendo, non enim propter potum paucum natabit cibus in ſtomacho,& quoniam ſenſim fit, natura ei magis aſſueſcet, & ſitis extinguetur, & ubi D. S. ſic potando crebro potu utatur, nihil nocui accidet ei, tum quia natura potum illum corrigere ualebit,tum quia ſui quantitate non reddet cibum fluidū.

Secundus potus eſt hydromel ſimplex pauci mellis, & non multæ decoctionis.

Tertius potus eſt. Recip.aquæ fontis claræ lib.x. uini albi odoriferi lib. i. uini granatorum medii ſaporis, malo odore nō affecti lib.med.zucchari albiſsimi clarificati lib.i. omnia ſimul bene miſce & agita, deinde pone in colo lineo raro,& ſtilletur liquor, qui uſui ſeruetur.

Sexto

Sexto fuimus interrogati, an in comuni potu D. S. Reuerendiſsimæ minus nocuum ſit potare uinum in aqua refrigeratum, an frigidæ aquæ permixtum.

Huic dicimus primum, quod uinum in aqua refrigeratum humanæ naturæ maxime nocuum eſt, quoniam uinum ſic infrigidatum trahit ad ſe naturam aquæ cum extrema, & ſumma refrigeratione, ob quod concoctricem ſtomachi dilaniat, & membrorum facultates ſopitas reddit, & hoc admodum contumax eſt D. S. Reuerédiſsimæ. uinu ia refrigera Nocuum

Dico ſecundum quod uinum aqua frigida per puſillũ, tamen temporis mixtum, & naturæ humanæ, & S. D. Reuerendiſsimæ peridoneum eſt. Sic enim uinum trahit ad ſe naturam aquæ, & aqua ad ſé trahit naturam uini, propter primum, tale uinum non percutit cerebrum, propter ſecundum uero nõ nocet ſtomacho, & non ſit eius uinum, quo utitur occaſione cibi lymphatum, quoniam nocet ſtomacho, ut dixit Galenus ſecundo de ratione uictus acutorum commento. XIX.

Septimo petitur, ſi D. S. Reuerendiſsimæ in eadem menſa uinorum diuerſitates ſint conuenientes.

Huic dicimus, quoniam natura minus laborat, atque fatigatur in id operando, quod eſt uniforme in modo ſubſtantiæ, & in partibus ſuis, atque in qualitate: admodum uero laborat, laſſaturq́ uatura in id operando quod difforme eſt in ſubſtantia, in ſapore, in colore, & in qualitate actiua, ideo diuerſitatem uinorum, in eadem menſa uituperamus, damnamusq́.

Octauo interrogamur, ſi D. S. Reuerendiſsimæ uinum dulce ſit conueniens, ſitque eidem uinum nouum, ſeu muſtum idoneum. Huic dico, quod uinum dulce craſſum, & auſterum D. S. infenſum eſt, ſua namque dulcedine ab epate, & membris amplexatum eorum meatus obſtruit, & ad genera morborum corpus præparat, qui ab oppilatione originem trahunt, ut dixit Galenus in libro de ratione

uictus attenuante. Vbi uerò D. S. Reuerendiſsima dulci uino delectaretur, dicimus uinum dulce mediocris dulcedinis, tenue album, pauciferum, & odoriferum in una menſa ſemel conuenire, id enim uinum præter id, quod non percutit caput, ut dixit Galenus tertio de ratione uictus acutorum, etiam non parat ad oppilationem incorrigibilem, & pituitam in canalibus pulmonis hærentem incidit, atque diſſoluit, ut ait Galenus quarto de tuenda ſanitate, ſecundo dicimus uinum nouum, turbidumq́; quod muſtum dicitur, à D.S. admodum fugiédum eſſe, ſua enim dulcedine recentur natiua, naturæ amicabili, multum à natura amplexatur, & ſui terrea humiditate, nondum à calore uini natiuo diſſoluta, uel à ſicco terreo nondum ſeparata ad oppilationes irreparabiles conducit.

ũ nouũ
cuum eſt

Nono fuimus interrogati, ſi ſtuphæ, & balnea dulcis aquæ ad mundificationem totius corporis, in omni anni tempore ſint D. S. Reuerendiſsimæ conuenientes. Huic dicimus, quod iſtud condonandum eſt conſuetudini, quæ eſt natura acquiſita, ut ait Galenus ſecundo de temperaturis capite quarto fiant autem ſtuphæ, & balnea, non pleno uentriculo, quoniam periculum eſt, obſtructionem fieri ſecundum epar, ut ait Galenus. XIIII. methodi cap. XVI.

Decimo, & ultimo fuimus inquiſiti in Tutela ſanitatis Reuerendiſsimæ D. S. ſi opus illud, quod urendo manu poſita à nobis progignitur, ſit D. S. conueniens præſidium, atque ſalutare: Huic ſatisfecimus in noſtro magno Conſilio capite ultimo quod iam D. S. Reuerendiſſimæ condonauimus. Eandem tamen ſuper hoc repetemus ſententiam, & dicemus, quòd ubi ex ratione uictus præcedente, & ſcripta, atque ex his conſcriptis in eodem Conſilio medicationibus D. S. nullum apparens iuuamentum, atque ſperatum concapeſcat. Tunc aliquas D. S. corporis particulas urere peridoneum eſt. Quippe ſit

uſtio in contextura coronali ueluti in loco opportuno, ſed abſit. Dicimus tamen quod a nobis expertum eſt pluries, ſi deorſum in cruribus à genu ſanè diſtanter ſpacio digitorum quattuor inter duos muſculos in parte ſyluestri cauterium conducatur, inſigne D. S. iuuamentum aſſociabitur, eo enim præſentes morbi corrigentur, & futuri prohibebuntur. Hac enim facta uſtione, ſi diu aperta feratur humores, qui neruoſas corporis partes occupant ad exteriora illo foramine conducentur, euacuabunturq́. auctore Galeno ſexto Epidimiorum libro, ad Dei gloriam. Amen.

Benedictus Victorius Fauentinus in Gymnaſio Patauino Primarius Theoricus, ex ſociorum conſenſu ſic dixit. Anno domini. M. D. XXXIX.
Die quinta
Maii.

AD VARIA MORBORVM GENERA
cerebri & oculorum,

Pro inuictiſsima ac ſereniſsima
Poloniæ Regina,

Conſilium III.

NEmpe doleo, ſummi artis medicæ uiri, ac inuictiſsimæ, & Sereniſsimæ, Maieſtatis Reginæ Poloniæ. D. Bonæ Sfortiæ, & Barri Duciſſæ Sanitatis, ac eius uitæ, moderatores. Doleo inquam, ut mecum ipſe moleſtè dicam, ueſtra nomina non habeo, ob quam rem cum cognouerim uos bonarum Medicinæ litterarum ornamenta fore. Et ego ipſe ueſtram doctrinam, ac medicinæ artis prouidentiam omnibus Bononiæ ſtudioſis enarrare, aperireque cuperem, non faciam id, non quia nolim, ſed quoniam non poſſum, fauebo igitur linguis, & ſi ſanè tali ſecuritate motus loqui poſſem de prudentia ueſtri, ac de bonitate litterarum ueſtrarum, noſcamque ſermonem meum de uobis nullo tempore, errare, Duxi tamen me ſatius eſſe tacere, quam minora pronuntiantem falli, Faueat igitur nobis cælorum numen, ut ſuæ Maieſtatis noxas profligare ualeamus. Tum ſalutaribus præſidiis, quæ per litteras ueſtras non minus ſalutares, quàm multiiuga doctrina refertas gratiſsimas, grata, & hilari fronte ſuſcepimus. Tum per ea, quæ ratione, autoritate, ac experimento, à nobis comprobata fuere. &c.

TEMPERATVRA.

OBtuliſtis igitur nobis, uiri docti, Maieſtatem ſuam ſereniſsimam ſuæ ætatis annum quinquageſimum ſeptimum agentem, quo fit, ut ſenectæ annos ingreſſa ſit, atque non longè fugit annos uiridis ſenectutis, quam tem

poris

poris futuro prouentu ei ſuperi concedant. Illi quippe tẽperaturam corporis totius calidam, atque humidam primo condonaſtis, ſanè obtemperantes præcepto Galeni nono meth. curatiuæ cap. XV. ubi ait, non eſſe uiam cognitionis morbi ſuarumque cauſarum, & eorum profligationis, niſi naturalis temperamenti totius cognitio præceſſerit, & membrorum maximè principalium, atque eorum etiam, quæ illa comitantur, illiſque ſeruiunt. Idem uoluit Galenus in primo de dyſpnea, ubi ait, ut cognoſcamus quantum præternaturalis intemperies diſtat à naturali ægrotãtis temperie, ipſam naturalem temperiem agnoſcere licet, & huic ſententiæ alludit Princeps quarta. primi cap. primo dicens, ut facile cognoſcere poſsimus quali proportione medicamenta ægroto corpori condonãda ſint, cum in illa proportione, quam temperatura præter naturam habet ad naturalem ægrotantis temperiẽ, in eadem medicamenta ſimul proportionari debent. Et adhuc uobis ex naturalis temperiei dignotiõe, notum erit, qui morbi ſunt naturæ ægrotantis proportionales, & qui non, ut docuit Galenus ſecundo aphoriſmorum commento. XXXIIII. in morbis minus periclitantur &c. ob hanc igitur cauſam ſatis fuit uobis ſuæ Maieſtatis naturalem temperaturam primo enarrare, ueluti etiam docuit Galenus primo artis curatiuæ ad Glauconem cap. primo ſed non latet me naturalem temperiem ægroti corporis à nobis difficile dignoſci poſſe, ut uoluit Galenus nono meth. curatiuæ capite. XV. cum quod non uidimus, neq; quod alio non percepimus, ſenſu, certe iudicare ualemus. Tum quoniam indicia naturalis temperaturæ in ægro plerunque in abſconſis latitant ſub indiciis tẽperaturæ morbi, quo fit, ut uelamine quodam tollatur ſenſus medici, ut facile in iudicio eius, quod latitat, & ſenſum aufugit, ipſe falli poſsit, ob quam rem, uiri docti, non ab re mihi ſuadeo, quæ ſunt mente repoſita, etſi à me prolixiori experientia, atque ratione, comperta

ſint,

ſint, atque comprobata,ſatius fore ſub ſilentio tranſire,ne calumniatorum diſpunctorio, cuſpidatoque cauterio, ac ueneноſo aculeo;præcipitanter, & inacuratè perfodiar,& diſpungar. Quippe ſic iuſsit Galenus libro primo de diebus decretoriis, ubi ait. Porrò ſi nihil in ipſo certi præſagire poſsimus,ſatius eſt tacere, quàm temerè pronuntiantem falli. Igitur nunc addiſcentis officio fungar, ut dixit
" Ariſt.in analecticis poſterioribus, ubi ait, oportet adiſcen
" tem credere. Credam igitur uobis, medici optimi, talem uidelicet eſſe, ſuæ Maieſtatis inuictiſsimæ temperaturam naturalem,qualem doctè examinaſtis, ſuorumque principalium membrorum.Quippe totius ſuæ Maieſtatis corporis naturalem temperaturæ calidam, humidamque decreuiſtis, ſane uincente humiditate caliditatem, ſanè ſi dominãtium natura humorum indicia percurramus, ueluti Galenus ſecundo artis medicinalis & quarto aphoriſmornm commento ſecundo.Et paulus primo artis medicæ capite. LX. & princeps ſecunda primi,& Raſis ſecundo ad Almanſorem, & Auerr.quarto colliget,dubio procul,ex his,quæ iam dixiſtis polliceor dominium ſanguinis uigere in naturali temperiæ Maieſtatis ſuæ, ob quam rem ſi ex natura Maieſtatis ſua dulcis eſt, delectabilis, aſpectu placabilis, facie hilaris, amans, ſæpe ſudans, & natura ſatis ridens, ac cum membrorum exquiſita inuicem proportione, indicia hæc medici iudicium firmant,comprobantque ſanguinis dominium in naturali temperatura, Maieſtatis ſuæ uigere. At ubi ea, quæ dicentur indicia his aſſocientur, uidelicet carnis copia, coloris rubedo, ac uiuacitas, & alia quippe indicia legi in paginis ueſtris ſcripta, quibus indicia uigentis ſanguinis in ſuæ maieſtatis naturali temperamento facile cognoui. Et non latet me, ſi illius Maieſtatis temperatura fuerit ſanguinis,eam certè in morbos ex ſanguine prodeuntes propenſam fore, uel ex altero humore à corrupto ſanguine orto, ut ait Galenus libro primo de

differentiis

differentiis febrium, & libro ſecundo de criſibus,& ſecundo aphoriſmorum commento. XXXIIII. Præterea rectè ſcripſiſtis,uiri celebres, ſi uerbum Galeni ſecundo artis medicæ comprobamus, ubi ait, totius temperaturam comitari temperaturam cordis & iecoris in unum coeuntem, cor uidelicet temperaturæ calidæ, & humidæ eſſe, pariter, & iecur. At dicam ego, ubi horum uiſcerum temperatura calida,& humida ſit, & ea ſunt primæ radices generationis humidorum, dubio procul Maieſtas ſua ob totius, & duorum membrorum naturalem temperaturam, procliuior erit ad ſanguinis generationem,& ad eius in propriis receptaculis accumulationem. Quæ dicuntur hoc indicãt, uidelicet maieſtatem ſuam munitam fore muſculorum decenti quantitate,ac pinguem,mollemque per ambitũ corporis totius, neſcio tamen quo iudicio coniectari poſſem ego, Maieſtatem ſuam cum his quæ ſcribuntur de ſui, & duorum membrorum temperatura,anguſtas obtinere uenas. Tum quoniam humidi proprium eſt dilatari calido maximè ei iuncto. Tum quoniam molle extenditur, ex quarto metheorologicorum. Tum etiã quoniam cum magnitudine reſpirationis, coit magnitudo thoracis, & inde arteriarum,harum uerò latitudo latitudinem ſequitur uenarum,hæc accipies à Galeno in de motu anhelitus, & impedimento eius,ac etiam de difficultate reſpirationis. Ob quam rem, ſi eius naturalis temperatura calida ſit, humidaque,cur non dicemus coeuntibus ei temperamentis naturalibus cordis ſ.& iecoris, Maieſtatem ſuam,natura, eſſe multi ſanguinis, eſſeq; latorum uaſorum per quæ ſanguis ad membra permeat,in hiſque continetur.Viri Docti,cum iam dixi me credentis officio fungi, ſanè credam his, quæ de ſuæ Maieſtatis temperatura optimè examinaſtis. Quod ſi aliquid in contrarium me adducere uidear id fieri putabitis,ut mentem ueſtram ad altiores ſenſus excitarem.Sed de his hactenus.Medicum enim fimbrias extendere in his,

quæ nullum medicationi iuuamentum afferunt, ſuperuacaneum eſt. auctore Galeno libro primo de ratione uictus acutorum commento tertio. Demum uerò in habitis iam indiciis, dicendiſque, in ſcientia temperaturæ aliorum mēbrorum ſuæ maieſtatis dicam cum Ariſt. VI. Ethicorum dicente, unumquemque benè iudicare, quæ ipſe cognouit, & eorum eſt bonus iudex. Sanè quæ ſuæ Maieſtatis propria ſunt, non cognoui. Ob quam rem quæ illi ſuæ temperaturæ propria congruunt indicia exquiſitè patefacere non poſſum, cum ipſa prius & acuratè non uiderim. Sed fungar officio illius, qui propria ignorans ad comunia capita ſe transfert. Quem modum cognitionis indiciorum corporis ægroti, atque rerum eidem contingentium edocuit Galenus primo artis curatiuæ ad Glauconem cap. primo, & commentario tertio, ſexti de morbis uulgaribus Hippocratis. Credam igitur ſuæ Maieſtatis cerebrum, atq; uentriculum, reneſque talis eſſe temperaturæ, qualem nos certiores feciſtis, quoniam Beati, qui non uiderunt, & crediderunt. Iohannis uigeſimo. Mihi namque nullus continget error, ſi huiuſmodi fore Maieſtatis ſuæ temperaturas crediderim, quales per indicia in maiori quidem parte comunia enaraſtis, cum circa comunia minus contingat errare, ut ex Ariſtotile ſecundo de anima habetur comune enim documentum potius eligendum eſt, quàm ſingulare, ut dixit Galenus. auctore Hippocrate ſexto de morbis uulgaribus commentario ſecundo. At eorum contemplatio magnam habet uim ad rerum ſcientiam, ut ait Galenus in libro de Tuenda ſanitate ad Thraſibulum. Et hæc de temperaturis naturalibus Maieſtatis ſuæ ex teſtimonio dicta ſint. &c.

MORBI ESSENTIA ET CAVSAE.

" INdubitato fallitur Medicus. Viri medicinæ periti, ſi à
" prima die non cognouerit morbū. auctore Galeno primo de criſibus cap. XVI. & uigeſimo & primo de ratiōe uictus

ctus acutorum commento tertio & primo artis curatiuæ ad Glauconem capite primo. Proinde dixit Galenus ſexto de morbis, & ſymptomatibus capite primo, non modo ſufficere medicum actiones læſas dignoſcere, uerum & omnium cauſas intelligere oportet, & idem uidebis ſecundo meth. curatiuæ capi. quarto & tertio prædictionum commento. XXXIX. Obtuliſtis igitur nobis Sereniſsimam Reginæ Poloniæ Maieſtatem uariis præter naturam affectionibus mala quadam fortuna correptam, quibus & animo, & corpore multis anni temporibus mæſta euadit Maieſtas ſua. Nam ob præter alias malam, turpemque affectionem quandam alterum oculorum affligentem, eiuſque perditionem minantem, & cerebri ſubſtantiam, atque naturam male morigeratam indicantem, cum dixerit Galenus libro ſeptimo de placitis, oculorum non parum cerebri ſubſtā-tiam attrahere. Patitur inquam ocularem morbum Maieſtas ſua Inuictiſsima uti percepi ex his, quæ mihi denūtiata fuere, tum in oculi eſſentia, tum in his organis, quæ ipſi deſeruiunt oculo, pro ſuis datis à natura functionibus. Aliàs enim cœpit, demum uerò adauctum, & uſque quoque ad ſtatum peruenit, in ſuperiori palpebra ſiniſtra uerſus domeſticum angulum oculi Tuberculum quoddam, quo nedum oculus, uerum & ſuæ Maieſtatis (ut puto) tota deturpatur facies. Quo fit, ut ſerenitas ſua terreatur nedum oculi deformitate, uerum potius de eius perditione, quod Deus auertat. Tunc enim temporis quo Tuberculum illud inualeſcit, uenæ oculi illius rubent, atque nonnullæ ab eo lachrymæ prodeunt, cuius autem qualitatis lachrymæ adfuerint, nil mihi denuntiatur. Solent etiam Maieſtati ſuæ contingere, ut aiunt, quo tempore à ſomno nocturno expergiſcitur lippitudines quædam, quarum colorem, modumque ſubſtantiæ non audiui. Dolet & ſua Maieſtas quandoque oculo ſiniſtro, præſertim ad oculr pupillæ regionem, quis autem, & qualis dolor fuerit an puncto-

rius, an oculum grauans, aut extendens, deſideraui. ſenſumque ſcabrum, ac ſi maris arenulæ oculo inſint, Maieſtas ſua percipit. Sciuiſſe tamen cuperem, ſi oculorum anguli, circulique, pruriginoſi, circumroſiuè ſint aliquando. Demumque dolore capitis, ea parte, qua eſt affectus oculus, ſatis uexatur. Deinceps uerò quod forte ſuæ Maieſtati moleſtum eſt, oculi illius turbulentia uiſionis progignitur cum apparentia imaginum ante oculum illum, cuius autem tincturæ imagines illæ affuerint, quo etiam tempore uidelicet uel ante cibi aſſumptionem, uel cum iam ipſe deuoratus fuerit huiuſcemodi apparuerint imagines, nihil in hoc cauſa excitandæ mentis accepi. Præterea Maieſtas ſua Sereniſsima ultra hos, qui eam perturbant morbos, uertigine quandoque corripitur, ut aiunt. Modum ſanè prouentus uertiginis, & an ipſa abolita ſuperſtet capitis dolor, uel alterius uiſceris, bonum fuiſſe me præſciuiſſe. Sed quid? Quandoque bonus dormitat homerus. & cet.

Hæ igitur ſunt, uiri noſtræ artis expertiſsimi, affectiones, in quas Sereniſsima Reginæ Poloniæ Maieſtas aduerſa fortuna acerrimè militat, præter alios quoſdam morbos impetiginem uidelicet, & paratum ad aquam inter cutem, à quibus cum iam, ut aiunt exquiſitè liberatur, de his non ero ſollicitus. Quippe eas non dignoſcemus ſi cauſas habent, niſi cauſas à quibus ortum habent cum ſpeculatione agnoſcamus. auctore Ariſtot. primo naturalium tex. primo. Et Galeno de uſu partium ſexto cap. XIII. & ſecundo de potentiis naturalibus cap. nono. Et Plato: in Phedone, ubi ait. Hæc utique mecum ipſe reputans, gaudebam, ratus Anaxagoram magiſtrum, qui me id, quod tantopere cupiebam, cauſas rerum doceret. Nempe affectio, quæ Maieſtati ſuæ moleſtior eſt, in quam & mens, & terror propenſior eſt, & cuius abolitionem plurimum deſiderat, cum ſit tuberculum ortum palpebræ ſuperiori ſiniſtri oculi, ad

li, ad modum ſuperiorioris enarrationis. Ideo in primis illius cauſas edocere conabor. Sed mihi ipſi cogitanti, uiri docti, non ab re perplexus maneo, ſi affectiones hæ Maieſtatem ſuam continuo affligant tempore, an intermittendo, eam aliquo temporis interuallo quieſcere ſinant, cum uiderim unum nos certiores reddentem non minori experimento, quam ratione edoctum, aperta fronte protuliſſe, perpetuò Maieſtatem ſuam huiuſcemodi affectiones, turbato animo atque corpore afflictare. Sic enim ſtylo ſcriptorio pinxit, licet aliquando materia illa contenta in capite attenuata ſolet euaporari per poros ipſius capitis, & tunc ſua Maieſtas leuatur partim ab illis, nocumentis. Sed inquit ipſe reſtat dubium, quare iſta tumefactio, & nocumentum in oculo eſt continuum, dicendum inquit, quod de continuo fluit materia ad illas partes &c. Alter uerò eorum ad nos formulam moleſtie Maieſtatis ſuæ tranſmittens non minori praxi, quam ſpeculatione munitus, largo ore dixit, Maieſtatem ſuam in his quandoque lucida habere interualla, quibus in priſtina ualetudine ipſa tum temporis proculdubio inuenitur. Sic enim calamo conſcripſit. Quibus omnibus recedentibus poſt ſeptimanam, uel circa Maieſtati ſuæ redditur priſtina oculorum ſanitas, licet poſtea iterum poſt aliquot dies, uel menſes reuertantur ſymptomata prædicta, quæ iterum recedunt ut prius, & c. Hoc enim opere prætium agnoſcere duxi, ſi quippe morborum cauſas decernere uellemus, & ut ſciamus & cui, & ubi in morborum profligatione, medicamina applicanda ſunt, ubi enim paſsione propria membrum affectũ fuerit, cuius indicium eſt affectionis continuus prouentus, ac eius perſeuerantia, donec tota morbi conſiſtentia perduret, tunc temporis medicamina offenſo, ac turbato membro condonanda ſunt. At ubi membrum læſum fuerit per uitium alterius conſentientis membri. Quod utiq; dignoſcitur plurimum ab intermiſſo morbi prouentu, &

ab

ab eius deſinentia quandoque,& tunc cum cauſa in membro conſentiente præeſt, medicamina illi applicari debent aliter enim medicando contingeret error, & de his morbis ſic pariter euenientibus, loquutus eſt Galenus tertio de locis affectis capite octauo & tertio aphoriſmorum notat Galenus commento. XXXI. membrum propria paſsione affectum, atque per alterius membri conſenſum. Modum autem curæ horum morborum dicemus poſtea, ſiue ſuæ Maieſtatis fuerint à propria paſsione cerebri ſiue per conſenſum ab altero membro. &c.

Huius igitur Maieſtatis ſuæ tuberculi in palpebra orti, cæterarumque affectionum cauſæ, ut aiunt, trium erunt generum, genus uidelicet cauſæ procatharticæ, & præcedentis, & coniunctæ. Conſentaneum enim eſt, & Galeni mos, morbum omnem à materia procedentem, ab hoc triplici cauſarum genere ſui ipſius conſiſtentiam trahere, & ab eiſdem ſui cognitionem uendicare, iuxta illud Ariſtotelis tertio ſapientiæ primo. Ita res inquit ſe habet ad cognoſci, uti ad eſſe. De his quoque omnibus ſermonem cum exemplo habuit Galenus primo de cauſis pulſuum capite primo. Igitur nullo ductus errore dicam, quòd quæcunque extrinſecus Maieſtati ſuæ contigerint, quibus modo aliquo tuberculum illud, uel dictæ affectiones potuerint progigni, ea ſub genere cauſæ procatharticæ cenſeantur. Sic dixit Galenus in libro de cauſis procatharticis, & in libro de cauſis morborum capite ſecundo & tertio ſanè dixit Galenus tertio aphoriſmorum commento quinto. Semper enim oportet medicum diſtinguere, & ſeparare id, quod à cauſa extrinſeca contingit, ab eo, quod morborum ratione fit, ut præcognitiones faciat diligentiores.

Nempe audiui Sereniſsimam Maieſtatem huius Reginæ, plurimis iam peractis menſibus, officinam tincturæ capillorum ingreſſam fore, non certè opinor eam dogma comune incidiſſe, quo uetulæ mulieres capitis capillos de-

nigrant,

nigrant,tinguntque,tanquã turpe quoddam fore, ſi canos capillos haberent,aiuntque turpe ſpectaculum eſſe,uirum mulierculam aniculam cano capite habere: Vbi enim præ delitiis,mulierculæ tinctura capillorum caput ornarent,ſicut, & Galenus primo libro de compoſitione pharmacorum ſecundum locos,obſeruauit,uidelicet, mulieri petenti nihil exhibere,nos ſanè ita fecimus, agemuſque in futurum,non enim ſolum agnoui feminas tales ſæpe in periculo uerſatas fore,ſed ex capitis perfrigeratione,mortuas eſſe à facultate illorum pharmacorum,uel eiſdem læſiones cõtingere, in quas per huiuſmodi pharmaca facile ceciderunt, ut in attonitum ſtuporem, aut comitialem, aut ueternũ, aut ſoporem profundum,& huiuſmodi.Hæc,etiam ut ait Galenus aliquando delabentibus deſtillationibus ſolutu difficilibus capiuntur.

Merito igitur, uiri docti,hanc capillorum tentatam tincturam Maieſtatis ſuæ cauſam procatharticam ſtatuiſtis, quoniam extrinſecus admouet fortè malam cerebri temperiem, à qua à cerebro,uel ab alia capitis parte progreditur deſtillatio ad ſuperiorem oculi ſiniſtri debiliorem palpebram, eam tumidam faciens,uel in maiorem uertens tumorem, ob quam ni fallor, dicam, ſui ocularis tuberculi cauſam procatharticam nõ eſſe capillorum tincturam, ſed ſolius malæ capitis temperaturæ,quæ ab externa facultate, & eius uitio nocumentum in capite progignit, à quo uti à præcedente cauſa,tuberculum in palpebra oritur,ſi quiſpiam à me procatharticam cauſam huiuſcæ tuberculi inquireret,dicerem,ut ait Galenus in libro de procatharticis eſſe,quæcunque extrinſecus uitiantia palpebram, tuberculum illud progignunt,ueluti caſus,contuſio, atque rei duræ obuiatio, aut nimia externa caliditas ad palpebram attrahens materiam,quam palpebra nequit regere,& relicta ab opere ſuo in tumorem uertitur, pariter & nimia frigiditas, quæ extrinſecus contingens palpebræ in ea inuen-

tam

tam materiam compingens,conuertit in tuberculum.

Nocumentum autem,quod ex capillorum tinctura,ſuæ Maieſtati contingere poteſt,potuitq́;, eſt oblæſio temperaturæ cerebri,ex indecẽti pharmacorum applicatione,quorum qualitas, facultaſque magis opportuno ad intima cerebri penetrat: Eorum enim facultas adſtrictoria eſſe debet, ut ait Galenus de compoſitione medicamentorum ſecundum locos. Ob quod facultas illa ſolum peruenire debet ad caput, & ad radicem uſque capillorum, quod ſi facultas ultra penetrauerit, uel quoniam uigentior fuerit facultas, quam oportet, uel quoniam compoſita medicamenta, aut ſimplicia longiorem moram ſuper caput trahant, ut facile ad intima cerebri penetrent, malas iam dictas affectiones ducere ualebunt. Conſentaneum tamen eſt,Maieſtatem ſuam ſi cerebri fuerit frigidioris,noxam citiorem ex capillorum tinctura incurriſſe, tardius uerò ſi calidioris, frigidæ enim particulæ, frigidis affectionibus corripiuntur,ſicut,& calidæ, calidis.Nempe ſi ſua Maieſtas frigidius capitis temperamentum habebit, ex capitis tinctura minus periculum ſubibit, quoniam à minore cauſa læditur, ſi uerò calidius capitis temperamentum obtinuerit, ex capillorum tinctura maiorem læſionem incurret, propterea quod uix calidum à frigidis cauſis ledi poteſt. Si uerò frigidæ cauſæ exuperantes fuerint, proculdubio maiorem ſubibit noxam Maieſtas ſua. Dixit hoc Galenus tertio artis medicæ, & in libro de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, & in libro de cauſis morborum capite ſecundo. Alteram cauſam affectionum Maieſtatis ſuæ procatharticam, ideſt euidentem attulerunt,contumacem uictus rationem, conſiſtentem in his, à quibus contingunt noſtra corpora neceſſario alterari, quarum rerum in Maieſtate ſua multus adſcribitur numerus, quem nõ repetam, tum cum in his ſim uti cæcus ad colores, qui de coloribus nullam habet certam ſcientiam, niſi quam à

uidente ſuſcepit. Tum quoniam earum multæ ſunt, quæ non neceſſario noſtra alterant corpora, ubi uidelicet uirtutis animalis uigentia adfuerit, & ad illius functiones aſſuetudo, quæ ſuæ maieſtati facta eſt altera natura, & aſſueti aſſuetos ferunt labores, ut ait Hippocrates. Verum enimuerò uiri docti. ſi ſuæ maieſtatis cauſas euidentes ſuarum affectionũ, quas procatharticas nominant, uos attuliſſetis animi accidentia, atque paſsiones, quas Plato morbos appellat, cognouiſſem, certè nullam earum ab aſsignato, ſcriptoque numero, tam temere ſecaſſem. Sed quoniam animi affectus, aut paſsiones, in quas Maieſtas ſua cecidit, eſt triſtitia, aut mæſtitia & timor de lapſu ſæuiore. Ipſi ſunt à quibus ueluti ab euidentibus cauſis ſuæ Maieſtatis affectiones contigere, cum dixerit Galenus tertio artis medicæ, Hæc enim, ſcilicet animi affectus, alterant, atque à naturali ſtatu corpus auertunt, & quinto de locis affectis capite primo dixit, atque hac ratione per uehementes ſuperni principii læſiones, animalia perire uidemus, & non lateat nos, quod dixit Galenus ſecundo aphoriſmorum commento. XLVI. ubi loquens de animi affectibus ait, nam & hoc in mœroribus nobis ſolet contingere, qui ſunt & ipſi ueluti dolores quidam ſolius animi ſine corpore. Nam & horũ, qui ſunt uehementiores, minores occultant, alioqui & illi ſe ipſos mutuo augent. &c.

Cum diximus de cauſis procatharticis affectionum Maieſtatis ſuæ in genere eas eſſe, quæ forinſecus illi aduenientes uehementer materiam eius alterabant, tranſmittebantque, modo morbos ſuæ Maieſtatis cauſarum præcedẽtium notitiam aggrediamur. Quoniam ipſæ nedum utiles ſunt ad cognitionem morbi, uerum & ad eius curationem, cauſæ uerò procatharticæ, & ſi indicent affectum, non tamen curationem. Vbi enim affectus cognitus eſt, nulla earum utilitas eſt. auctore Galeno quarto methodi curatiuæ, cap. tertio dicente. Vbi enim præſentis affectus nihil latet, nul-

la iam externæ cauſæ eſt utilitas. Dicam igitur quod quæcunque in Maieſtate ſua, ſiue diſpoſitiones, ſiue motus, præter materiam corpus eius alterabunt, tranſmutabuntque, cauſas præcedentes nominabimus. Dixit hoc Galenus de cauſis morborum capite ſecundo & illam ex exemplo adducens Galenus ſecundo aphoriſmorum commēto. XXII. attulit cum dixit plenitudinem eſſe ante morbum, & idē dixit ſeptimo aphoriſmorum commento. XXX. Ad harū igitur uiri docti, Maieſtatis ſuæ affectionum præcedentem cauſam indagare cupiens, alterius ueſtrum ſcripturam perlegi, ipſumque præcedentem cauſam diſpoſitionum ſuæ Maieſtatis aſsignaſſe reperii plenitudinem quandam materiæ in liene acumulatæ, à qua ueluti à re præter naturam reſurgunt uapores, uel fumi ad ſupremam principem partem ideſt cerebrum, qui cum ſint ei contumaces alterant ipſum, tranſmutantque eius naturam & id reddunt propenſius ad procreationem multarum ſuperfluitatum, quæ in cerebro relictæ ab opere naturæ eius irruunt ad partes illi ſubiacentes, in quibus diuerſas morborum ſpecies progignunt, quas iam nominauimus. Sanè uirum hunc non uitupero, cum in ſcriptis ſuis legi, ſe ore Maieſtatis ſuæ accepiſſe, exacto iam quinquennio, eam in menſium ſuppreſsionem incidiſſe, & forte fortuna ab his ſuppreſsis mēſtruis, cepit Maieſtas ſua triſtari in lienis plaga: tum grauedine, tum tumore, non immuni ab aliquo ſenſu doloris umbilicum uerſus, atque rugitu. At cum hæc deprehenderim, confeſtim redit mihi menti, quod dixit Hippocrates quinto aphoriſmorum. LVII. ſi menſtrua plurima fiant, accidunt morbi, & ſi non fiant, ex utero morbi contingunt, neque quiſpiam admirari debet, & ſi Maieſtati ſuæ ſuppreſſa fuerint menſtrua, ex ætate conuenienti eorum perditionis per materiam, quod eidem adhuc contingant morbi ex utero, quoniam in ſua Maieſtate tunc temporis potuit detineri ſuperfluitas quædam ex ſanguine menſtruo orta,

quo

quo retento, & ſuperfluitas illa mala, propter hoc, quod excerni non potuit in rem præter naturam conuerſa,& ad quandam putredinem ducta,potuit morbos efficere, tum in utero ipſo,tum ex utero in membris aliis. Sicut ſermone prolixo quis apud Galenum uidere poterit. Sexto de locis affectis capite quinto: ait enim. Huiuſmodi accidentia ſequi ſuppreſſa menſtrua conſueuerunt, ac præterea lumborum iliorumque, & colli, & ſincipitis dolor, qui etiam oculorum fundamenta infeſtat. Quid dicam? nonne ex ſolitæ menſtruorum euacuationis ſuppreſsione,affectio hypochōdriaca ut aiunt, mulieribus contingere ſolet, cuius ſigna ſunt hypochondrii ſiniſtri grauitas,& tenſio, doloriſque ſenſus umbilicum uerſus, & rugitus non paruus, ut petenti retulit Maieſtas ſua. Et quoniam hanc hypochondriacam affectionē ſequitur melancholica triſtitia, atque ploratus multus, Non ab re quiſpiam credere poſſet,uel ſuam Maieſtatem ob hypochōdriacam affectionem à menſium ſuppresſione ortam,ut dicitur, in mœrorem,triſtitiam, atque frequentem ploratum cecidiſſe, uel ex iiſdem in hypochondrialem melancholiā irruiſſe. Quorum utrunque facile contingere poteſt ex his, quæ percepimus à Galeno in tertio de locis affectis. capi.quinto, & in ſecundo de ſymptomatum cauſis capi.ſeptimo & quinto de locis affectis cap.quinto.Propter hæc igitur nullo ductus errore dicere poſſem,uel ſuppresſionem mēſium cauſam fuiſſe præcedentem affectionum, quæ in capite Maieſtatem ſuam perturbant, per concauſam tamen ab hypochōdriaca affectione,ab ea orta ſuppresſione aut hypochō driacam melancholiam,ortum quippe trahentem à mœrore,& triſtitia,atque planctu, cauſam pronuntiare præcedentem eorum,quæ ſuæ Maieſtati accidentium ſuperuenerunt,licet cum his aliæ nonnullæ, ut opinor, præcedentes cauſæ fuere, ueluti mala cerebri, intemperies, poſt eius naturalem temperaturam facta frigida,& humida. Quip-

pe originem trahens à iam dictis cauſis procatharticis, ut à nimia uigilia, mœroreque, & planctu nimio, atque lachrymarum uoluntaria emisſione. Hæc enim noſtra corpora peruertunt, & eam, quæ ſecundum naturam conſiſtētiam permutant. auctore Galeno tertio artis medicæ, ſanè & huius malæ temperaturæ cauſa euidens, potuit fuiſſe, ut iam diximus ſola capillorum tinctura, quoniam eius uirtus adſtrictoria facile potuit obſtruere meatus, per quos ſuperfluitates cerebri, quæ uel ex inſufficienti concoctione uirtutis eius, uel ex uaporibus ab infernis partibus læſis in cerebro accumulatis, prognatæ, ſolitæ erant perſpirare. Quæ intus retentæ non proficuæ pro aliqua cerebri functione relinquuntur ab opere naturæ eius, irruuntque ad infernas capitis partes, ueluti ſtillicidio quodam, eas male afficientes, & facile earum naturam permutantes, & ob hoc unus eorũ qui me certiorẽ faciunt, dixit, Maieſtatẽ ſuam præter alios morbos catarrho corripi, cuius præcedēs cauſa eſt mala cerebri intemperies dicta. Dixit hoc Galenus tertio de ſymptomatum cauſis capi. quarto ubi ait, catarrhi & corizæ cauſa eſt cerebrum, cum perfrigeratur, aut cum æſtuat, dicam ego & recta ratione, & idem catarrhus facile potuit ſignari pro cauſa præcedente aliarum affectionum maieſtatis ſuæ, quas iam enarrauimus. Cum eorum duorum, & alter in eandem coeat mentem, cum dixit Maieſtatem ſuam pati periodicum defluxum humiditatis cuiuſdam ad oculum ſiniſtrum. Ob hanc igitur rem illarum affectionum, poſt cerebri intemperiem præcedentem adhuc cauſam propinquiorem dicam, ſtillicidium à cerebro. Vbi enim à cerebro in partes capitis ſtillet, ibique decumbit, dolorem gignit, iuxta illud Galeni. IIII. aphoriſ. commēto. XXXII. dolorq; iam fluxione decumbente perficitur. Quoniam igitur in ſua maieſtate catarrhus præcedit, priuſquã decumbat in ſiniſtra capitis parte, meritò diximus ipſum fore cauſam præcedentẽ doloris ſiniſtræ par-

tis

tis capitis,altera quippe occurrente cauſa præcedente uelu
ti fomento quodam,uidelicet uapore, qui à ſplene uitiato
in ſiniſtra capitis parte è directo procūbit.Pariter ſi ad ocu
lum profluit,uel ad eius tuētem palpebram , in hoc quidē
uertiginem,atq; ante ipſum imaginum apparentiam,in il-
la uerò tumorem hinc & inde progignit,ſi uerò capitis flu
xio ad dentes defluit,aut in glandulas,uel gurgulionē,uen
triculumq; accūbit,proculdubio eorum naturam permu-
tat,in hiſq; dolorē excitat,& ob hāc cauſam forte maieſtas
ſua,mala uentriculi concoctione,ut audio,afficitur,quo fit,
ut ab eo perpetua exiſtente euaporatione procreentur de-
fluxiones,& morbi in capite ſuæ Maieſtatis foueantur,con
creſcanq;, iuxta illud Gal.III. de locis affectis. cap.v.Namq;
cerebrū uentriculo,& uentriculus cerebro ſuas affectiones
tranſmittit, quarum etiā affectionū cōcauſam præcedentē
non deſpiciā,hypochōdriacā,& flatuoſam uocatā affectio
nem,ad quā ſequitur melancholica triſtitia ea,quæ in acci-
dentibus ſuffuſioni aſſimilatur affectio,ut ait Gal.Quo fit,
ut quiſpiā non admirari debeat,ſi uertigo,& imaginū ap-
paritiones,atq; uiſionis imbecillitates cū timore ſequētiū
ſuffuſionū in ſua Maieſtate hypochōdriacā hāc affectionē,
cōſequi ualeāt,ueluti earū præcedentē cām,quo fit,ut etiā
nulli dubiū ſit in affectionibus ſuæ Maieſt.quidpiā & mor-
bū,& cauſam fore ut dixit Gal.in libro de cauſis morborū.

De cauſis autē coniunctis affectionū ſuæ Maieſtatis dicā
eas eſſe,quæ mutari nequaquā pſſunt,ubi conſtans maneat
affectus earū,ut ait Gal.libro.I. de cauſis pulſuū cap.I. quas
in unū collectas adducā,uidelicet,ſpiritus flatuoſos,uapo-
reſq;,ac fumos,humori pituitoſo,melancholicoque cōmi-
xtos uehemētē habentes motū,& inæqualē,qui ſpiritus,&
uapores diſrupti humores frangūt,præſertim pituitam,in
multas,ac paruas partes,quæ hinc & inde ſparſe ad diuerſa
mēbra ſuæ Maieſtatis, in his diuerſas progignūt affectiōes,
tā diu manētes,quā diu cauſæ illæ nō mutabuntur,& hunc

habes

habes proceſſum à Galeno ſeptimo aphoriſmorum commento tertio,& harum cauſarum maiorem habebimus notitiam, cum de earum propulſione poſtea ſermonem faciemus. Et hæc de cauſis affectionum ſuæ Maieſtatis dicta ſint. &c.

PRAESAGIVM.

QVoniam Dixit Galenus tertio de ratione uictus in morbis acutis, præſagia multa in modo curationis morborum afferre commoda, opere pretium eſſe duxi aliquantulum ſermonem præſagii termini morborum ſuæ Maieſtatis non aufugere. Ob eaſque ægrotanti,& medico contingunt utilitates. Igitur & ſi acutorum morborum non omnino certa ſint præſagia ſalutis,atque mortis, ut ait Hippocrates ſecundo aphoriſmorum.XIX.Non ob hoc quippe concludit, quod in morbis diutinis prædictiones ſint certæ ſalutis & mortis, cum ex negatina non concluditur affirmatiua. Nõ lateat igitur nos,cum in morbis diutinis eorum materia craſſa lentaque, ac frigida ſit, & in patientibus partibus ſuæ Maieſtatis impacta, atque agglutinata ſit, ex Galeni uerbo ſecundo aphoriſmorum commento.XIX. Non poterit materia illa noxa tantæ uelocitatis,ac furiæ transferri de membro ad membrum, ut de termino malo Maieſtatis ſuæ præſagire ualeamus. At cum aliquando humores frigidi à calore diſcutiuntur, adeo ut posſint de membro ad membrum deferri, dubio procul licet hoc raro contingat,in ſeuiores morbos Maieſtas ſua cadere poſſet.Quibus nedum morbi prolixitatem auferemus, uerum & ſuæ Maieſtatis breui temporis interuallo, necem futuram pronuntiabimus, quod Dii auertant. Morbi enim diutini quandoque ortum habent ab acutis morbis, uerum & ipſi mala quadem ſorte à ſupernis,uel ab incõuenienti uictu orta, in acutos morbos procubuerunt, ut ſecundo prognoſticorum ſcribitur à Galeno, & ab Hippocrate pluries,in de morbis uulgaribus, &

ob hanc rem dico, quoniam Maieſtas ſua à capitis deflu xione tenetur, eam in naufragio conſtitutam cenſeo, cum corpora, quæ defluxu à capite corripiuntur ad omnia mor borum genera propenſiora ſunt, auctore Galeno tertio de ſymptomatum cauſis, capi. quarto. At quoniam Maieſtas ſua uertigine laborat, contingere facile poſſet, ut interdū caderet, ob inequalem, turbulentumque, & inordinatum motum, tum humorum, tum ſpirituum, quo fit, ut his procliuior ſit Maieſtas ſua ad attonitum morbum, comi tialemque, & lethargum, auctore Galeno tertio de locis af fectis. cap. octauo. Quippe & maieſtatem ſuam propenſio rem in ſuffuſionem præſertim offenſi oculi pronuntiabo. cum ob imaginationes, quas in oculis patitur, illis ſimi les, quæ per ſuffuſiones contingunt. Dixit hoc Galenus pri mo prædictionum commento. XXVI. Indicant quoque multi, ac uitioſi humoris copiam, os uentriculi grauantis, ac mordentis, ut dixit Galenus tertio aphoriſmorum com mento. XXIIII. At quoniam ob ea, quæ dicta ſunt, facile præſagire poterimus, maieſtatem ſuam, uiſionis debilita te corripi, à qua facile in ſuffuſionem cadere poterit, cū ſe quatur incraſſationem, ac paucitatē ſpirituū, indigeſtæque pituitæ copiam, cum quærela ſanitatis ſuæ, auctore Gale no ſexto de Tuenda ſanitate. Sanè cum Maieſtas ſua ocu li lipitudine offenſi turbetur, quæ præoccupat uiſum obtu ſum, ac ſcabras affectiones, ac angulos eroſos cicatriceſq;, ut ait Galenus libro quarto, de compoſitione pharmaco rum ſecundum locos, Dubio procul eam caſuram in om nes has oculi affectiones, facile præſagire poterimus. At quoniam lienis errore moleſtatur ob humoris melancho lici copiam, ad ſiniſtrum hypochōdrium procumbentis, & forte fortuna cum nonnulla eius acumulatione in cere bro, ut ait Galenus tertio de locis affectis. cap. ſeptimo. Ti meat ſua maieſtas, ne in morbos irruat, quos Galenus eo dem in loco, ac ſecundo de cauſis ſymptomatum cap. VII. attulit.

attulit.Nempe puto,me nullo errore duci pronuntiantem Maieſtatem ſuam à morbis, quibus uexatur euaſuram fore, ſi ſalutaribus noſtris præſidiis obtemperabit, ſuiſque medicis in arte peritis ſeipſam offerat,atque aſsidentibus, & his, quæ extrinſecus contingunt,ut ait Hippocrates primo aphoriſmorum primo.Tum ob ſuæ Maieſtatis elegantem temperiem. Tum ob ſuorum membrorum principalium uigentem facultatem. Tum etiam quoniam nulla difficultas adeſt homini uolenti. &c.

MORBORVM CVRATIO.

Morborum ſuæ Maieſtatis Inuictiſsimæ curationis ſcopus, uno trium perficitur inſtrumentorum, quippe aut eorum pluribus, aut uno, aut omnibus, auctore Galeno in libro de partibus artis medicæ, & in libro experimentorum cap.ultimo,uidelicet uictus ratione,medicinarum potione,ac manuum exercitatione. At quoniam eorum omnium nobilius inſtrumentum eſt uictus ratio, auctore Galeno in libro experimentorum, opere pretium eſſe duxi,Maieſtatem ſuam primo in uictus ratione inſtruere. Et Iouem adiuro,uiri docti,omnium affectionum Maieſtatis ſuæ, atque ſymptomatum curationes, et ſuæ ſanitatis tutelam, magis, magiſque in uictus ratione,quàm in aliis medendi ſcopis conſtare.Igitur ſupplico, quæſo, hortorque Maieſtatem ſuam ſub obſeruantiæ firmamento. Quæ à nobis de uictus ratione,in hoc ſalutari conſilio conſcribenda ſunt, non modo audire, uerum ut obſeruentur operam dare.

VICTVS RATIO. DE AERE.

Rationes igitur uictus ab aere exordiar, cum ab ambiente nos aere corpus admodum mutetur. auctore Galeno libro tertio artis medicæ, & tertio meth.cap.octauo & nono meth. non longe à fine, ubi ait. Ambiens uerò is eſt, ſine quo nec morbus tolli, nec teneri ſanitas poteſt. At primo de Tuenda ſanitate non modicam expedit

uim,

uim, Galenus ipſius tuendæ ſanitatis, in conuenienti aeris electione.

Nempe igitur medicorum opere Maieſtas ſua, ſibi eligat aerem non craſſum, & nubiloſum, cluſumque minime, & nullum recipiens perflatum euitet, iuxta illud Galeni primo, de ſanitatis tutela, ubi ait. Nec qui ob ſtagnum, uel flumen uicinum, nebuloſus eſt aer, nec editis undique montibus, cluſus nullum recipit perflatum. Quo fit, ut nocuus ſit oculis, & in cerebro craſſos, & glutinoſos humores progignens, qui oculis contumaces ſunt, in ipſis fouentes, omnes ſuæ Maieſtatis oculares affectiones. Proinde locum domus accuratè ſibi conducat, in quo non ſit incluſus aer, perflatus defectum ſuſtinens, ob id Galeni uerbum eodem in loco, ubi ait, ſimilis ei, qui in domibus quibuſdam eſt incluſus, in quibus ob putredinem, & perflatus defectum, plurimus aceruatur ſitus. Huiuſmodi enim aer omni plane ætati noxius eſt, quippe & aer fumo, uel puluere affectus prohibeatur, cum enim in corpus intrat, permaximè ob ſui materialem qualitatem, noxius eſt oculis, ſenſum ſcabrum, lippitudineſque, & tumores, ac culicum muſcarumque imagines, cum uiſionis debilitate, facile procreat. Tum etiam facultatis animalis tranſitum tollit uiarum ſpiritus clauſione, quo fit, ut ſpiritus animales, ad oculos libere penetrare non ualentes, eorum nocumenta adaugeant. Nempe aerem humidum ualde fugiat ſua Maieſtas qui & ſtagni, & paludis halitu eſt infectus. Et qui ex animalium, & olerum & leguminum putredine, uitium contraxit, cum plane fugiat, & qui funo coinquinatur, ſuo enim habitu caput grauat, & animalem ſpiritum offendit, ut libro primo de Tuenda ſanitate dixit Galenus, Quippe purum aerem, & moderatè clarum Maieſtas ſua deſideret, ne impuritate, & illius craſſitie, uires animi obnubilet, & eius ſpiritus perturbet, quo fit, ut uertigo adaugeatur. Non immerito igitur dixit Galenus primo de Tuenda ſa-

nitate optimum aerem cenſeo, qui prorſus ſit purus.

Sanè igitur Maieſtatis ſuæ aer calidus ſit, & ſiccus, non admodum quidem calidus, plus tamen ſiccus, non ſanè frigidus, quoniam ex capite deſtillationibus totum corpus offendit. au ctore Galeno quinto aphoriſmorum commẽto. XXIIII. Quippe non admodum calidus ſit, ob Galeni uerb um quinto aphoriſmorum commento. XXII. Calor extrinſecus in capitis diſpoſitionibus facit hæc eadem ſcilicet deſtillationes. Sed modice calidus ſit, quoniam ut dixit Galenus capitis grauitates ſanat, concoquens, atque diſſoluens quæcunque caput moleſtant. Cæterum ſi natura calidus & ſiccus aer haberi non poterit, eo in loco, quo Maieſtas ſua moram trahit, & hybernum fuerit tempus, leuibus aromatum ſuffitibus utatur. Conſiderandũ, quod à me dicitur leuibus ſuffitibus, quoniam à fortibus caput admodum grauatur, ut dixit Hippocrates quinto aphoriſmorum. XXVIII. Suffitus aromatum & c. Nam ſi Maieſtati ſuæ infenſum erit, quod ab aromatibus de fumo exit, ſola aromatum præſentia in manſionis loco contenta ſit, ut quod de odore ab aromatibus ſpirãt, quæ ſua ui aperiũt uaſorum orificia obſerata, & humorum craſſitudinem extenuant atque reſoluunt, omnibuſque frigidis, & humidis affectionibus capitis peridonea ſunt, auctore Galeno eodem in loco. &c. At aromata ſunt, cinnamomum, gariophyllum, nux myriſtica, lignum aloes, moſchus, cortices citrii, macis, Ambra, maſtix, thus, ladanum, & ſimilia. Quorum omnium pulueres ſi igni ſuperaſpergãtur, ſatis cum aqua roſata irrorentur, ne cum acutie ſuæ caliditatis ad cerebrum & oculos penetrare ualeant. Quippe ſi Maieſtati ſuæ pergratum fuerit lucidum ignem inſpicere, & potiſſimum hyberno tempore; ſit ignis, ex lignis Roriſmarini, iuniperi, lauri, & ex ſimilibus. Porrò ſi ex ligno terebinti, uel ex illo, qnod uſitato uocabulo lignum laricis appellatur, ignis accendatur, proficuus admodum hic erit ignis,

quoniam

quoniam ſui natura craſſos,& glutinoſos corporis humores attenuat, atque diſſoluit. Cæterum Maieſtatem ſuam hortarer, ut moderato calido caput ſuum muniret. Calor enim extrinſecus, atque immodicus ei noxius eſt, admodum colliquando,& ad ipſum caput ab infernis corporis partibus ſurſum trahendo, plus uerò frigus ſuæ Maieſtati rebelle eſt exprimendo, omnis enim cerebri expreſsio oculis contumax eſt. auctore Galeno ut ſupra &c.

VICTVS RATIO PER CIBVM ET POTVM: PANIS.

PAnis electio ſit de tritico, quoniam triticum ne dum apud omnes nationes frequentiſsime, immo cum utilitate uſurpatur,auctore Galeno primo de facultatibus alimentorum capi.ſecundo ex triticeis namque panibus Maieſtati ſuæ peridoneus eſt ille, qui ex tritici ſimula conditus eſt. Sinceriſsimus enim is panis eſt, naturalia non grauans,non flatuoſus,neque deorſum aluum replens,& peroptimè nutriens. Sitque panis Maieſtatis ſuæ non admodum fermentatus, ſui enim ſuperflua, acetoſitate noxius eſt cerebro, & oculis. Quippe neque omnino fermento careat,ob id Galeni uerbum primo de potentiis almentorum cap.ſecundo, at qui omnino fermento caret, nemini prorſus erit accomodus.Non ſit eius panis ſalitus propter dictum Galeni ſecundo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos. cap. XVIII. ubi ait. Sal moleſtum eſt propter grauedinem, & potiſsimum in capite,ſitque eius panis non admodum coctus, ut qui cruda, incoctaque interiora habet, ambuſta uerò obaridaque,& cruſtacea exteriora, ignis enim uis in totum panem nequit penetrare, ideoque illum non percoquit, maximeque internas partes. dixit enim Galenus primo de facultatibus alimentorum cap.ſecundo is enim deterrimus panis cenſendus eſt,

& uentriculo inimicus, qui in cruſtaceis admodum aduritur, in intimis incoctus relinquitur. Sit eius panis duorum dierum recens, ſanè tamē calidus non edatur ob Principis dictum ſecundo Canonis. capi. CLXXIII. Panis enim calidus non eſt amicus naturæ, ſitim facit, & natat propter ſuam uaporoſam humiditatem cerebro, & oculis aduerſam. & cet.

DE VINO.

CVm ſit omnis exceſſus fugiendus, maximè illum aufugere expedit, ex quo non corpori modo uerum etiam animo damnum accedit, ob quam rem cum Maieſtatis ſuæ corpori & animo uini potus damnum ingerat, ne dū hauſtum guſtare ſuaſerim, uerum & omnem uini potionem denegarem, eius namq; corpori noxium eſt uinum. Quippe uino epoto humectante, atque calfaciente obnoxios exceſſus corpori eius inducet, auctore Gal. I. de Tuenda ſanitate, & in exortatione ad bonas artes. Nēpe cum repleri eius caput ſit inutile, uinū autem halitu caput replet, ut ait Galenus eodem in loco. Idcirco uinum illi nocuum putarem, Propterea mihi ſuadeo Maieſtati ſuæ potum peridoneum eſſe, hydromel in quo hyſſopus, & ſaluia, decoquātur quæ quidem calfaciunt, & exiccāt frigidos, & craſſos humores, & facultatem cerebri roborāt, auctore Gal. VIII. ſimplicium pharmacorum cap. CLII. ubi ſaluiæ, atq; hyſſopi facultates magnificat. Quippe ſi quiſpiam uiderit Gal. III. de temperaturis, Maieſtati ſuæ uinum nequaquā concederet. Sed rogauerit quiſpiam, ſi Gal. inquit. V. aphoriſ. commento. V. Vinum qualitate ſua ſanare, eam quam fecit ægritudinē neruos calefaciendo, atque exſiccando. Cur igitur ſuæ Maieſtati uinum denegabis. Huic dicere arbitror, quia certius eſt uinum ſuo halitu cerebrum percutere, & grauare, cū hoc ſit ei peculiare, quam ſua qualitate neruos calefacere, &

exſiccare

exſiccare. Ideo tutius eſt in cerebri affectionibus uinum tollere,quàm illis errando tribuere.

Nempe ſi Maieſtati ſuæ inuictisſimæ ob metum,ut aiũt, aquæ inter cutem,à quo & gratia dei, & artis medicæ benè conualuit,uel conſuetudine,uel inordinata appetentia,uel uiolento medicorum irritatu ad uini cogar potionem cõdonandam,ſit eius uinũ album,uel coloris mediocris, imbecillium uirium,ut caput minimè percutere ualeat.dicente Gal.I.de Tuenda ſanitate,&. V. de locis affectis cap.V.Nã huiuſmodi uinum, ut uentriculum robuſtum efficit, ita haudquaquam tentat caput. Id quod facere ſolent ea,quæ ualentiores uires obtinent. &c.

DE CARNIBVS.

VEtuſtorum itaq; animantium pedeſtrium carnes Maieſtas ſua cauere debet,ut bubula caro,auctore Gal.III. de facultatibus alimentorum cap.I.ubi ait. Bubula uerò caro alimẽtum ipſa quoque non exiguum, nec diſcuſſu leue præſtat, ſed ſanguinem crasſiorem quã par eſt progignit. Quęcunq; igitur pedeſtria animalia temporis uetuſtate terrei alimenti naturam ſibi conceſſerint, non optimi ſanguinis,ſed feculenti, facultati naturali aduerſi,facile ſunt procreantia Maieſtati ſuæ nociui, ob adauctam atram bilem, quales ſunt ceruorum carnes,& capreolorum,arietum, & uetuſtorum caſtratorum. Quippe & ſuilla caro omni adminiſtrationis modo ei contumax exiſtit, uentriculum enim grauando craſſum progignit alimentum,& ſui natura non facile concoctionem recipiens; auctore Galeno ſeptimo meth.cap.VI.

Sint itaque Maieſtatis ſuæ carnes temperaturæ uergentis non immodice in calidum,& ſiccum.Quo fit, ut auiculæ omnes ſylueſtres in arboribus degentes, ac uictum in ſiccis locis trahentes, admodum ei conueniunt ut ficedulæ,

turdi,

turdi, merulæ, Palumbi ſylueſtres, frigellæ, & huiuſmodi. Quod ſi domeſticæ aues ad maiorem ſiccitatem ducantur, ut condimento parentur uidelicet hyſſopo, ſaluia, betonica, roremarino, & ſimilibus, quales ſunt capones, gallinæ, & domeſtici columbi, carneſque hædorum, & uituli lactantis, & unius anni, & iuuenis caſtrati ſuæ Maieſtati peridoneæ ſunt. Conueniunt quoque ei admodum faſiani, perdices, coturnices, cuniculi iuuenes, iuuenculæ lepores, & potiſſimum earum cerebrum, hyſſopo, & ſaluia paratum, longe fugiat Maieſtas ſua Aues omnes in aquis degẽtes, quoniam cum ſua humida temperatura, ei ſatis noxiæ ſunt, cũ turbidos ſpiritus uirtuti animali male ſeruientes progignant, quales ſunt Anſeres, anates, & ſimiles, Agninam quoque carnem Maieſtati ſuæ contumacem fateor, ob id quod humidiorem alitionem, quàm par eſt conducit, auctore Galeno in libro de cibis boni, & mali ſucci. &c.

DE PISCIBVS.

CVm apud Galenum ſexto de uſu partium capit. nono compertum ſit, omnibus animantibus piſces frigidiores eſſe, naturaque humido abundantes. Sanè cum hoc nõ admittat uictus ratio in affectionibus maieſtatis ſuæ. Idcirco ei piſces non concedemus. Illos ſanè maximè, qui in cænoſis, & ſordidis aquis ueſcuntur, Porrò & qui in paludibus, & lacubus capiuntur, excrementitia namque, atque mucoſa eſt admodum eorum omnium caro, auctore Galeno tertio de potentiis alimentorum. capi. XXIIII.

Fluuialium uero piſcium, non admodum ei noxia eſt caro, & tanto minus, quanto fluminis aqua, rapida, & multiflua eſt, ut ipſius torrentis fluxu piſces fatigentur. Quo fit, ut eorum caro minus excrementitia ſit, minuſque mucoſa reddatur. Potiſſimum autem Maieſtati ſuæ eorum piſcium caro, parum noxia eſt, qui in puro natant mari. maximè

ximè cum uentorum afflatu mare agitatum attollitur. Dixit enim Galenus tertio de potentiis alimentorum, capite uigeſimo quarto. In ſilente namque mari, nulliſque agitato fluctibus tanto piſcium caro uilior eſt, quanto minus exercitata. Nempe ſi Maieſtati ſuæ piſces admittamus, ad memoriam reuocare oportet, eos ſcilicet parare, ſaluia, hyſſopo, chamæpyti, betonica, roremarino, ipſiſque aliqua portiuncula cinnamomi confectis. Salitos piſces, minuſuè carnes ſalitas Maieſtati ſuæ non dabimus, ſi præceptum Galeni ſecundo de compoſitione medicamentorum obſeruabimus, ſal moleſtum eſt, maximè in cerebro. &c.

DE OVIS.

Quæ ab alitibus oua naſcuntur à Galeno tertio facultatis alimentorum capit. XXI. inter hominum numerantur alimenta. Quorum ſummam nutritionis laudem, gallinarum oua, demum faſianorum obtinuere. Porrò cum albuminis uis frigida ſit, & glutinoſa, maieſtatem ſuam incommodat. Solo igitur oui luteo eam uti nō ambigam. Sintque, oua ex eius comuni eſu recētia, & non diu aſſeruata, hæc ſanè recentia facile concoctioni obediunt. Diu uerò aſſeruata nedum concoctioni pertinatia ſunt, ſed prauorum ſuccorum progignentia, ob quam rem dixit Galenus tertio de potentiis alimentorum, capi. XXI. uerbum hoc, recentium porrò ouorum ad uetera, nō mediocris eſt differentia, Quippe optima, ſunt recentiſſima, peſſima perquamdiu aſſeruata. Non ſint quæ ſuæ Maieſtati largiuntur oua dura, ob id Galeni uerbum eodem in loco, cocta, ſeu oua durâ difficilis ſunt concoctionis, & tardi tranſitus, craſſamque alimoniam corpori exhibent, quæ ſanè cerebro nocua eſt. Porrò eius oua ſint tremula, atque ſorbilia dicente Galeno tremula, molliauè oua omnium bellisſimè nutriūt. Nempe & in aqua cocta ſint, quæ

acceperit

acceperit oua, ob id, quod in feruentibus cineribus aſſata, longè tardioris ſunt meatus, & craſſioris ſucci. Quippe, quæ in ſartagine condimento parantur longius diſtent à comuni uſu Maieſtatis ſuæ, ob illud Galeni dictum. Quæ uerò in ſartagine ad craſſitiem uſque friguntur oua, deterrimi omnino ſunt alimenti. Dum namque coquuntur nidorem, ac fumum edunt, ſuccuſq; ex his prognatus eſt non ſolum craſſus, uerum etiam prauus, & excrementitius, oculis, & toti corpori inimicus. &c.

DE LACTE.

LAc numerandum eſſe inter cibos, qui ab animalibus proficiſcuntur, compertum eſt à Galeno libro tertio, de facultatibus alimentorum cap. XIIII. & in libro de cibis boni, & mali ſucci, Quod ſi Maieſtatis ſuæ capiti attendamus, dubio procul, Lac ei denegabimus, iuxta illud Galeni quinto aphoriſmorum commento. LXIIII. Lac uerò, quod benè concoquitur, nutrit, & bonos facit humores, & dum concoquitur, his pariter attollit ilia, & caput tangit. &cet.

DE CASEO.

SErmo eſt Galeni tertio de uirtutibus alimentorum capite. XVI. Caſeũ ex iniecto lacti coagulo formari. Quippe cum formatur acrimoniam accipit, totamque humiditatem relinquit, Porrò & magis inueterato creſcit acrimonia, & his calidior, & urentior redditur, concoctionique contumatior, & deterrimi alimenti, quamobrem à tota ſui natura Maieſtati ſuæ caſeum minime dãdum putamus, Quippe & facultatis attenuatoriæ craſſorum corporis humorum caſeus ſit, plus porrò damni ex ſucci prauitate, & æſtuanti feruore infert, quàm craſſorum attenuatio prodeſſe

deſſe poſſit. Sanè igitur, cum omnium caſeorum hoc cõmune uitium eſſe ſolet Maieſtati ſuæ omnem pernegabimus caſeum. &c.

DE BVTIRO.

CVm ex eo, quod in lacte pinguiſſimum eſt, butyrum progignatur, atque leniendi facultatem ſibi conducat, concoquendi reſoluendique uim habeat, auctore Galeno decimo ſimplicium pharmacorum capi. XI. forte fortuna Maieſtati ſuæ butirum condonarem, lotum quippe hyſſopi aqua, uel ſaluiæ. &c.

DE OLERIBVS.

QVæ ex Oleribus Maieſtas ſua comedere debeat, Porrò excalfaciẽtia atq; exſiccãtia ſint, qualia hyſſopus, menta, calamentum, fœniculus, ſiſimbrium, ſaluia, betonica, roſmarinus, & ſimilia. Hæc enim conuenientis ſunt alimenti, attenuantis, diſcutientiſque, & diſſoluentis humores craſſos, glutinoſoſque, & uiſcidos, à quibus in Maieſtate ſua ſurgunt uapores, caput, & oculos offendentes, functionemque uiſiuam occupantes: ſint procul à ſua Maieſtate quæ ſunt frigidæ, & humidæ temperaturæ olera, qualia ſunt lactuca, endiuia, beta, ſpinachia, humidã enim alimoniam gignunt, à qua caput uaporibus implentur, & ſpiritus aquei generantur, admodum oculis contumaces. & cet.

DE TERRAE BVLBIS.

TErræ autẽ bulbos Maieſtas ſua cauere debet, qui mordaci acrimonia præditi ſunr, Qualia Cæpe, allia, aſcaloniæ, porri, & huiuſmodi. Horum enim aſſiduus

L uſus

uſus eſt euitandus, cum facultatem quandam alendi corporis obſcuris ſimam habeāt, auctore Galeno ſecundo ſimplicium medicamentorum. cap. ultimo & in libro de cibis boni, & mali ſucci. Quantum enim horum alimentum capiti nocuum ſit, oculiſque inutile, & incommodum, Quilibet in ſe ipſo teſtimonium perhibeat. Sed uenirem ego interrogandus, cũ acria planè omnia, facultate prædita ſint, excalfaciendi, atque craſſos humores attenuandi, uiſcidoſq; incidendi, ut eſt Galeni ſermo, indubitato ea eſſe innocua Maieſtati ſuæ cenſendũ uidetur, niſi accideret ea ſua mordaci acrimõia, & alimõiæ obſcuritate plus corpori noxia eſſe, quàm eidem imperio facultatis attenuandi, incidendique, & excalfaciendi, poſſe prodeſſe. Sanè Maieſtati ſuæ domeſticum, ac familiare edulium eſt enula, quippe & in ſolo illius eſu gaudere debet, & omne, quo utitur condimentum uiribus enulæ præditum eſſe debet, ſi oculi incolumitatem cupit, & facultatis uiſiuæ perpetuam conſiſtentiam, auctore Galeno ſexto, ſimplicium pharmacorum & principe ſecundo Canonis. cap. CCXL. &c.

DE FVNGIS.

FVngos quouis modo condiendi paratos Maieſtati ſuæ admodum contumaces ſunt, ne dum enim mali ſucci ſunt, uerum & alimonia ex his prognata, pituitoſa, gelidaque eſt, & os uentriculi uexans, ipſumq; pondere afflictũ, ac fungorum praua qualitate affectum, nedum ſpirandi facultatem intercipit, uerum & animæ functiones interimit, auctore Galeno ſecundo de facultatibus ſimplicium medicamentorum, & Auicē. ſecundo canone. capi. CCLXXIIII. ait Ex fungis, qui non interficiunt accidit præfocatio. &c.

DE FRVCTIVS.

DE fructibus, quibus homines ueſcuntur, hos quidem Horarios Priſci nuncupant; qui in anni hora naſcun

tur,

tur,quippe anni horam uocantes id tempus , in cuius medio canicula exoritur , auctore Galeno ſecuudo de facultatibus alimentorum.cap.ſecundo. Porrò hos quidam terræ fructus nuncuparunt. Quales ſunt.cucurbitæ,melones, cucumeres, pepones,& huiuſmodi. Qui cum frigidæ ſint tēperaturæ, atque larga humiditate affecti , nedum humidam progignunt alimoniam,ſed & exiguam,facileq; è corpore excernibilem,ut Galenus dicere audeat,id genus omnia uitioſo ſucco notata, ob quam rem , cum ſuæ Maieſtatis affectionum cauſæ , humido incrementum ſuſcipiant. Non ab re fructus huiuſmodi ab ea diſtare putarem, quippe & hii , qui eo ſuccedunt curſu , quales ſunt perſica , & mora.

Eos uerò,quos arboreos fructus appellitant,qui hominum cibos adiuuant , auctore Galeno ſecundo , facultatis alimentorum capi. ſeptimo à tota eius ſui natura eſu,non dabimus Maieſtati ſuæ , Hii enim , quorum mollis , atque humida eſt conſiſtentia, nedum humidam, tenuemque ex ſe alimoniam corpori afferunt , uerū & flatuoſam & capiti nocuam procreant. Quales ſunt ficus,pira,mala,perſica, armeniaca,ceraſa,pruna,& tales. Nempe ſi appetentia pulſa Maieſtas ſua, quempiam horum cuperet,maturas ficus, atq; uuas , ueluti minus nocuas ei tradi iuberem , minus enim praui ſucci adgenerant,omnibus his, Qui fugaces,& autumnales uocantur fructus,Et ſi pœnitus huius uitii nō immunes reddantur ficus , auctore Galeno ſecundo alimētorum.cap.VIII. Quippe & ipſi uentrem flatibus implent. Nēpe poma feruentibus cineribus cocta Maieſtas ſua nonnunquam eſitare poterit,excalfaciens enim ignis , nedum humidum nocuum minuit,uerum & flatuoſum ſpiritum ſenſim excernit.ſoluitque,Quod ſi ipſum hyſſopi pulueribus ſuperaſperſum cum zuccharo in ſecunda menſa edatur , edulium ei peridoneum putarem , & eo quippe tempore cidonia ſic pariter condita,ſuperaſperſa modico cin-

namomo & zucchario,non uitupero,cum ſua ui adſtrictoria cerebro à uentriculo condonata, repellant uapores malos, qui à uentriculo ſurgentes ſoliti erant & caput, & oculos offendere.

Vbi uerò fructus eſſent facultatis huiuſmodi adſtrictoriæ non repellentes tamen uapores uel fumos ad caput eleuari aſſuetos ſed plus eorum ſit natura eos fouere, procreareue, tales certè ſuæ Maieſtati contumaces proclamarem. Quales ſunt nuces iuglandes,& nuces auellanæ,auctore Galeno ſerundo de facultatibus alimentorum, capite uigeſimo octauo. Compertum enim eſt,cum nuces utræq; à uentriculo prorumpunt ad caput uapores,ipſum grauant, & dolores in eo excitant, & uiſum obnubilant, imagineſque, & uertigines ſuſcitant. &c.

DE LEGVMINIBVS.

CAEterum ob id quod Legumina, nulla gratia,nullaq; iucunditate commendantur. Quippe & flatibus uentres admodũ implent,auctore Gal.libro primo de facultatibus alimentorum,ea certè Maieſtati ſuæ, cuius cũq; generis apparatus fuerint,ingratas eſcas pronuntiabo.Vbi autẽ inordinata appetentia ad eſum eorum me cogeret,aliquãdo cicerum rubeorum iuſculum Maieſtatem ſuam ſorbere non denegarem,certè ei non admodum inutile puto fore,ſi tale paretur iuſculum hyſſopo,ſaluia,roremarino,betonica,& cinnamomo,marathroq;.Nempe ſic paratum iuſculum attenuandi,& abſtergendi, diſſoluendique craſſos, atque glutinoſos humores ui pollet. &c.

DE EXERCITIO, ET QVIETE.

HVmani corporis excogitata dimotio, uiri docti, non ſolum ad ſanitatis tutelam, uerum etiam ad bonam

corporis

corporis habitudinem neceſſariam eſſe Priſci omnes prædicarunt. auctore Galeno libro primo de ſanitate tuenda. Porrò ut ſua Maieſtas bonam reparet ualetudinem, ei præcipere oportet, ut corporis motione, atque exercitatione gubernetur. His enim ne dum totius corporis uerum capitis humiditates excrementitiæ expurgantur, diſſoluunturque, Quo fit, ut organa ſenſuum remaneant pura ab illis humiditatibus, quibus ſua Maieſtas & in capite, & in oculis corripiebatur, at quoniam non leue incommodum nonnullis accidit, cum repleti cibo ſe exercent, ut ait Galenus ſexto de Tuenda ſanitate, non ab re eam impleto uentre exerceri nollem. Ea inquam motione uaporibus plerunque impletur caput, fluxiones deſuper cadentes progignentibus, admodum oculis noxias. Potiſſimum igitur eius dimotio ſit ante cibum, quoniam ea uirium corporis robur augere ſolet, auctore Galeno ſexto de locis affectis capite ſexto. Quippe & ea exiguos meatus corporis expurgat, & excrementa pellit; & ob id dixit Galenus ſecundo de ſanitate tuenda uerbum hoc. Vtilius eſt ante cibos exercitationem adhiberi. Vbi uerò motionem corporis impedimentum ſuæ Maieſtati occurret, ad has quidem motiones ducere ſoleo leues frictiones & capitis & corporis totius. Hæ enim, quæ extrinſecus ſunt, rapiunt, quæ uerò in intimis ſunt diſcutiunt, & uaſa mundant, & à deſuper deorſum trahendo oculos puros, & nitentes reddunt. & hic eſt Galeni ſermo ſecundo de Tuenda ſanitate. &c.

DE SOMNO, ET VIGILIA.

SI ambo uidelicet ſomnum, & uigiliam coniectari uolumus, Hæc ſane fieri ſecundũ innati caloris motiones cõperiam, auctore Gal. II. aphoriſ. primo ſomnum quidem ad

intima corporis, uigiliam uerò ad exteriora natiuo calore promoto. Ob quam rem cum in ſomno multo, natiuo calore ad intima uocato ex halitibus multa quantitas capiti ingeratur, quibus fluxiones oculos, & totius corporis cauitates implent, ut Galenus ſenſit. Idcirco Maieſtatem ſuam nollem multo gaudere ſomno, Quippe cum in diurno ſomno cauſa caput, & oculos, & dentes, & cetera corporis membra, offendens, concreſcat, non ab re ipſam lubentisſimè à diurno ſomno priuari omnino crediderim. Sed uenirē ego interrogandus, cum ſomnus multus, diurnuſque, ſit ſuæ Maieſtati aſſuetus. Et dixit Hippocrates ſecundo prædictionum. De ſomno quemadmodum ex natura, & in conſuetudine eſt. Igitur ſi conſuetudo ſit natura, ut etiam dixit Galenus ſecundo de temperaturis. Dixitque in ſecundo de ratione uictus acutorum commento XXXIIII. Vbi ait conſuetudinem admodum fortem rem eſſe, à cuius permutatione ad contrarium, maximum inſurgit corporibus nocumentum, cæterum dixit Galenus ſecundo prædictionum commento undecimo. Quod conſuetum eſt, bonum eſt, inconſuetum uerò malum. Igitur ſi ſuæ Meieſtati ſomnus multus, diurnuſque aſſuetus ſit, eidem bonus eſt, contrarius uerò malus, ſanè non me latet, quod ob uictus rationem quam ſecundum naturam, Priſci Hippocrates tempore, obſeruabant, non diſſonum fuiſſe dicere non aliud eſſe ex natura, & aliud in conſuetudine, quoniam hii in his tantum, quæ ſecundum naturam erant, conſuetudinem ſibi uendicabant. Quo fit, ut rectè dicatur tunc temporis, quod conſuetum eſt, bonum eſt, & quod inconſuetum malum. Noſtris quippe temporibus, cum uiri, mulieresſque uictus rationi præter naturam, magis aſſueſcant, non ab re Hippocratis ſententia nullam apud nos ueritatem obtinebit, uidelicet, quod non aliud fuit ex natura, aliud in conſuetudine, neque ſanè apud nos uerum eſt, quod conſuetum eſt, bonum eſt, & incon-

ſuetum malum. Sanè tamen ſi quid ex uictus ratione præter naturam, conſuetum factum eſt, non quippe bonum eſt, neq; quod ex uictus ratione ſecundum naturam factum eſt inconſuetum eſt bonum, ſed malum. Propterea non quæcunque ſunt ſecundum naturam, ideſt conſuetudinem bona ſunt, quoniam conſuetudo acquiri poteſt ex ratione uictus præter naturam, ex qua nihil boni contingit, pariter quoque & ſi Maieſtas ſua Inuictisſima aſſueta ſit multo, & diurno ſomno, cum hanc ſuſceperit conſuetudinem à uictus ratione præter naturam, proculdubio non erit ſuæ Maieſtatis ſomnus multus, ac diurnus, bonus, Quo fit, ut ab eo amouenda ſit, quoniam non eſt adhuc Maieſtas ſua in pallida ſenecta conſtituta. Non quippe ab eo repente mutatio fieri debet, tum quia repente illius ſomni conſuetudinem non ſuſcepit, tum quoniam natura ſubitas mutationes tolerare nequit. Et ob hoc Maieſtas ſua non incurret nocumentum per tranſitum ad rem inſuetam, quoniam ſenſim & non confeſtim in hoc permutari contingit, ut eſt Galeni ſermo tertio artis medicæ. Hortor igitur Maieſtatem ſuam, ut uetuſtam illam multi, ac diurni ſomni aſſuetudinem, quam modo posſidet, ſenſim negligat, perdatque ſeruato Galeni, ac Hippocratis documento ſecundo aphoriſmorum textu, & commento quinqnageſimo. &c.

DE GAVDIO ET TRISTITIA.

CVm nimio gaudio facultas animalis, ad exteriora feratur, ſi quid antea, ei adfuerit roboris, dum exteriora petit, diſcutitur, atque disſipatur, ut nonnulli ſupra modum puſillanimes repente mortui ſint, auctore Galeno ſecundo de cauſis ſymptomatum, fit autem contra triſtitia reuocato ſpiritu, & calore ad cor, ut etiam contingat aliquando præ ſpirituum multitudine in maiori triſti

tia,

tia,quàm oporteat, natiuus, calor in corde ſuffocetur, & homo repente animam agat. Propterea Maieſtas ſua moderatè gaudeat haudquaquam plus opportuno, ne ualido motu ac feruore animata facultas ad exteriora, ita feratur, ut exoluatur, laxeturque. Pariter quoque Maieſtas ſua non ſupra modum triſtetur, ne forte fortuna tanta ſpirituum copia cordi contingat, ut ipſi confundantur, adſtrigantur que, & cordis calor natiuus perdatur, ob mœſtitiam quippe caueat Maieſtas ſua à frequenti lachrymarum ab oculis præruptarum emisſione. Hæ enim lachrymæ defluxionem quandam de capite decumbentem, ortam à compresſis cerebri partibus indicát, ut ait Galenus primo prædictionũ commento. XIII. Quo fit, ut fluxiones illæ ad oculos pertingentes, in his lippitudines, imagines, uertigines, uiſionẽ imbecillem, dolores, tumores, roſiones, ſcabrities progignant. Quæ omnia Maieſtatem ſuam acerrimè perturbant Perdat igitur lachrymas Maieſtas tua, & per iouem tuarum affectionum cauſam perdes, & abolita cauſa non conſtabunt effectus, auctore Galeno ſecundo aphoriſmorum commento. XXII,

DE INANITIONE, ET REPLETIONE.

DOcti uiri, uitæ Regiæ Maieſtatis moderatores, non uos admirari uellem, ſi uitioſam ciborum, impletionem, & malorum ſuccorum copiam, ſimplici uerbo à me damnari dignoſcetis. Sane cogor id fateri Galeni uerbo primo aphoriſmorum commento tertio ubi ait. cum enim uaſa cibis, ac potibus fuerint ſupra modum repleta, periculum eſt, ne diſrumpantur, aut calor natiuus ſuffocetur, & extinguatur. ob quam rem cum omnis immodica plenitudo morbos progignat, uel foueat, ut ait Galenus in libro de plenitudine, & tertio artis medicæ,

cæ. Nō ab re hortarer Maieſtatem ſuam in cibis & potibus ſeipſam parcè gubernare: ut ne in eam, quam plenitudinem humorum nominant, facile incidat, ſeu in ea foueatur, quoniam ab ea Maieſtatis ſuæ affectiones nedum fouentur, quinimo incrementũ ſuſcipiunt. Idcirco parcè eſitet, ſorbeatque, ne ciborum, ac potuum copia, pulſis à uentriculo uaporibus ad caput, excitentur cauſæ, uel progignantur ſuarum affectionum, cæterum potius moderatè uentres ſuos inanire ſtudeat, aut cibi & potus parſimonia, aut ſenſim cum purgatorii medicamenti euacuatione, ut poſtea dicemus. &c.

MEDICATIO PER POTIONEM.

CVm iam à nobis oſtenſum ſit, quali uictus ratione Maieſtas ſua inuictiſſima uti habeat, alteram rem, quæ eſt per potionem medicatio, aggrediar. Quam morbi profligandi facultatem libro primo de ſanitatis tutela Galenus appellat. Verum quoniam ſuæ Maieſtatis morbus diutinus eſt, ut cæteri morbi longi, ob craſſos, lentos, ac frigidos fiet humores. Quo fit, ut non facile concoqui poſſint, ut eſt Galeni uerbum ſecundo aphoriſmorum commento. XIX. Quippe in patiētibus particulis impacti ſunt, atq; agglutinati, adeo quòd eorum naturæ magis præ duris tumoribus, quam inflammationibus aſſimilantur, ut Galenus ſenſit, Idcirco curationis modus affectionis ſuæ Maieſtatis eadem medicari die, ut in acutis non expedit. Quippe in his eadem medicari die, non modo irrationalis eſt, uerum & fallax, atque pernitioſus eſt modus, auctore Galeno primo aphoriſmorum commento uigeſimo ſecũdo. Quo fit, ut huiuſmodi affectũ ſenſim medicari opere pretium ſit, tum altero die morbi cauſam æquando, tum concoctum excernendo, ueluti edocuit nos Galenus primo aphoriſmorum commento uigeſimo quarto, & ſecun

do aphoriſmorum commento nono.

Sanè igitur nullo porrò ductus errore mihi ſuadeo Maieſtatem ſuam binis medicationibus per anni tẽporis ſpatium, medicari oportere, altera uernali, Altera uerò autumnali, temporis initio. Quippe huiuſmodi medicationes præcauentes erunt morbos, qui futuri ſunt, atque curantes illos, qui iam adſunt, ut præcauendi atque curandi morbos eodem aggrediar ſcopo.

At quia à doctis, & optimè expertis Maieſtatis ſuæ medicis, tot, & tanta præſidia Maieſtati ſuæ oblata ſunt, tum ad morbi initium, tum ad eius proceſſum, ut ferè in morbi profligatione nihil remanſerit, ſuper quod & ratiocinari & experiri poſſim, attamen ut boni coqui fungar officio pro huius Reginæ benè merita ſalute ſic loquar.

Fretus ego tot, & iam tantis præſidiis Maieſtati ſuæ adhibitis, tum concoquendo, tum purgando, tertium medicationis inſtrumentum aggrediar, uidelicet, & uenarum ſectiones, & id quod urendo manu poſita à nobis effici ſolet, indubitato igitur iubeo clyſterio leniente prius appoſito, ut uenæ illæ, quas emorrhoidas nominant, hyrudinibus referentur, cum ſuæ Maieſtatis affectiones quid melancholici ſapiant, & ait Hippocrates ſexto aphoriſmorum. Melancholicis, & nefreticis, emorrhoides innatæ bonum, tum quoniam à capite, per directionem euacuant, tum quoniam affecto lieni hypochondriacæque paſſioni, qua facile poſſet Maieſtas ſua corripi obſequium præſtant, tum etiam ut ait Princeps, ſimul unà à capite uapores, & materiam euacuant, Sitque earum ſanguinis euacuatio, donec quattuor exierint unciæ. Hac poſitione hyrudinum acta, certè ſatis diuertente, deriuatione utendo, iuxta modum Galeni ſecundo artis curatiuæ ad Glauconem, & tertio artis medicæ, uenis poſt aures admouerem, & ut etiam natura aſſuefieret ad defluxum contrarium. Demum uerò, ut

rò, ut ad maiorem agerem deriuationem, & ad materiæ propinquam euacuationẽ, narium uenas intus aperirem. Deinceps uerò angularem uenam offenſi oculi ſecarem ea parte, qua morbus infeſtat, tunc enim antiquati morbi materia exquiſitius euacuabitur. Sane non uellem quempiam mihi obiicere Maieſtatem ſuam alias in aquam inter cutẽ propenſam fuiſſe, cum audierim eam ualidè & exquiſitè beneficio dei, & artis liberam euaſiſſe. ob quam rem cum hoc fieri non poſſit, niſi iecoris natura ad ſuum priſtinum reuertatur ſtatum, qui ut diximus eſt ſanguinis aggeneratiuus. Igitur ob has ſanguinis miſſiones non terrerer elegantius in ocularibus affectionibus ſuæ Maieſtatis ſequi obſequium, quàm nocumentum, quod ex timore aquæ inter cutem futuræ, inualeſcere poſſet.

Cæterum ut completam curationem omnium capitis, ac oculorum affectionũ ſuæ Maieſtatis adipiſci ualeamus, opus illud, quod urendo perficitur, non prætermitti iuberem, propter ea, quæ in ſexto de morbis uulgaribus ſcribuntur à Galeno, & à Principe in tertio canonis pluries, ſua enim abundanti ſiccitate, cerebri humiditates conſumuntur, ut hinc & inde defluere nequeant, præter hoc etiã quod uigente calore, ſicco adiuncto, membrum effectum frigidum & humidum admodum confortatur, ut ait Ariſtoteles quarto metheorologicorum. Ob hæc igitur, ut ob ſeruarem præceptum Galeni quinto aphoriſmorum commento ſexageſimo octauo, ubi ait. Sic itaq; diuturnæ oculorum fluxiones ſæpius ſanatæ ſunt, ex partibus ſecũdum occiput miſſo ſanguine una cũ cucurbitulæ uſu, ita & nos loco eorum ſubſidiorum ea in parte cauteria ſoliti ſumus admouere, diuturna enim perſeuerãte in diutinis morbis, euacuatione ſenſim facta, maius obſequium ducit, quàm repentè, & præcipitanter facta, ut docuit Galenus primo aphoriſmorum commento uigeſimo quarto, & ſecundo aphoriſmorum commento nono. Admouerem igitur in

effectu uel poteſtate,duo cauteria, duas ſuæ Maieſtatis particulas urendo, uel ad minus alteram earum. Sanè hoc fore peridoneum præſidium ſuæ Maieſtati nihil ambigo. Quippe ſit primum in colli ſpondilium ſecundo uel primo, ubi collum iungitur craneo, Secundum uerò in brachio ſiniſtro longe à ſuperiori iunctura partis ſyluestris ſpatio digitorum quattuor, & tandiu aperta ferantur, donec Maieſtas ſua, in ſolitam ualetudinem perueniet, quam breui temporis interuallo deo uolente adipiſcetur, ob dictum Galeni ſexto de morbis popularibus, & albucaſis, ubi aiunt, his uſtionibus adhibitis, humores, qui cerebro ſubiectas partes occupant, foraminibus illis ad exteriora corporis ducuntur. Vbi uerò Maieſtas ſua tot uſtionibus moleſtè grauaretur, conſulo, ut unam earum ad minus nequaquam aſpernantur, cum ex his, uel eorum altero inſigne, ac peridoneum iuuamentum Maieſtas ſua concapeſcere ualeat. Non lateat tamen Medicos ſuæ Maieſtatis priuſquā eam operibus manuū ſubmittant, quod conuenięti medicamento purgare eam non negligant, propter uerbum Galeni tertio artis medicæ, ubi ait, medicum uolentem oculum curare, prius curpus totum, & inde caput curet, aliter enim periculum eſſet, attractionis maioris copiæ humorū ad oculum. Et hæc de tertio medicationis ſuæ Maieſtatis inſtrumento.

Reuertar igitur ad id, in quo fui, uidelicet ad ſecundum medicationis inſtrumentum, quod eſt medicinarum exhibitio. Et pro conſulto Maieſtatis ſuæ dicam, initio igitur ueris tranſacto, Maieſtatem ſuam medicamentis purgari iubeo. Porrò purgationibus peridoneum eſt id tempus, auctore Galeno in libro de ſanguinis miſſione. Verum quoniam Hippocrates nos edocuit ſecundo aphoriſmorum nono, & Galenus primo aphoriſmorum commento uigeſimo quarto, ubi ait. Vbi quis corpora purgare uoluerit, oportet fluida facere, mihi nempe aſſuetudo eſt, flui-

dum in primis corpus efficere, medicamento à latiori-bus uiis educente, ne à prauis eorum flatibus principa-lium uires offendantur, in quibus prima medicantis in-tentio locari debet, auctore Galeno nouo metho. com-mento decimo quinto. Hæ enim imbecilliores ob id affe-ctæ, proximã morbi cauſam, concoquere nequirent. Prius igitur deuoret Maieſtas ſua antequam per horam uentricu-lum impleat, quod ſequitur.

Floridæ caſsiæ recenter eductæ drachmas decem accipi-to, betonicæ in ſubtilem puluerem ductæ drachmam u-nam, & mediam ei admiſceto, & bolum conficito, & uo-randum dato.

Altero nempe ſuccedente die priuſquam ſolis ortus adueniat, antidotum hanc ſuæ Maieſtati commodam, ſeptem non intermittentibus diebus, potandum, calidam tribues. Craſſos ſanè, ac glutinoſos, frigidoſque humo-res, concoquit, attenuatque, ac diſrumpit, cerebrumque ro borat, & uiſui, & oculis ualde adminiculatur.

Radicum acori, ſtæcados, ſatureiæ, maioranæ, ſaluiæ, be-tonicæ, calaminthes mentaſtri, origani, marathri. de quoli-bet quantum manus capere poteſt, accipito. Radicum en-diuiæ, buglosſi, de qualibet. Vnc. med. ſumito. Ex his om-nibus coctis, ut decet, cum ſaccharo optimo fiat ſyrupus, cum quo unica ebulitione quæ ſequuntur ligata in panni linei fragmento decoquito, cinnamomi, gariophyllo-rum, cubebarum, nucis muſcatæ, ſem. pæoniæ, roſarum rubearum, corallorum rubeorum, ſpicæ, aniſorum, de quolibet ſcropul. I. aſſumito, pulverizato, & ſic ebulito, & colato nulla expreſsione adhibita. Eo igitur ſyrupo ſic uti debet ſua Maieſtas ſyrupi roſati, ſyrupi de ſucco fœniculi, de quolibet. Vnc. med. accipito, ſyrupi iam confecti. Vnc. I. aquam fœniculi, ſcabioſæ, & betonicæ, de qualibet. Vnc. I. ſyrupis permiſceto, & potui dato. Sane octaua die in-ditiis concoctionis apparentibus, priuſquam nox è tene-

bris

bris ad lucem uertatur duabus horis, ſequenti purgatorio purgetur. Mannam optimam pondere unius unciæ accipito, diaſenæ lenitiuum, diacatholiconem, de quolibet pondus drachm. iii. accipito. Reubarbarum optimum ad pondus unius drachmæ, non infundatur, ut humores etiam craſſos excernat, electuarium de ſucco roſarum ad pondus drach. II. ſumito. Et hæc omnia in decocto comuni capitali ſoluito, & potui dato. Conſuetudine ſanè ſeruata, quam plerique medici in purgationibus ſeruare ſolent. Vbi uerò medicinarum potiones guſtum Maieſtatis ſuæ perturbarent, iuberem ſequentem bolum Maieſtatem ſuã ingurgitare. Agaricum in oxymellite paratum, pondere ſcropul. ii. accipito. Turbith bonum, cum paulo zinziberis puluerizatum pondere. drach. I. & med. ei iungito, cui etiã Reubarbarum cum portiuncula ſpicæ pariter puluerizatũ pondere ſcropul. iiii. apponito. Mannæ. Vnc. med. atq; zinziberis uiridis. drach. I. omnibus permiſceto, & in bolum conducito, & eadem hora exhibeto.

Vbi uero Maieſtas ſua libentius pillulas aſſumeret, erunt ſanè Maieſtati ſuæ commodæ & peridoneæ, quæ ſequuntur pillulæ. Pillulas aureas Nicolai, pillulas ſine quibus, pro utraque earum ſcropul. I. accipito pillulas lucis pondere. drach. med. his iungito, & ex omnibus cum ſyrupo de ſtæcadè, pillulas quinque conficito, & eadem hora dato.

Cœterum eo temporis interuallo, quo totum uernale tempus finietur, ſuccedente quippe hyberno tempore, uno cuiuslibet ſeptimane die, cum Maieſtas ſua cubare, uoluerit, iuberem eam, unam de ſequentibus pillulis ingurgitare. Turbith boni, agarici electi, cuiuslibet. drachm. ii. accipito, ellebori nigri præparati dcachmam unam, Reubarbari electi. drach. I. & med. ſpicæ grana. VII. ſumito. Zinziberis, ſpicæ, utriuſque, grana. iiii. ſeminum pæoniæ, ſeminum citrii, cuiuslibet drach. I. ſem. fœniculi, aniſorum, be-

tonicæ,

tonicæ,de quolibet.drach.I.Epithimi.drach.med.prædictis iungito.Mirabulanorum citrinorum,& indorum, cuiuslibet. ſcrop.ii. ſpecierum hyeræ ſimplicis Galeni. Vnc.I. diagridii.drach.med.Hæc omnia cum aliis miſceto, & omnia in ſubtilem puluerem reducito, additoque electuario roſato meſue,paſta pillularum conducatur. Doſis numero.I. ſcropulum unum.

Conſulo quoque omnibus duodecim diebus Maieſtatẽ ſuam bolum ſequentem prope diluculum ingurgitare,eo quippe die non ingurgitata pillula, parumque ſuperdormiat. zinziberis uiridis.Turbith boni, cuiuslibet drach.ii. accipito, & bolum conficito, & ſuæ Maieſtati dato. &c.

Conſulo iterum cum ſua Maieſtas accumbere ueſperi uoluerit, ſequentis mixturæ quantitatem nucis auellanæ ſub palato detineat,donec ſenſim lambendo totum deſcẽdat, conſeruæ ſtæcados,conſeruæ anthos, zucchari roſati, de quolibet.Vnc.I.accipito,& mixturam conficito.

Cœterum Medicus mentem habere debet, ad imaginũ apparitiones coram oculis,ne Maieſtas ſua in ſuffuſionem procidat. Roborabit igitur oculum, uetabitque omnem præſentem, ac futuram affectionem oculis ſuæ Maieſtatis contingentem, ſi crebro oculos diluet, ſequenti oculari aqua.Vini albi aromatici.lib.ii.ſucci fœniculi, ſucci uerbenæ,ſucci plãtaginis,cuiuslibet lib.med.accipito.Lapidis calaminaris ter extincti cũ aqua roſacea, & iterum ter extincti in urina pueri non polluti. Vnc.ii. lapidis tutiæ pariter extincti.Vnc.I.& med.ſumito,& his addito ligni aloes,xylobalſami, utriuſque.Vnc.med. his omnibus puluerizandis in ſubtilem puluerem redactis iungito, fellis perdicis, fellis lucii utriuſque. Vnc. iii. aquæ roſatæ extinctionis dictorum lapidum lib.I. omnia quippe ſimul in alembicco uitreo ponatur,& diſtilletur aqua, quæ inde uſui ſeruetur.

Vbi uero tuberculum palpebræ, in Maieſtate ſua curationem non admitteret, cum his,quæ dicta ſunt præſidiis,

tum

tum ex uictus ratione; tum ex officina chyrurgiæ, tum ex medicinarum potione, ſi molle tuberculum eſt continuè quippe conſiſtens; & non quandoque deliteſcens, ſit medici intentio reſolutio, ſanè per quindecim dies non intermittendo, cum ſpongia madefacta in dicendo liquore, mane, ueſperique foueatur tuberculum id. Cooperoſe in ſubtilem puluerem ductæ. lib. med. radicum ebuli per fruſta paruula diuiſarum. Vnc.ii. ebuliant unica forti ebulitione ſimul in uini albi potentis. lib. iiii. & cum miti caliditate fiat, ut dicitur.

Cœterum conſulo, peractis iam dictis diebus Maieſtatem ſuam portiũculam ceroti ſubſcripti ſupra corium extenti tuberculo appoſitam ferre; peridoneum enim tuberculi diſſolutionem non longo tempore ſequi, dignoſcet maieſtas ſua. &c.

Aluminis iameni puluerizati. Vnc.I. ammoniaci pulueri zati drach.ii. bulbi ſub cineribus cocti. drach.I. & med. capitum ſtincorum. drachm.ii. & med. Quippe ſtinchi marini prius aſſari debent in ciato nouo corticis cucumeris ſylueſtris drach.I. accipito, & ſubtilisſimè omnia ſimul puluerizato, ſanè puluers diu cum melle, & aqua uitæ, atque comuni oleo antiquisſimo æquo pondere permiſceto, & diu ducito, donec conſiſtat ueluti paſta, quædam, cui adde paululum ceræ, & uſui ſerua.

Vbi uero tuberculum ueluti callus palpebræ induratum foret, prius mane, & ueſperi per uiginti dies tuberculum ſubſcripto unguento ungatur, ueſperi tamen ſuperponendo portiunculã lanæ ſuccidæ in unguento emolitæ.

Medullã cruris anterioris uituli. Vnc. ii. accipito butiri, pinguedinis gallinæ, de quolibet. drach.iii. ſumito, pinguedinis recentis porci maſculi, dialtheæ, de quolibet. Vnc. med. aliis iungito, omniaque ſimul tepido igne bulito quouſque omnia liqueſcant uti unguentum, & uſui ſerua. Poſtea opere precium eſt ad cerotum dictum reuerti. Vbi

uerò

uerò tuberculum palpebrarum in Maieſtate ſua factum fo ret uti callus, recurre ad Galenum, quarto de compoſitio ne pharmacorum, ſecundum locos, & multa expedies.

Vbi forte fortuna tuberculum id exituram purulentam promitteret, cum his iam expletis præſidiis, complemen tum ſuppurationis eius exequamur, appoſito ſequēti em plaſtro. Succum altheæ, & maluæ, butirumque, & maſtica tum triticum, cum ſucco yreos, & gallinæ pinguedinem, ſingulorum. Vnc. med. accipito. croci. ſcropul. I. iungito, & omnia in mortario bene ducito, donec fiat unguentum, quod ſuper ſuccidam lanam extenſum tuberculo apponatur. Et ubi diſrumperetur, mundificetur, abſtergaturque, & exſiccetur, atque conſolidetur, cum diaquilone, magno, & dyaponpholigone Galeni ſimul mixtis. Cum enim mor bus ſit in membro cartilagineo, unguentum illud omnes expedit intentiones.

Nempe uenirem ego interrogandus, ſi priuſquam tem pus uernale terminum ſuum poſſideat, Nonnullæ naturales ſint thermæ Maieſtati ſuæ peridoneæ? Huic dicere aude rem, ſi præceptis ſalutaribus Galeni, & Principis aſſentiri cupiam. Quæ ex naturali minera ſulphurea, atque aluminoſa, ſalſa uel uitroſa aquæ ſcaturiunt, indubitato ſuæ Ma ieſtati peridoneæ ſunt, non quippe epote, cum defluxiones à capite earum facultate excalfaciente, & exſiccante præci pitanter magis irruerent, & ſuas affectiones augerent. Vbi uerò eas aquas ad contexturam coronalem ex alto caden tes maieſtas ſua ſuſciperet, quin ei inſignæ præſidiū adueni ret nequaquam ambigerem, illis tamen exquiſitè ſeruatis, quæ ſimili aquæ cadenti obſeruiunt, congruuntque. Igitur intrepida fronte iuberem, priuſquam uernale tempus à nobis effugiat, Maieſtatem ſuam ſulphureas, ac aluminoſas thermas aggredi debere ob craſſos, ac glutinoſos humores Maieſtatis ſuæ, caput tenentes, & ad læſas partes irruentes, uaria uitiorum genera eas excitantes. Horum

N quippe

quippe uitioſorum humorum,& pituitoſorum, maximũ remedium eſt eos deſtruere, & conſumere, Porro hoc fit per attenuantia, & abſtergentia medicamenta, atque exſiccantia, auctore Galeno ſeptimo de compo. med. s. l. capite tertio, quale eſt ſulphur, ut dixit Galenus nono ſimplicium medicamentorum.

Verum eam aquam ad contexturam coronalem ab alto cadentem, ualentius ſuſcipere iubeo. Quo fit, ut fluxioni fouenti, quod in ſua Maieſtate iam uetuſtum eſt, ſalutare remedium conducatur. Eo enim occurſu quod frigidum eſt calido alterabitur, Quod craſſum attenuabitur, Quod uerò humidum eſt, ualentius exſiccabitur, & capitis uires conſolabuntur, ut pituitoſum humorem nõ progignant,& prognatum ſoluant.

Nempe Thermæ Maieſtati ſuæ conuenientes ſunt, quæ in ſulphuræ, ac alumine non admodum ſunt eleuatæ, ne plus exſiccent, quàm oportet, tunc nocumenta ſiccitatis Maieſtatis ſuæ eſſent deteriora his, quibus modo affligitur, & ob huius aquæ functionem, facultatis animalis organa non grauabuntur. &c.

Aquæ ſuæ Maieſtati peridoneæ apud nos Italia ſunt, quæ in comitatu patauino ſitæ ſunt, ut abbani,& Sanctæ Helenæ, & ſimiles.

At nollem quempiam mihi obiicere, cum omnium thermarum aquæ è minera ſcaturientes calidæ ſint, & ſuæ Maieſtatis cerebrum calidum ſit, non ne ex caſu aquæ Thermarum ad contexturam coronalem cerebri caliditas adaugebitur, & eliquationes concreſcent, niſi eſſet quòd huiuſmodi aquæ ualentius exſiccando operantur, quàm calefaciendo.

Verè dixiſti tu, ſuæ Maieſtatis cerebrum plus humidum, quàm calidum fore, indiget igitur maiori exſiccatione, quam, ſanè tales aquæ operantur. Vel dicerem uocor medicari temperaturam cerebri præter naturam, quam mo-

do

do dixiſti tu frigidam eſſe, & humidam, ob quam ſi uſu moderato moderateque aquæ in qualitatibus ſuis Maieſtas ſua Duciam ſuſcipiat, grande quippe iuuamentum conſequetur, abſit etiam Maieſtatem ſuam ſubmitti debere, frigidæ Duciæ, tum quoniam frigidi humores in cerebro illius compingerentur, & cerebri frigidi morbi progignerentur, quod Deus auertat, tum quoniam frigidum inimicum cerebro, ut ait Hippocrates quinto aphoriſmorum. XVIII, &c.

Ob errata, quæ in uictus ratione contingunt, non modo morbi fiunt, uerum & ab anni temporibus, quorum naturæ, atque mutationes morborum naturis affines ſunt, auctore Galeno tertio aphoriſmorum, commento. XIX. Quippe cum hyberno tempore cerebri affectiones uigere ſolent, auctore Hippocrate tertio aphoriſmorum uigeſimo tertio. Non ab re Autumno procedente Maieſtatem ſuam iteratò, purgatoriis uti medicamentis, ut ab initio curationis expoſui, facilè iuberem. Quippe cum autumni tempus ad nos aderit, eam ſeptenis ſubſcriptis ſorbitionibus nequaquam intermittente, die priuſquam nobis ſol eluceſcat, uti uellem, ſyrupum de ſtæcade, ſyrupum de hyſſopo, ſyrupum roſatum, ſyrupum de ſucco fœniculi, quorumlibet. Vnc.med. accipito, quibus betonicæ, aquam fœniculi, uerbenæ commiſceto, & potui dato. Cæterum cum coctionis inditia apparuerint, ſic Maieſtatem ſuam purgato. Pillulas cochias almanſoris, pillulas ſine quibus pillulas aureas Nicolai, quorumlibet ſcropul. I. accipito, & partes duas ſcropuli unius miſceto, & pillulas quinque conficito & ante lucem exhibeto.

Hyberno nempe tempore ſuccedente, quod experientia frequentius didici, Id Maieſtati ſuæ præſidium ſalutare eſſe non ambigam, uidelicet ſi octo dierum ſpatio, ac tẽporis interuallo. Terbinti reſinam cum aqua fœniculi lotam ſemel atque iterum non pleno uentriculo, Maieſtas

ſua deuoret. Doſis eſto quatuor drachmarum uel ſex. Vidi hoc apud Galenum libro quinto de tuenda ſanitate, ubi ait. Similiter & terebinti reſina. Sumitur autem aliquando nucis ponticæ magnitudine, aliquando duarum triumq́; Quippe non modo aluum ſoluere citra noxam poteſt, ſed etiam uiſcera omnia abſtergere. &c.

Verũ enimuerò peractis purgationibus, quippe & præcedente ſanguinis miſſione, ſiue uernale, ſiue autumnale tempus adfuerit, cum in nullis ſuæ Maieſtatis affectionibus aquam decocti ligni Guaicani, cõtumacem reperiam, læta mẽte iuberem maieſtatem ſuam eius potioni ſubmitti debere, obſeruatis his omnibus, quæ ad uictus rationem attinent. Et hæc pro ſalute ſuæ Sereniſſimæ ac Inuictiſſimæ Maieſtatis.

Dixi ego Benedictus Victorius Fauentinus, ætatis meæ annorum ſeptuaginta duorum, & annorum quinquaginta practicæ, ac Lecturæ meæ nunc in Doctiſſimo Gymnaſio Bononienſi Theoricã medicinæ publice edocens, ad illius gloriam, qui nos regit, & mundum, cæloſque gubernat.
& cet.

AD AEGRITVDINEM, QVAE OPHTHALMIA NVNCVPATVR, Pro nobili iuuene Domino Stephano Auguſtino Foroliuienſi.

Conſilium. IIII.

PRVDENS & modeſtus Iuuenis Stephanus de Auguſtinis Foroliuienſis patitur genus quoddam ægritudinis comuni nomine appellatum ophthalmia, Et eſt Apoſtema in oculi tunica quæ ab anatomicis adnata uocatur, & hoc propter diſſolutionem, & fluxum conſuetum humoris ad tunicam adnatam. Patitur quoque, ut aiunt, propter eundem fluxum humoris ad oculum, ſecundum genus ægritudinis, quod uulgo cataractam dicunt latine ſuffuſio nuncupatur, & hoc propter decurſum materiæ aquoſæ collectæ intra pupillæ foramen, patitur & tertium genus ægritudinis, quod debilitatem uiſus appellamus non multo longinquam ab ablatione uiſus, præcipuè in oculo in quo congregata eſt aqua ad generationem ſuffuſionis. Cupiens autem ab omnibus is diſpoſitionibus præternaturam ſanari, petit conſilium, & ſic deo auxiliante ſuper propoſitum negotium conſulendo diſcurram ſuper quattuor principalibus. Primo complexionem huius ægrotantis naturalem & totius, & membrorum principalium diſcutiam propter illud dictum Galeni ſecundo de ratione uictus acutorum. Nullus ſe ingerat ad medicandum, niſi prius complexionem ægrotantis cognoſcat, facile enim illi error contingere, poſſet. Secundo eſſentiam ægritudinum, quibus moleſtatur ægrotans, examinabimus, non negligendo cognitionem omnium cauſarum, à quibus pendent prædictæ diſpoſitiones præter naturam. Tertio principaliter

cipaliter curam illarum ægritudinum perſtringemus. Quarto de prognoſticis aliqua iudicando in his diſpoſitionibus in medium adducemus. Quantùm igitur ad primũ iudico ipſum quantum ad complexionem totius naturalem ſanguineæ complexionis à ſubdominio uerò bilioſæ, adſunt enim ſigna ſuper hoc utriuſque data à Galeno in ſecundo artis medicæ. tangentibus etenim illius membra calida apparent, ad rubedinem declinantia, minus pinguedinis habentia à piloſitate non omnino denudata, & à flauo quodam colore non omnino aliena ipſe autem mitis eſt, & in conſuetis ſibi operationibus amicabilis, & manſuetus, facile iracundus, & à benignitate ſanguinis bilem moderantis facile ad benignum reducitur, propter quæ ſigna data à Galeno confirmata ab Auicenna in ſecunda primi. Concludimus ipſum à dominio ſanguineæ complexionis, à ſubdominio uerò bilioſæ, propter quod non fugit aptitudinem caſus in ægritudines ſanguineas, uel cholericas ex ſanguine in bilem conuerſo. Epatis calidi, & magis quidem calidi, quam humidi, cum propter illius adauctam caliditatem humidum exſiccetur, propter quod & ipſum epar in iſto poſt primam ſanguinis generationem, aptum eſt notabilem bilis quantitatem aggenerare, & merito huius promptus eſt ad facilem caſum in ægritudines bilioſas, cum epar illius ex ſui naturali complexione adaucta illius caliditate præter naturam aptum ſit multam bilem generare ſanguinis in bilem conuerſione. Cerebrum autem complexionis calidæ, & humidæ atteſtamur, non etenim quæ circa caput extant rubedine,& caliditate priuata ſunt,& quæ in oculis uenæ exiſtunt rubeæ, & ſenſibiles manifeſte iudicantur, à calidis equidem immoderate illi aduenientibus offenditur, & quantumcumque ex parte caliditatis cerebri huius, ſuperflua ex propriis emunctoris expurganda, pauca deberent eſſe. iuxta Galenum ſecundo artis medicæ, quia

tamen

tamen caliditati illius cerebri maior humiditas copulatur plurima fiunt hæc ſuperflua, abundat enim illius cerebrũ maiori humiditate, quàm caliditate propter hoc, quoniã ex calefacientibus, & humectantibus maxime repletur illius caput, & grauatur, ut ex cibis, & potibus, & odoribus, & aliis extrinſecis accidentibus, & maximè ab aere continente nos, quibus omnibus humiditate abundantibus caput illius maximè læditur. De cordis autem complexione non opus eſt in præſentiarum aliquid dicere, cum non faciat multum ad ſcopum, quem habemus in curatione ægritudinum, quibus moleſtatur ægrotans. De ſtomacho autem puto ipſum alias fuiſſe complexionis ſtomachi declinantis ab æquali ad pondus per calidum, & humidum, cum ex relatione patientis habeatur ipſum fuiſſe bonæ hyſtimbræ, nunc autem puto ſtomachum declinare ad frigidum, & humidum, & hoc cum pedetentim facta quadam, & ſucceſsiua mutatione poſsit naturalis complexio permutari, ut habetur tertio artis medicæ continua etenim humiditate quæ à capite defluxit ad ſtomachum merito complexionis humidæ abundantis in cerebro caliditas ſtomachi potuit obtundi, uel frangi, ut ſtomachus ipſe deductus ſit ad frigiditarem quandam, partim ex priuatione caloris naturalis, partim ex appoſitione materierum phlegmaticarum ad ipſum ſtomachum deuenientium, quibus effumantibus ad ipſum cerebrum addunt ad maiorem illius humiditatem, & ad facilem caſum cerebri, & ortorũ ab eo in ægritudines humidas, ſicut in ſuffuſionem in làchrymam oculorum & huiuſmodi. Et hæc ſint de temperamento totius, & membrorum quæ ſpectant, ad præſens negotium.

Tranſeo ad ſecundum principale, in quo examinabimus diſpoſitiones præter naturã, quibus moleſtatur æger iſte earumque, cauſas non ſubticemus. Patitur æquidem primum genus ægritudinis, quod ophthalmiam diximus,

quæ ut potui percipere ex relatione patientis à principio non uera ophthalmia dicebatur. Sine enim dolore moleſtante, & ſine cauſa multum imprimente erat, quæ potius conturbatio, ſeu oculi uacillatio ad modum Auicennæ dicebatur. Tamen quia forte ex modica, cura habita, ex defectu patientis, cauſa leuis fuit fortiter impreſſa, propter quod non uera facta eſt uera ophthalmia, propter diſſolutionem, & fluxum humiditatum factum conſuetum & familiarem tunicæ adnatæ oculi. Et hoc, quia puto quod à principio fuerit cauſa materialis in corpore ſuo parata, ut repletio corporis, & maxime capitis, propter quandam malam diſpoſitionem præter naturalem, multum ledentem membra animalia, ut caput, quam paſſus fuit per multos annos iam præteritos, ſicut à patiente habui, & ex hoc non eſt difficile uenari cauſas huius ophthalmicæ diſpoſitionis antecedentes ſcilicet, & coniunctas, cum de cauſis primitiuis non ſit cura. AEgritudo enim pendet in iſto ab intrinſeco; ſunt enim antecedentes cauſæ iſtius ægritudinis in iſto duæ. Prima totius corporis repletio ex malis humoribus multiplicatis ex uitio, uel prauitate complexionis epatis declinantis ad calidum, & ſiccum præter naturaliter generantis ſanguinem ualde biliosum, qui uia nutrimenti tranſmiſſi ad membra ſuperiora ſui malignitate non regulatus à natura eorum tanquam ſuperfluum in membro derelictum, & in complexione uitiatum læſionem in membro efficit ad quod peruenit. Secunda cauſa eſt repletio cerebri, & partium eius ſcilicet uelaminum, & uenarum, & arteriarum, quæ cum ſanguine iſto bilioſo repletæ ſunt, uenientes ad oculum uia nutrimenti, non fugiet oculus malignitatem ſanguinis præter naturaliter diſpoſiti ad calidum, & ſiccum, propter quod non fugiet generationem ophthalmiæ, uerba hæc ſunt Auicennæ tertio canonis cap. de ophthalmia, & ſic licet ophthalmia, à quocunque humore uitiato poſſit contingere in iſto, tamen

ſola

ſola cauſa antecedens eſt repletio corporis ex ſanguine bilioſo. Cauſa uerò coniuncta eſt ipſa mala materia ſanguinea biliosa iam exiſtens in oculo cum multitudine, uel mala qualitate lædēte primo, & per ſe, propter quam cauſam primo & per ſe lædentem, & tumor, & dolor, & morſus, & corroſio quandoque, & acuitas inducitur, & hæc de cauſis ophthalmiæ huius ægrotantis dicta ſint. Patitur & ſecundum genus ægritudinis, quod ſuffuſionem diximus ab humiditate externa exiſtente inter corneam, & humorem albugineum in loco ubi uuea deficit, quam cataractam puto non fuiſſe confirmatam, cuius ſuffuſionis puto cauſam antecedentem fuiſſe uaporem, & fumum eleuatum ab humoribus malis imperfectæ regulatis, & digeſtis à natura, ex quibus puto iſtum ægrum tum ex ægritudine, quam iā paſſus eſt, tum ex indebito regimine in cibo, & potu, & aliis ſex rebus non naturalibus repletum fuiſſe. Cauſa uerò coniuncta illius ſuffuſionis, quam ſicut dixi puto non fuiſſe confirmatam eſt uapor non ex toto incraſſatus, neq; in aquam conuerſus, propter quod non fugit, neque fugiet facilem illius reſolutionem per medicamina conuenienter applicata. Et ſic credo non pati ſuffuſionem, quæ ſit ab aquea humiditate iam collecta in loco ſuffuſionis, uel quod humiditas illa aquea ſit illa, in quam iam uapor conuerſus eſt quia quādam ſolam turbulentiam percipio in oculo, quam puto eſſe à ſolo uapore iam dicto, apto de propinquo conuerti in aquam, niſi ſuccurratur aptis huic morbo medicaminibus. Tertium uerò genus ægritudinis huius prudentis uiri, eſt debilitas uirtutis uiſiuæ, cuius ſigna habentur ex relatione patientis, & huius antecedētem cauſam puto eſſe malam complexionem totius corporis calidam, & humidam facientem ad repletionem cerebro per communionem & conſenſum à membris demandantibus ad ipſum cerebrum ab inferioribus ad ſuperiora; cuius ſignum eſt expulſio ſuperfluitatum ad oculos, & ad na

res,& per craſſitiem faciei inconſuetam circa oculos multotiens apparentem. Et ſic dicemus cauſam coniunctam debilitatis uiſus in iſto eſſe præſentiam humiditatis in oculo conturbantis oculum, & ſpiritus exiſtentes in eo, propter quod & humiditas ipſa ueniens ad oculum, non eſt mirãdum ſi in neruis opticis acquirat aliquam craſſitiem frigiditate eorum, ponentem in eis aliquid obſtructionis. Et propter hoc credo pendere, ab obſtructione neruorum opticorũ debilitatẽ uiſus in iſto. Et hæc ſint de generibus ægritudinũ dicta, ad quarum curationes me aſtringendo, omnes intentiones curatiuas in una quaque ægritudine, ordinabo remedia, quæ unicuique efficacia adinueniam, ut ſi deo placuerit ipſe ad priſtinam ſui ſanitatẽ redigatur.

Curatio igitur ophthalmiæ complebitur quinque ſcopis. Primus eſt in ratione uictus inſtituenda, & quia Dieta debita conſiſtit in conuenienti, & debita applicatione ſex rerum non naturalium, ideo ab ea incipiendo. Primo de aere dicemus. Sit igitur illius aer obſcurus tutus à uento, & à multitudine aeris,quoniam ab oppoſitis,his, ſpiritus, oculi ſegregatione facta, & conturbatione a qua conſequitur uiſus debilitas, addetur cauſæ facienti ophthalmiam, ad locum enim quantumcunque ab extrinſeco debilitatũ, humores apti ſunt decurrere, ſit aer mundus, & quietus, alioquin eſſet multæ humiditatis generatiuus in capite, quæ per uiam defluxionis ad oculum deſcendendo augeret ægritudinem. Sitque frigidus aer,ut opponatur cauſæ facienti ægritudinem,& effectui, Quod ſi æſtas fuerit, artificialiter ipſe deducatur ad frigidum, non multum autem recedat à temperamento per frigidum, ut ne aere intenſo pluſquam oporteat infrigiditate compreſſione facta ruãt humores ad oculum, ut ex tertio artis medicæ habetur.

De cibo & potu, minuatur eius cibus, & dieta planè tenui utatur, cum etenim ſanguis peccet, & ex multitudine nutrimenti multus aggeneretur ſanguis, tunc adderetur

cauſæ

cauſæ facienti morbum, tum etiam quoniam à multitudi ne cibi maior uaporum quantitas eleuatur ad cerebrum, quæ frigiditate cerebri conuerſa in aqueum ad oculos ueniens addit cauſæ ægritudinis. Conſideret quoque medicus qui ei aſſiſtit, malignitatem ægritudinis, acuitatemq́, & eius prauitatem. Quod ſi his plena fuerit conſtituat ægrotanti dietam magis,tenuem,immo tenuiſſimam, ſicut in hoc caſu conſueui facere cibando per tres dies ſolo pane,& aqua hordei,& hoc cogit me,cum dixit Hippocrates prima aphoriſmorum, aphoriſmorum ſexto. Ad ultimas ægritudines,ultimæ curationes ad perfectionem ſunt potentes. Quod ſi ægritudo non tam praua, non tam acuta fuerit, moderetur medicus dietam,non ita tenuem, cuius dietæ quantitatem non dicam,quia derelinquo iſtud indu ſtriæ medici qui laboranti aſſiſtit,propter illud dictum Galeni in libro de tuenda ſanitate, certa rei quantitas neque calamo ſcribi poteſt, neque lingua proferri. Caueat igitur à cibis malæ, & tardæ digeſtionis, & in multa quantitate bonorum, & malorum, utaturque cibis generantibus bonum,& laudabilem humorem, in modicaque quantitate, ut membra ſui natura auara efficiantur in retinendo humores propter quod non fluent ad oculum. Caueat quoq; ab omnibus uaporoſis, ut allio,cæpis,ſinapi, eruca, porris, faba,nucibus,& huiuſmodi,eorum enim mali uapores,ultra hoc,quod nocent oculis,replẽdo caput, ſuperflua multa ad oculum poſſunt tranſmittere addentia cauſæ ægritu dinis. Caueat quoque ab omnibus cibis acetoſis,& acribus ut eſt acetum, & fructus acetoſi caueat etiam ab omnibus acribus,& ab omnibus herbis, & fructibus uiridibus mani feſtè enim nocent, niſi uia medicinæ ſumerentur. Caueat quoq; ab omnibus carnibus duræ digeſtionis, & craſſi nutrimenti,ut eſt caro ſuilla,bubula,uaccina,anſerina, anatina,& huiuſmodi. Caueat quoque à carnibus multæ caliditatis,niſi eas alterando cum frigidis, & maxime cum his,

quæ reſpectum habent,ad caput.Caueat quoque ab omnibus ferculis ex leguminibus,ex paſta, & ex aliis,quæ difficultatem digeſtionis includunt.

De ſomno autem, & uigilia, ſomnus enim ei confert, non tamen pluſquam oporteat,quoniam uſu immoderato caput replet ſuperfluitatibus, quibus tranſmiſsis ad oculum,augent ægritudinem.confert autem moderato uſu, quia natura digerit, & maturat materiam ægritudinis,maxime præcedente euacuatione. Tunc enim temporis ſomnus non eſt ſuſpectus, unde inquit Auicenna tertio canone,& oportet,ut ad ipſum attrahatur ſomnus,eſt enim medicamen eis bonum, uigiliæ autem nimis nocent, maximè ſuperflue. De motu,& quiete, durante autem ægritudine nullus ſit ei motus. Quòd ſi ex motu aliquo conſuetus ſit uti exercitio,ſit paruus,ut in corpore nulla fiat laſſitudo. Quies autem cum abſtinentia ei confert.Quieſcat ergo in loco tuto ab aere illi nociuo, & locus potius ad obſcuritatem tendat, quam ad lucem, & ſtet in lecto capite quidem eleuato,ut materia exiſtens non fluat ad intra oculum, uel in eo exiſtens non remaneat, ſed fluat exterius. De repletione autem, & inanitione dicendum eſt quòd, omnis repletio in eo eſt uitanda, replet enim caput ſuperfluitatibus & malis uaporibus, lædentibus oculum, & inquantum natura poteſt ſuſtinere, abſtinentia eſt ei conueniens, & inanitio. Quòd ſi natura non fiat,arte frequentatur lænitio uentris cum cliſteri, uel glande quam uulgo ſuppoſitorium dicunt. De accidentibus animæ, gaudeat utique,& lætetur: ipſis etenim, ut tertio artis medicæ habetur fit ſpirituum corroboratio,caloris naturalis uigoratio,& uirtutum uictoria ad reſoluendum quæ ſuperfluunt in corpore,propter quod diminuunt cauſam facientem ægritudinem iram,triſtitiamque euitet, cum hæc noſtra deprauent ac perdant corpora,ſpiritus etenim denigrant,calorem,& uirtutē noſtri corporis debilitant, propter quod

ad

ad alia ægritudinum genera inclinant. De coitu, Coitus etiã ex toto euitetur propter nocumenta, quæ maximè cerebro contingunt, reſoluit enim quantitatem ſpirituum, & maxime uiſibiliũ, propter quod & oculus priuatus ſpiritibus debilitatur, ad quem magis decurrent ſuperfluitates, quæ à natura oculi non regulate augent ægritudinem, conſulo igitur, ut in hac ægritudine patiens gubernetur tẽpore quo ægrotat in ſex rebus non naturalibus, ac ſi eſſet acutè febricitans præter, hoc quod non utatur acetoſis, nõ acribus, non herbis crudis, non uino, nõ carnibus niſi urgẽte neceſsitate in debilitate uirtutis, & hæc ſint pro prima intentione curatiua. Secũda uerò intentio curatiua eſt diuertere materiam fluentem ad oculum; ne generetur apoſtema, uel genitum augmentetur, & clarior diuerſio eſt per phlebotomiam, ut uoluit Galen. xiii. methodi. & Raſis. IX. almanſoris, & Auic. III. canonis. Quæ autem uena ſit incidẽda dixit Auicen. Conueniens eſt enim omnibus diſpoſitionibus ophthalmiæ phlebotomia ex cephalica. Cõſulo igitur, quod ſi in ægro ſit nimia ſanguinis plenitudo, ſecetur cephalica partis oppoſitæ cliſteri lenitiuo præcedẽte dixit enim Gal. XIII. methodi ſi ægritudo ſit in oculis ab humore, & non à flatu uentris ſolutio ſcilicet per enema, & phlebotomia ſunt præmittenda. Poſt modum uerò ſequẽti die uel tranſactis ad minus duobus, uel tribus diebus poſt primã phlebotomiã ſecetur cephalica eiuſdem lateris, quo facto ſi adhuc appareat repletio & in facie, & oculis rubedo, conſulerem, ut in diuerſione materiæ ab oculis ponerẽtur ſanguiſugæ ad uenas poſt aures, in quibus multotiens bene me reperi. Quòd ſi hæc non contulerint, conſulerem, ut apponerentur cucurbitulæ in occipite. iuxta illud Galeni decimo tertio methodi, dicentis, aut in occipite cucurbitulam apponimus, cum materiam ad oculos fluentem extrahere uolumus, quæ maxima curatio eſt, de quantitate autem ſanguinis extrahendi per phlebotomiam.

miam derelinquatur indicio medici aſſiſtentis præmeditantis magnitudinem uel paruitatem ægritudinis. Dixit enim Raſis nono ad Almanſorem in phlebotomia de Cephalica quanto maior fuerit paſſio tanto magis extrahendum eſt de ſanguine. Conſulo etiam quod intentione diuerſionis quotidie utatur patiens frictionibus ante cibi aſſumptionem ab humeris incipiendo, & ſic à ſurſum in deorſum continue fricando totum corpus procedatur, & iterum ieiuno ſtomacho alternatis diebus, uel quotidie utatur ablutione pedum, & manuum ex aqua calida, per hanc enim merito caliditatis attrahentis, ſuperfluitates ad partes inferiores trahuntur. Diuertat quoque cum cliſteribus, & glandibus, in quibus ponantur ea, quæ à capite attrahunt, ſicut mel roſatum, & iera pigra, & cuſtodiat omni die uentrem tenere uacuum, ne fumoſitates eleuatæ à putridis materiebus replentes caput addant ægritudini. Et iterum intentione diuerſionis, conſulo, ut ante cibi aſſumptionem mane per duas horas aſſumat mirabulanum unum conditum ad modum ordinationis Raſis, & ſic iſta cura, diuerſiua, regatur ægrotans uſque ad terminum quattuor, uel ſex dierum obſeruando ſemper canonem maxime obſeruandum in hac ægritudine, quem poſuit Galenus decimo tertio methodi, & eſt, quod tunc temporis in oculo nullum collirium, nec medicina aliqua intus immittatur. Quòd ſi dolor fuerit fortisſimus, & euacuatio facta fuerit phlebotomia, uel pharmaco tunc temporis conſulimus, ut cathaplaſma imponatur oculo, & fiat ei balneum, medicina intus immittatur, colliriumque eidem apponatur cum modis tamen conuenientis applicationis, & ex parte rei applicandæ, & ex parte temporis applicationis, & hoc eſt quod uoluit haly. in libro regalis diſpoſitionis, capite de ophthalmia. Dicens, quia oculus eſt nimii ſenſus, & facilis læſionis, ideo medicamina multa, & diuerſa, uel fortia in qualitate ab eis euitanda ſunt, ſaltem in principio.

cipio. Conſulo etiam, Quòd ſi huic ægrotanti complicaretur ophthalmiæ fortis dolor capitis, quòd nulla cura ſit ipſius ophthalmiæ, niſi prius cephalea amota. Et hunc canonem uoluit Galenus decimo tertio methodi, Dicens, ſi cũ paſſione oculorum fuerit cephalea tunc à cura cephaleæ incipiendum eſt, & non cures oculum, uſque quo cephalæa remota fuerit. Et hæc ſint pro ſecunda opinione habenda in hac ægritudine.

Tertia intentio eſt. Repercuſſio materiæ uenientis ad oculum, quæ ad actum reduci poteſt facta conuenienti diuerſione per phlebotomiam iam factam, quæ ultra hoc, quòd diuertit plus, aliquantiſper etiam euacuat, & maior etiam fuit facta euacuatio, cum facta fuerit phlebotomia cephalicæ eiuſdem lateris. Repercutimus autem cum his, quæ habent confortare uirtutem oculi, claudere, & conſtipare meatus eius, ut oculus non recipiat materias fluentes ad ipſum oculum, dum tamẽ menti teneas, quod medicaminibus repercutientibus inſit uirtus repreſſiua caliditatis humoris, & doloris mitigatiua, ordinetur igitur repercuſſiuum tale, apponendum fronti, & temporibus Recip. Boliarmenii, ſanguinis draconis. ana. Vnc. med. Albuminis oui conquaſſati, aquæ roſatæ. ana. quantum ſufficit pro linimento apponendo, ſupra ſtupam applicatam fronti, & temporibus.

Aliud oculo immittendum. Recip. Acatiæ ablutæ. Ceruſæ ablutæ, gumi arabici, ſumach. ana. drach. I. diſſoluantur omnia cũ aqua roſata, & albumine oui, & oculo inſtilletur.

Aliud in quo multotiens bene me reperi, & eſt, Recip. mucilaginis ſem. pſilii, mucilaginis ſem. citoniorum factarum in aqua roſata. ana. Vnc. med. lactis mulieris. Vnc. I. aquæ albuminis oui diu agitati, drach. ii. miſce, & aliquæ guttæ oculo inſtillentur, madefiat quoque pannus lineus in dicto liquore, & oculis apponatur.

Quarta intentio completur ex digeſtione materiæ peccantis,

cantis, quoniam etenim materia calida eſt, indiget alterātibus ad frigidum, & cum his, quæ à proprietate caput & oculos reſpiciunt, tam ex parte ſyruporum quàm ex parte aquarum. Syrupi etenim cōuenientes in hac materia ſunt, ſicut ſyrupus roſatus, ſyrupus de ſucco acetoſæ, ſyrupus de acetoſitate citrii, & maxime etiam cum his, quibus ſtipticitas coniungitur, addendo etiam his aliquid auferens malam complexionem calidam epatis à proprietate ipſum epar reſpiciens, & ſic ſyrupus erit talis, iſti multum conueniens. Recip. ſyrupi roſati, ſyrupi de ſucco endiuiæ, uel de ſucco acetoſæ, mellis roſati col. ana. Vnc. med. Aquarum betonicæ, plantaginis, acetoſæ, ana. Vnc. 1. miſce, & quandoque etiam ſecundum quod proceſſerit, prima digeſtio in materia, & ſit intentio ultra alterationem, malæ complexionis oculum confortare poſſumus addere modicam quantitatem ſyrupi de ſtæcade ſine ſpeciebus, ut Recip. ſyrupi de ſtæcade ſine ſpeciebus, ſyrupi roſati, ſyrupi de ſucco acetoſæ. ana. Vnc. med. aquarum fœniculi acetoſæ, cicorii, ana. Vnc. 1. miſce. Digeſta uerò materia uenit quinta intentio.

Quinta intentio, quæ completur per euacuationem materiæ peccantis, materia utique calida eſt & cholerica, ideo euacuari debet cum his, quæ à proprietate euacuant bilem, caputque reſpicientibus lenitiua, ſunt manna granata, caſsia recens, diachatolicon, electuarium de caſsia, ſolutiua uerò ſunt ſimplicia equidem Reubarbarum, mirabulani citrini, & quia in cauſa adhuc extat minor quantitas materiæ frigidæ, quia aliquantiſper læditur à frigido. Ideo quandoque in eis medicinis tranſeat uirtus turbith, & agarici. Compoſita uerò electuaria ſunt ſicut eſt electuarium Roſatum meſue. Electuarium de ſucco roſarum nicolai. Diaprunis ſolutiui & huiuſmodi. Quod ſi illi medicinæ in forma pillularum ſint magis delectabiles, & amicè utatur pillulis aggregatiuis, pillulis aureis

nicolai,

nicolai,& quia,ut dixi,coniungitur aliquid materiæ frigidæ peccãtis,ideo illis addatur aliquid pillularum ſine quibus, uel aſſaiaret,uel agarici trociſcati.

De ſecundo autem genere, & tertio ægritudinis, quæ iudicio meo eodem curſu currunt conſulendo ſanitati huius prætermittendo ea, quæ parti theoricæ attinent, cum de his ſatis iam dictum ſit, actum practicum exequendo remedia efficaciora, & per me multotiens experta, & in quibus benè me reperi ordinabo.

Confectio mirabiliter conferens uiſui, quidam ferè centum annorum fuit uſus iſta compoſitione, & profuit ei mirabiliter. Recip. ſeminis fœniculi lib. I. & med. ſileris montani lib.I. Eufragiæ. lib.med. camedreos. Vnc. VIII. radicum chelidonii maioris. Vnc.IX. ſem.aniſi,petroſilini, apii. ana. Vnc.I.& med. pulegii,hyſſopi,florum boraginis, granorum iuniperi, ſaxifragiæ, ana. Vnc.I.& med. ſupradicta omnia conficiantur ſimul,& puluerizentur cum melle deſpumato cocto,fiat ellectuarium,quo patiens defectum uiſus,utatur mane, & ueſperi ante cibum ad quantitatem nucis,& expertum eſt.

Vnguentum precioſum, quod immiſſum cum pluma in oculo lachrymas ſiccat,& maculam delet, uiſum acuit. Accipe lapidem calaminarem,& extingue ter ipſum accenſum in aqua roſata,& poſt iterũ eum accende, & extingue ipſum in urina pueri maſculi nõ polluti,& ſic eũ iterũ extingue ter in aqua roſata,eodẽ modo præpara lapidẽ tutiæ Poſtea Recip.de lapide calaminari. Sic præparato. drach.ii. Tutiæ ſic præparatæ.drach.I.& med.ligni aloes.drach.med. cooperoſæ drachmas duas puluerizentur & cicotrizentur per pannum ſericum duplicatum, confice unguentum ſic accipiendo lib.ii. ſanguinis porcini, unius anni, uel inferius recedentis,& lib.I.aquæ roſatæ,& coquantur ſimul,donec aqua roſata ſit conſumpta,& infrigidetur, & cum illo ſanguine miſceantur pulueres ſupradicti, & fiat unguẽtũ.

Aqua mirabilis ad omnem maculam, & uiſum confortandum. Recip.fœniculi,rutæ,eufragiæ, uerbenæ, endiuiæ, celidoniæ,termentillæ, betonicæ, ſileris montani, radicis accori, roſarum rubearum, corallorum rubeorum,poligoni,galitrici, maioris & minoris, ypiæ. ana. partes æquales, primo die ponantur trita in uino, ſecundo in urina pueri uirginis, poſtea diſtilletur per alembicum, & quæ primo exit,habetur ut argentum,quæ ſecundo,ut aurum & utere.

Aqua mirabilis ad clarificandum uiſum,& ad exſiccandum humiditates uenientes ad oculum,& ita eſt cauſa, ne fiat cataracta.Recip.aquæ celidoniæ,uerbenæ,roſaceæ,fœniculi ana.Vnc.med. uini albi potentis.Vnc.iii.ligni aloes,tutiæ præparatæ, ana. drach.I. zucchari candi.Vnc.I. puluerizentur ſubtiliter, & ponantur in alembico cum lib. med. mellis albi depurati, & diſtilletur aqua ſecundum artem, & ponatur in oculo.

Item Recip. pillularum lucis, pillularum ſine quibus, pillularum aſſaiaret. ana. drach.I. miſce, & fiat paſta pillularum, doſis eſt pillula numero. I. cum uadit dormitum.

Laus Deo.

FINIS.

AD CAPITIS DOLOREM

Pro Domino Stephano Belleto nobili & egregio iuriſperito.

Conſilium V.

Nobilis & eccellens Iuriſperitus Doctor Lugunẽſis Dominus Stephanus Belletus, temperaturæ quippe bilioſæ cum inſigni ſanguinis permixtione, non immunis tamen à certo aduſtionis gradu.. Quo fit, ut nedum uitio morbi longi, uerum & aliquali ſanguinis, & bilis aduſtione per accidens in temperaturam uergat melancholicam, ſorte ſua mala dolore ferè biennio ingenti admodum in dextra capitis parte, ubi tempora per naturam inſerta ſunt acerrime corripitur, nedum uno tẽpore tantum, ut dolor, uidelicet, quandoque intermittat, moleſtatur, uerum & in parte illa, & in locis ei propinquis ut oculo, dentibuſque, & maxillis continuo die noctuque, dolore magno moleſtatur, & ob hoc, nedum à ſui ualetudine longe diſtat, uerum & à ſuis literariis occupationibus, & aliis ſibi conſuetis, atque familiaribus curis, ob uehemẽtem mentis ſuæ commotionem, facile impedimentum patitur. Huius uerò morbi cauſam, cenſeo non eſſe ſolam malam complexionem ſine materia, neque ſolum ſpiritum flatuoſum, particulam illam extendentem uerum & materiam cum his in ea accumulatam, ut ex eadem materia in loco malam temperiem inducente, Solutamque continuitatem cum adaucto ſpiritu flatuoſo, ratione debilis caloris particulæ patientis, dolor uehemẽtior progignatur. Quæ materia dolorem excitans, non tantum calidam puto, quoniam morbus diutinus factus iam eſt, & calida materia citius in iudicationem peruenit, neque ſolum frigi-

da,cum non pauca appareāt inditia cauſæ calidæ,uti doloris uehementia loci rubedo, caliditas tactu, & remisſiora hæc appareant. Quo fit,ut facile feratur iudicium, peccantem materiam fore mixtam, non támen immunem à flatu,& mala complexione cum ſoluta continuitate, quibus in unum coeuntibus intēditur, & dolor maxime augetur. Sanè cum ſuæ Excellentiæ dolor in capitis parte iam uetuſtus factus ſit, Is per proprietatem in parte illa factus, ab omnibus cenſebitur,& ſi à primo ortu,ut puto conſenſum ab infernis membris nutritiuis, præſertim ab epate, initium cœperit, quoniam intermittendo, tum augendo, tum minuendo patientem infeſtat,& hoc ſecundum quod à mala inferiorum natura tum aucta,tum minuta plus,uel minus, & de materia, & de uaporibus offenſo loco communicatur, præſertim à iecinore. Et tu etiam conſidera, quod ſi apud excellentiam ſuam, quandoque timor, forte fortuna,cecidiſſet eam occurriſſæ mulieri fedæ morbo illo epidimiali,quem gallicum uocant,correptæ iudicium tuū certius efficietur,membra omnia naturalia mala qualitate epidimiali admodum,& cum materia affecta fore, quibus & epar maxime,& per proprietatem affectum eſt.Demum uerò per conſenſum & cerebrum, in quo præ mala illa acquiſita natura, & cerebro influxu ab infernis membris excitetur dolor in loco illo debiliore exiſtente ob maiorem rectitudinem influentis epatis ad dextram partem capitis offenſam.

Hic igitur nobilis & Eccellens Doctor qui male cruciatur,à nobis ſalutaria petit præſidia,quibus posſit à cruciatu illo leuari, & ad ſuā ualetudinem reſtitui.Nos autem iuſtæ illius petitioni obſequentes quæ præſentanea pro ſalute ſua n obisremedia occurrunt.ea afferemus, ut illis Deo uolente, ut ſperamus, ad finem ſibi optatum ipſe perducamur

Primo igitur conſulo D. ſuam conuenientem uictus rationem

tionem obſeruare, illa enim optimum, & principale eſt inſtrumentum, quo natura magis oblectatur in oppugnando morbo. Initium igitur rationis uictus ſumat ab aere, à quo noſtra corpora maximè alterantur, ſine quo, neque ſanitas tueri poteſt, neque morbus propelli. Sit igitur aer, in quo firmam ſui inquirit manſionem, non admodum calidus, neque natura, neque arte, quoniam eliquando plures à cerebro ſuperfluitates, accumularet in particula læſa, quo fit, ut maior excitaretur dolor, neque admodum frigidus ſit, idem enim faceret comprimendo. Quo fit, ut ab excedentis qualitatis actiuæ aere præ genito dolore trahentem materiam, facile adgenerari poſſet inflammatio in parte affecta. Sit igitur eius aer temperatus, uel non multum per calidum à temperamento recedens, calido.n. modico confortatur membrum, & ſine uiolenta actione ſoluitur mala materia prona ad generationem inflammationis, ſit autem in paſſiuis temperatus, ne à multo humido creſcant ſuperfluitates, & à nimio ſicco exacuatur caliditas. Caueat igitur habitationem locorum, in quibus aer oppreſſus ſit uaporibus lacuſtribus, & ſordidis aquis affectus, magiſq; ab aere caueat, qui uel igne, uel radiis ſolis nimium calefactus fuerit, & ob hoc caput ſuum muniat, non quippe tegmẽtis multis, ipſum grauitet, neq; paucioribus minus quã oportet, in eo enim omnis exceſſus cõtumax ẽ.

CIBVS.

PAnis D.S. ſit de flore farinæ non unius diei, ſed duorum uel trium tantum, non admodum coctus, ut cruſtacea ambuſta ſint, & arida, interiora uerò incocta, hic enim panis deterrimus eſt, non ſit ſalitus, neque multum fermentatus, neque fermento omnino careat.

Carnes ſint paucæ quantitatis, & optimi nutrimenti igitur caueat à carnibus animalium grandium quadrupedũ,

& ferocium

& ferocium, uti eſt caro bubula, ceruina, antiqui caſtrati, ſuilla, & huiuſmodi. Peridoneæ autem ſunt caro uituli lac ſugentis. Hædi annualis caſtrati, cuniculi iuuenis, capreoli, & leporis non uetuſtæ. De uolatilibus ei idonea ſunt, uti capones, pulli gallinarum, faſiani, perdices, gallinæ quæ nondum oua fecerint. Pulli columborum, turdi, & quæcunque auiculæ in arboribus, & pratis, & nemoribus degunt. Quæ autem uolando aquis gaudent, ſunt ei contraria, uti anſeres, anates, & huiuſmodi, & omnes ſalitas carnes fugiat, Sal enim moleſtum eſt, præſertim in capite.

Oua quæ gallinarum ſunt ei conueniunt non dura neq; diu aſſeruata non in ſartagine decocta, ſed molia ſint, & ſorbilia, & in aqua coquantur, & ipſa condita in ſartagine cum re alia ei non conueniunt, ex his enim fercula condita peridonea ſunt ſi recentia.

Ex lacte cibi omnes ſunt D. S. mali, dolori etiam capitis contumacia. Caueat igitur à caſeo, & butiro, & ab horum condimentis, præſertim à polenta.

Olera enim, quæ larga humiditate abundant, ut lactuca, beta, ſpinachia, & huiuſmodi, ſunt ei nocua, quæ autem minore humiditate affecta ſunt, minus ſunt ei nocua, ut endiuia, cichorium, petroſelinum & talia.

Legumina omnia a tota ſui natura ſunt ei rebellia, flatuoſa enim ſunt, & caput flatu implentia.

Fructus omnes ſunt ei contumaces, ſua enim humiditate, cuiuſuis generis fuerint, parant ad generationem flatus.

Piſces omnes ſunt ei nocui præſertim ſaliti, & cuiuſuis condimenti fuerint, minus nocui, D. S. ſunt, qui in torrentibus capiuntur, & præſertim, ubi ſaxorum copia abundat, uel de mari piſces non grandes, ei boni ſunt, ſi agitato mari tunc temporis capiuntur, & elixati; & in craticulis cocti meliores ſunt, quàm in ſartagine frixi.

POTVS.

POTVS.

POtus uini à toto genere D. S. nocuus eſt, ubi uerò uinum potare cuperet, ſit uinum album, tenue, debilium uirium,& optimè aqua mixtum, non acre,acerbum, acetoſum,non nigrum,non craſſum, non nouum,non dulce,non excedens annum,& parcè bibat,& à cena uinum,& à prandio contemnat.

Repletionem autem fugiat, & diligat euacuationes, ex cibo, & potu quidem ſuperfluas per magis uero ex ſuperfluitatibus, quas conetur euacuare, & à toto, & à capite, uti poſtea dicemus.

Moderate dormiat, & non pluſquàm liceat, caueatque à Diurno ſomno.

Vtatur exercitio plus quàm quiete horis peridoneis,& conuenientibus.

Gaudeat, & non triſtetur,gaudio enim inualeſcunt uires ſupra morbum,triſtitia uerò corpus deuaſtat,& naturalem ſanitatem permutat.

Aegroto quippe per uictus rationem iam dictam recto. Nunc morbi curationem aggredi debemus. Igitur uere pereunte,laudo uti utile,& neceſſarium, ad S. D. morbum abolendum.Primo ueſperi cum uult cubare,ingurgitet ſequentes pillulas. Recip. pillularum de iera cum agarico. drach.med. pillularum aurearum ſcropul.ii.miſce cum ſyrupo uiolato fiant pillulæ numero quinque.

Sequenti uerò die diluculo potet ſequentem ſyrupum per nouem dies continuos ſuperdormiendo. Recip. ſyrupi de betonica, ſyrupi roſati, ſyrupi de endiuia, ſyrupi de lupulis, mellis roſati col. ana. Vnc. med. Aquarum betonicæ,lupulorum, boraginis. ana. Vnc.I. & med.miſce pro una uice.

Tertio uerò die tribus epotis ſyrupis hora die. XXI. ordinet ſibi apponi tres, uel quattuor hyrudines ad ani he-

morrhoides,

morrhoides,ſanguis uerò mittatur donec unciæ quinque exierint. Poſtea ſequatur ſyrupos uſque ad ſextum diem, manę ante cibum apponantur ei uenis poſt aures,hyrudines duæ, & ſanguis mittatur ad tres uel quattuor uncias, Deinceps uſque ad nonam diem ſequatur ſyrupos. At ubi his diebus beneficio alui uacaret, mane ſtomacho uacuo imponatur ei ſequens cliſterium alternis diebus.Recip.betonicæ,florum ſtæcados,maioranæ roſarum rubearum,foliorum maluæ,uiolarum furfuris craſſi ligati in fragmento panni linei. ana.M.I.Agarici ligati eodem modo drach. unam & mediam.

Bulliant omnia in s.q. aquæ donec medietas aquæ conſumatur.Deinde Reci.dictæ decoctionis colatæ.Vnc.x.olei rutæ Vnc.iii. iere logodionis.Vnc.I.mellis roſati.Vnc.ii.ſalis communis,drachm.ii.uitelli oui numero.I.miſce & fiat cliſterium.

Laudo quoque ut omni mane diluat ſibi crura à genu infra, & brachia à cubito cum aqua ſimplici ſatis calida, aut decoctionis camomillæ,& betonicæ.

Decimo uero die facta materiæ concoctione, laudo, ut ſequentes capiat pillulas ad noctis medium.Recip.pillularum cochiarum ſcropul. ii. pillularum aurearum nicolai. ſcropul.I. miſce cum ſyrupo uiolato fiant pillulæ numero quinque. Quieſcat patiens per duos dies ſequentes.

Tertia uero die admoueantur ei duo cauteria, unum in uertebris colli prope cranium,circa primam, uel ſecũdam uertebram colli. Alterum uerò in crure dextro in ſilueſtri parte longe à iunctura genu per quattuor digitos, & teneantur aperta officio optimi chirurgici.

Aduentante uerò tempore æſtatis, uel à medio menſis Maii ubi hæc non contulerint, quæ iam diximus, conſulo ipſum debere aggredi balnea apponenſia, in comitatu Patauino, & ibi capere duciam ſupra commiſſuram coronalem,omnibus ſeruatis ſeruandis ad duciam illam capiendam.

dam. Poſteà uerò in menſe Iulij laudarem, ut. D. S. aggrederetur balnea Sancti Bartholomei in eodem comitatu non longe ab Abano, & ibi locus dolens lutaretur per decem dies continuos.

Vbi uerò ad hæc balnea uoluntatem ſuam non admitteret, laudo quod bibat per quadraginta dies aquam ligni guaicani ſine aliqua additione, præcedente altera purgatione ut infra.

Primo capiat ſequentes pilulas ueſperi cum uult cubare. Recip. pilularum de fumo terræ drach. med. pilularum aurearum nicolai ſcrop. ii. miſce cum ſyrupo uiolato fiant pilulæ numero quinque.

Sequenti uerò die capiat per quinque dies in aurora ſyrupum hunc. Recip. ſyrupi de betonica, ſyrupi roſati ſyrupi de fumo terræ. ana. Vnc. med. Aquarum betonicæ, fumi terræ, cicorii. ana. Vnc. I. miſce.

Sexto uero die, apud dimidiam noctem, capiat ſequentem bolum, Recip. Diaſenæ lenitiui. Vnc. I. ellectuarii ſucci roſarum drac. ii. & med. miſce, & fiat bolus. Poſt uero duos dies incipiat potum aquæ cum conuenienti dieta.

Vbi uerò potu aquæ non eſſet contentus, laudo, ut bis in ſeptimana per tres horas poſt cænam, capiat ſequentem bolum. Recip. zinziberis uiridis drach. ii. Turbith boni pulucrizati ſcropul. iiii. zucchari uiolati drachm. iii. miſce, & fiat bolus.

Veſperi uerò cum ibit dormitum, apponat loco dolenti ſequens emplaſtrum calidum. Recip. lactis uaccini lib. med. Panis triti lib. I. Pomorum tritorum numero. ii. olei roſati. Vnc. I. unguenti alabaſtri. Vnc. med. croci grana. iii. miſce, & fiat emplaſtrum, & permutetur cum infrigidabitur. & cet.

FINIS.

AD CAPITIS DOLOREM
Pro nobili quadam puella.

Conſilium VI.

NObilis Quædam Puella. Anno ætatis ſuæ decimo octauo, complexionis quippe biliofæ, & omnium principalium membrorum calidorum, quius cerebrum per accidens ob ſui diminutam concoctionem, & per conſenſum à ſtomacho, & matrice, abundat in humiditatibus, quibus aggrauatur caput. Quo fit, ut continue doleat, cuius doloris fomentum eſt, ex uaporibus tum eleuatis à uentriculo ex diminuta concoctione, tum à matrice ob leuem, & parcam menſtruorum purgationem, ob quam rem nobilis hæc Puella patitur capitis dolorem, ſatis grauantem, per eſſentiam, & per conſenſum. Per eſſentiam quippe tum propter præſentiam materiæ extendentis, & grauantis membranulas cerebri, tum quoniam puella eo dolore diuturno affecta eſt tempore, quo fit, ut capiti fuerit acquiſita mala complexio, quæ cum præſentia materiæ, eſſentialiter dolorem inducit. Per conſenſum uerò, quoniam uapores à ſtomacho, & à matrice petunt cerebrum, & eius membranulas extendentes dolorem faciunt.

Huius doloris capitis curatio perficietur triplici inſtrumento, uidelicet, uictus ratione: Medicinarum potione, & manu operatione.

In ratione uictus debet cauere ab omnibus his, quæ caput replent, & grauant, atque percutiunt. Primo ut eſt panis de milio, & hordeo. Sit igitur eius Panis de grano tritici puri, & bene mundi, & ſit de flore farinæ eius, quoniam digeſtibilior eſt talis panis, & naturæ magis amicus, minus

grauans

grauans uentriculum,& minus capiti noxius.

Sit eius uinum pauciferum,aqua mixtum, album, non nigrum,non dulce,non craſſum,non nouum, & caueat in quantum poterit à potu uini poſt cænam,& cum intrabit lectum,& non bibat uaria genera uinorum,neque lætetur in eis, noxia enim ſunt,& capiti & ſtomacho.

Carnes eius ſint boni nutrimenti, & facilis digeſtionis, quæ non grauitent ſtomachum, neque ſui craſſitie,& diffi cili concoctione, uapores emittendo ad caput ipſum lædant. Igitur conueniunt ſibi carnes caponis, pullorum, gallinæ, perdicum, faſianorum, turturum, pullorum columborum, & uniuerſaliter omnium auicularum degentium in arboribus, & nemoribus, & pratis, conueniunt quoque carnes uituli, hædi, non agni,neque porci,neque bouis antiqui, neque uaccæ,neque ouis, ſed caſtrati unius anni caro eſt ſibi idonea. & cuniculi iuuenis, & in earum eſu parce uiuat. Et in communi eius eſu carnes magis ſint elixatæ,quàm frixæ,uel toſtæ.

Oua ſorbilia in àqua cocta, & non dura, ſed tremula ei ſunt optima,& non in ſartagine frixa, quia nocent & capi ti,& ſtomacho.

Omnia condimenta de paſta azima, ſunt ei nocua, tum quia rebellia ſunt digeſtioni, & malorum ſuccorum progignentia,tum quia craſſos, & malos fumos expirant, caput ipſum grauantes, atque dolorem qui grauat inducentes.

Caſeum,& lac fugiat à tota ſui natura,quia lac dare caput dolentibus malum,& hoc dico, ſiue caſeus recens ſit, ſiue antiquatus.Et ſalitus, ſal enim moleſtum eſt,& maximè in capite.

Piſces à tota ſui natura ei ſunt nocui, minus mali ſunt, qui in flumine torrentis aquæ capiuntur, & in locis ſaxoſis, qui piſces petroſi dicuntur, & etiam piſces de libero mari,non quippe grandes & feri ei conuenire poſſunt, dũ

nullo modo ſibi conueniunt piſces, qui ueſcuntur, in paludibus, & ſtagnis, & aliis aquis ſtantibus, inter quos deteriores ſunt tenchæ, anguillæ & alii piſces ſquamis carētes, & omni modo abſtineat ſe à piſcibus ſalitis.

Legumina omnia ſunt ei nocua, excepto iure cicerum rubeorum, ſunt enim flatuoſa, & caput replent, & eadem uia procedunt caſtaneæ, & nuces, & auellanæ.

Omnia olera, quæ multarum ſuperfluitatum ſunt progignentia, ſunt ſibi incommoda, ut beta, lactuca, ſpinachia, caules, & non nocet ei endiuia, ſaluia, betonica, artemiſia, petroſilinum, non multum ſollicitet acetum cum oleribus, inimicatur enim cerebro, niſi prius cũ paſſulis decoquendo alteretur.

Caueat à multo ſomno, & multa uigilia, plus tamen dormiat, quàm uigilet, & caueat à ſomno meridiano, & à ſomno ſubito poſt cibum, & in ſomno non grauet ſibi caput multis cooperimentis, neque dormiat non cooperto capite, mediocriter igitur in ſomno caput ſuum cooperimentis muniat.

Non utatur ſuperfluo exercitio, neq; multa quiete, plus tamen exercitetur, quàm quieſcat.

Aerem eligat ſibi, ſi poterit temperatum in omnibus qualitatibus, quod ſi non natura, alteretur cum appropriatis, ut cum aqua roſata, & gariophyllis, Caueat ab aere turbido, & puluerulento, & fumoſo, & non exponat ſe uento, neque calido, neque frigido, neque moram trahat ſub radiis ſolis, neq; prope ignem caput ſuum multo afficiatur calore.

Caueat quoque ab odoribus aromaticis, quoniam grauant, & replent caput, & à fœtidis & putridis odoribus, quoniam cerebri uires dilaniant.

Lætetur, gaudeat, & non triſtetur. Triſtitia enim omnia capitis incommoda inducit.

CVRATIO PER MEDICINAS.

IN Primis iubeo, ut Puella per horam ante prandium capiat infraſcriptum bolum,& hoc aduentante uere.Recip.floris caſsiæ nouiter tractæ.Vnc.I.& med. Aniſorũ puluer.drach.I.& med.miſce,& fiat bolus cum ſaccharo.

Sequenti die diluculo accipiat ſequentem ſyrupum per ſeptem dies. Recip. ſyrupi roſati, ſyrupi de betonica, ſyrupi de endiuia, mellis roſati col. ana. Vnc. mediam. Aquarum Betonicæ, matricariæ,bugloſſi. ana. Vnc.unam. miſce.

Et attende quod tertio die aſſumptionis ſyruporum uolo poſt meridiem ſaphenam, quam latini uenam internam malleoli uocant,dextri pedis ipſius puellæ aperiri, ex qua ſanguinis extractio ſit uſque ad quattuor uncias.

Septimo epoto ſyrupo,iubeo puellam purgari,ſequenti medicina,quæ poſt medium noctis aſſumatur.Recip.dia ſenæ lenitiui,diacatholiconis. ana.Vnc.med.electuarii roſati meſue.drach.II.agarici electi.drach.I.& med.zinziberis, ſalis gemmæ ana.grana.iii.electuarii de dactilis drach.I.infundatur agaricus ſecundum artem,& cum decoctione cõmuni capitali fiat potus.

Purgata Puella, quieſcat per quattuor dies.Demum hora tertiarum phlebotometur in uena cephalica brachii lateris eiuſdem, in quo dolor caput magis infeſtat, & ſanguinis extractio ſit, à tribus uſque ad quattuor uncias.

Demum facta phlebotomia hac, quieſcat puella per ſex dies, & ueſperi cum ibit dormitum, capiat infraſcriptas pilulas. Recip. pilularum aurearum nicolai, pilularum cocchiarum almanſoris; pilularum de agarico meſue.ana. ſcrop.I.miſce cum ſyrupo uiolato fiant pilulæ numero quinque.

Purgata puella iterum quieſcat per ſex dies, & ſeptimo die per tres horas ante cibum,ei apponantur duæ hyrudines

nes ad uenas poſt aures, & extractio ſanguinis ſit trium unciarum.

Demum incipiat patiens corroborare caput ſuum primo interne ſic. Recip.conſeruæ ſtæcados,conſeruæ ſaluiæ, ſacchari roſati,ana.Vnc.I.miſce.Quolibet ueſperi in ingreſſu lecti apponat palato huius electuarii quantitatem auellanæ,& ſuperdormiat,

Mane uerò,cum exit lectum capiat in ore.drach.ii.infra ſcriptarum radicum per horam continue maſticando, & ſpuendo. Recip.radicum accori condit.drach.I.

Quolibet etiam die inungat ſibi in ingreſſu lecti ueſperi tempora capitis, & frontem, cum unguento Alabaſtri calido.

Et ſic pergat per decem dies, ubi uerò his præſidiis dolor non ſoluatur,iubeo uenam frontis rectam ipſius Puellæ ſecandam eſſe, & extrahantur unciæ tres ſanguinis, hæc enim phlebotomia puellam ſaluabit, cum illa omnes malas capitis ægritudines extirpet.

Volo etiam Puellam ex ſui conſuetudine in temporibus non multum calidis ſemel in ſeptimana capere pillulam unam. ſcropul. I. ueſperi in ingreſſu lecti de ſquente paſta pillularum. Recip. Turbith boni, & gumoſi drachmas duas, agarici electi drachmam unam & mediam, zinziberis, ſalis gemmæ. ana. grana.VI. maſticis grana.X. mirabulanorum citrinorum.drach.ii.& med.Reubarbari electi.drach.I. ſpicæ grana.VI. ſpecierum ieræ ſimp. Galeni ad pondus omnium.Diagridii ſcropu.I.miſce tritis terendis, & fiat paſta pillularum.

Volo etiam quod ex ſui conſuetudine bis in menſe abluat ſibi caput cum ſequenti lixiuio.Recip.roſarum rubearum,granorum mirti, floris chamæmeli,betonicæ, ſtæcados, foliorum lauri. ana. M.I. Agarici ligati in panni linei fragmento.drach.iii.miſce, & coquantur omnia in lixiuio dulci, uſque ad conſumptionem tertiæ partis,deinde colo

transfundantur,

transfundantur,& uſui ſeruentur.

Volo etiam quod bis in ſeptimana abluat ſibi pedes & crura cum ſequenti aqua. Recip. calamintes, betonicæ, parteni quam matricariam dicunt, ſtæcados, ana. Manipul. I. decoquantur in ſuffic. quant. aquæ,& abluantur crura poſt cænam.

De operatione manuali, nihil dicam, cum non conueniat puellis, ubi eſſet expediens,& alia non contulerint, Iubeo puellam cauterium accipere in collo in prima, uel ſecunda uertebra colli, ubi collum iungitur cranio. Vel quod poſt aures adhibeantur quæ ueſicas excitent de more. Et hoc relinquo experto chirurgico. & cet.

Ad laudem Dei. Amen.

FINIS.

AD EPILEPTICAM AFFECTIONEM,
Pro nobili Domino Andrea Germano Barone in Palam.

Conſilium VII.

NObilis Dominus natione Germanus, Dominus Andreas Baronus in Palam temperaturæ ſanguineæ cum inſigni bilis mixtione per naturam, ab his uerò, quæ in eo, non ſecundum naturam operantur, pituitoſam ſanguinis permixtionem, participat, corripitur comitiali morbo, quem epilepſiã uocant, cuius indiciũ eſt, ut ex ipſius & adſtantiũ relatu accepimus quod crebris acceſſionibus afficitur, cum quibus & ſenſum, ordinatũq; motum, & erectionem, & intellectũ, uiſumq;, & auditum, & memoriam perdit, quo fit, ut motione conuulſiua, & caſu, ſpumaque, ante os corripiatur. Quam ob rem merito hic morbus à prima eius notatione cerebri morbus nominatur, etiam ſi fuerit per conſenſum, ut ait Galenus tertio de locis affectis. In hoc enim morbo cerebrum contrahitur ad expellendum rem nocentem ei, & tranſitum ſpirituum impedientẽ, ut ibi dixit Galenus Materia enim illa obſtruens meatus cerebri originis neruorum uirtutem ſenſitiuam, & motiuam cum ſuis ſpiritibus impedit, ne per ſolitos ſui meatus ualeat permeare, & ob hanc cauſam, & modum animal fit epilepticum atque conuulſum, ut Galenus ait tertio de locis affectis. Et Auicen. tertio canone. cap. proprio. Huius igitur nobilis iuuenis morbi cauſa eſt in capite accumulatio multæ humiditatis uiſcidæ, pituitoſæ, & frigidæ obſtruentis meatus cerebri, ob quod irritatur uirtus animalis ab illa mala materia, & coartata trahit neruos ad ſui originem. Igitur obſtructione in

eo

eo fit epilepſia,& tractu neruorum fit conuulſio. Hæc igitur eſt materialis epilepſia in iſto iuuene,eſt enim illius capitis temperatura plus humida quàm calida, ut accumulatam humiditatem quandoq; in cerebro non ualeat illius caliditas æquare,neque reſoluere, & relicta ab opere naturæ caloris cerebri ſui multitudine obſtruit, & epilepſiam producit, ut dixit Galenus & tanto crebrius in morbi acceſſione cadit, quanto ipſe in ratione uictus magis peccat, & hæc cauſa epilepſiæ in eo fouetur ab his, quæ cerebro malos habitus conducunt, & in eo confirmant, ut ab epilepſia per conſenſum facile in eo epilepſia per proprietatem progignatur, & tunc difficilior erit cura,quoniam ingentior erit cauſa morbi,& difficilius remouebitur.Erit igitur cauſa pituita uiſcida in meatibus cerebri accumulata, & hoc ſecundum plurimum, ut dixit Galenus tertio, de locis affectis, minus uerò à ſicco, quoniam raro fit, ut pelliculæ cerebri adeo exſiccentur,ut aridæ fiant,ut à ſicco epilepſia,uel conuulſio generetur, eſt enim cerebrum natura humidum,ut ait Galenus ſecundo, artis medicæ, hæc autem cauſa fouetur in patiente iſto, maximè à uentriculo, quoniam inuenitur, quod ex nimia uentriculi repletione,ut ex nimia crapula,& ſuperfluente potu facile iuuenis hic in hanc cadit affectionem, ob quam etiam ſicut à ſtomacho ueluti à conſentiente cauſa poteſt in cerebro initium capere epilepſia, ita & per ipſum ſuperflue impletum ab eo quippe uaporibus eleuatis ad cerebrum in eo poterit excitari cauſa epilepſiæ, & repente acceſſionem ad mouere. Et ob hoc puto iuuenem iſtum pati epilepſiam, partim per proprietatem, & cauſam exiſtentem in cerebro,& partim per conſenſum à uentriculo,& credo,quòd eius epilepſia etiam utroque modo eſt per proprietatem in cerebro,quoniam à materia pituitoſa, quæ eſt in cerebro eleuatur fumus, uel uapor turbidus, & ſpiſſus malæ qualitatis, qui impedit tranſitum ſpirituum motiuorum,

& ſenſibilium & epilepſiam inducit, & ſi ab humore melancholico aliquando, uel ab eius fumo in cerebro contingit epilepſia. in iſto tamen iuuene interiorem cauſam epilepſiæ eſſe credo magis à pituita (ut dixi) & ab eius uapore. Certe puto non multas fore extrinſecas cauſas fouentes intrinſecas cauſas, epilepſiæ in iſto iuuene, ueluti dixi de crapula, & nimio potu, idem dico de nimio coitu, uel de aliquo gerente uim nimii coitus: audio ipſum fere omni nocte nocturna corripi pollutione: Scimus enim ex Galeno tertio de tuenda ſanitate, coitus uires omnium membrorum corporis animalis imbecilles reddere, adeò, ut auferens nutrimentum ab omnibus membris relinquat ipſa priuata, & ſpiritu, & calore, ob quam rem cerebrum nimis coitu ſuperfluo debilitatum per eius naturalem facultatem non potens humidas in eo ſuperfluitates corrigere, atque reſoluere, facilè obſtructione meatuum mouetur epilepſia, tum etiam, quia nimius coitus nedũ ab omnibus membris, Verum & à cerebro alimentum aufert, quo fit, ut ipſi cerebro nedum morbi accidant, uerum & mors ipſa quandoq;, certè cum pollutio ſit expulſio ſpermatis in ſomno, quæ naturam coitus participat, totius corporis uires, & maximè principalium membrorum, præſertim cerebri, Quod natura pluri ſpiritu participat, quia eſt ſedes uirtutis animalis, ut ait Galenus quinto de locis affectis ut & coitus, ita principalium facultates, & maximè cerebri debilitabit, ut in eo multiplicata pollutione, epilepſia moueatur, & ob hoc non ab re dicemus in iuuene iſto acceſſionem epilepſiæ celerem, atque frequẽtem fore, ex frequenti, & crebra pollutione ei contingente. Aliud audiui à regentibus, & gubernantibus iuuenem, quo ueluti à procathartica cauſa admota fuit iuueni epilepſia, & eſt. Videns enim iuuenis hic iam annis quattuor peractis eius fratrem corripi epileptica acceſſione, repente, uel paulò poſt & idem detentus fuit epilepſia. Nos autem contribui

mus.

mus hoc triſtitiæ, & timori triſtitiæ quippe uidens fratris naufragium, timori, quidem, ne in conſimilem caderet affectum, Recordari enim debemus uerborum Galeni ſecũdo de cauſis ſymptomatum ultra medium libri. ubi ait, at in timore neque excitante, neque impellente ratione patibilem animæ partem magis ac magis calor extinguitur, ut non nulli quidem rigore infeſtentur, ut in timore autẽ confeſtim, ita in mœſtitia paulatim fit motus magnitudine duntaxat, ac uehementia, non toto genere differentibus pathematis. At qui nonnulli ob timorem repentina morte perierunt, ubi debilis ſuapte natura animula ſub ualido pathemate oppreſſa, confeſtim & extincta, & ſuffocata eſt. Ob quam Galeni ſententiam cum contingat quempiam mœſtitia & timore morte mori, ita & cõtingit quẽpiam mœſtitia & timore diuerſis morborum generibus affici, præſertim his, ad quos mouet mens, & animus, dicente principe. Cõmotionẽ animi de perhiodo facere perhiodum, imaginatio enim facit caſum.

Nobilis igitur hic Dominus multo affectus timore, ne repente pereat a nobis ſalutaria remedia inquirit, ut his, omnipotentis gratia aſperam hanc fortunam euitare ualeat. Nos igitur honeſtæ ſuæ petitioni morem gerentes, ualidioribus, quibus poterimus præſidiis ab hac periculoſa ſorte eum præſeruabimus, curabimuſque.

Et cognoſcens ego modum curationis morbi naturalis triplicem habere inſtitutionem, unam ex ratione uictus, alteram ex exhibitis medicamentis. Tertiam uerò ex operatione manuum, autoribus Galeno in de partibus artis medicatiuæ, & in libro experimentorum capite ultimo & undecimo methodi, capite quinto & alibi pluries, & Auicen. quarta primi, capite primo igitur omnibus his inſtrumentis utemnr, ut iuuenis ſuam optatam habeat ſalutem, & quoniam inter hæc nobilius inſtrumentum eſt uictus ratio, ideo ab eo initium faciemus.

AER.

QVoniam maxime contingit noſtra corpora ab ambiente nos aere alterari, & permutari, ut ait Galenus tertio, artis medicinalis, & tertio methodi curatiuæ. cap. octauo, & nono methodi non longe à fine ubi ait. Ambiens enim is eſt, ſine quo nec morbus tolli, nec ſanitas teneri poteſt, & Galenus primo de Tuenda ſanitate, non modicam expedit uim tuendæ ſanitatis in boni aeris electione, ideo ab aere ualetudinem ſuam inquirendo initium faciemus.

Vitet igitur iuuenis iſte Nobilis aerem craſſum, & nebuloſum, & cluſum, nullum recipiens perflatum. Dixit enim Galenus primo de tuēda ſanitate, nec qui ob ſtagnum, uel flumen uicinum nebuloſus eſt aer, nec editis undiq; montibus in cauo loco cluſus, nullum recipit perflatum, ſuffocans enim, putriſq; eſt. Proinde iuuenis iſte locum domus accurate ſibi conducat, in quo non ſit incluſus aer perflatus defectum ſuſtinens, huiuſmodi enim aer omni plane ætati noxius eſt, caueat quoque ab aere affecto fumo, uel puluere, cum enim corpus intrat facultatis animalis tranſitum tollit, uiarum ſpiritus clauſione, Quo fit, ut facile epilepſiæ admoueatur. Sit igitur eius Aer calidus, & ſiccus, plus quidem ſiccus, & non admodum calidus, non tamen frigidus, cum morbi cauſa frigida ſit, & quoniam in capite pituitam compingit, & non admodum calidus ſit aer, quia mouet, & elíquat materias in capite, quæ ad cerebri meatus permeantes facile uiarum obſtructione epilepſiam mouent. Aerem quoque humidum caueat, quoniam in eo ægritudo eſt humida, & caueat præſertim ab aere humido, qui & ſtagni, & paludis habitu infectus eſt, & qui ex cloacis malam expirat auram, & qui animalium, & olerum, & leguminum putredine uitium contraxit, aut fimo coninquinatur, caput enim grauitat, & animalem ſpiritum

ritum offendit,ut cluſus in meatibus cerebri ſuffocetur,& ſui functiones perdat, & epilepſiam faciat. Sit igitur eius aer calidus, quoniam ut dixit Galenus quinto aphoriſmorum grauitates capitis ſanat concoquens, atque diſſoluens quæcunque caput offendunt.

Vbi uerò iuuenis hic aerem natura calidum, & ſiccum non niſi laborioſe inueniret, eo in loco,quo ex ſui conſuetudine moram trahit, & hybernum tempus affuerit, tunc leuibus aromatum ſuffitibus utatur. Nam ſi ei noxium fuerit quod de fumo exit, ſola aromatum præſentia in loco manſionis ſuæ ſit contentus, ut quod de odore ab aromatibus expirat, ſua ui aperiat uaſorum obſerata orificia, & craſſitudinem extenuet, & omnibus frigidis, atque humidis diſpoſitionibus corporis occurrat. Aromata ſunt cinnamomum, gariophyllum, macis, nux myriſtica, lignum aloes, moſcus, ambra, cortices citrii, arantiæ, maſtix, Thus, & ſimilia, obſeruet igitur Patiens hic Nobilis hanc naturam aeris, quoniam eius morbi cauſa eſt pituita, ſi uerò eius cauſa eſſet humor melancholicus aerem ad temperatam humiditatem uergentem deberet inuenire. &c.

CIBVS ET POTVS.

ELigat ſibi patiens hic Nobilis Panem ex Tritico. Triticum enim apud omnes nationes frequẽtiſſime,immo ſumma cum utilitate uſui paratur, ex triticeis enim panibus ei plus conuenit ille, qui ex tritici ſimula conditus eſt, ſinceriſſimus enim panis eſt, non grauans, non flatuoſus, neq; deorſum aluum implens, & peroptimè nutrit, ut ait Gal.1.de facultatibus alimentorum,quo fit, ut pane iſto nõ foueatur cauſa epilepſiæ in eo. Sitq; panis eius non admodum fermentatus, ſui enim ſuperfluente acetoſitate noxius eſt cerebro,neruis,& Thoraci.Quippe neque omnino

fermento

fermento careat,nemini enim prorſus erit accõmodus, ut ait Galenus primo de potentiis alimentorum capite ſecũdo dixit enim, at qui omnino fermẽto caret,nemini prorſus erit accõmodus ; & non ſit ſalitus , contumax enim eſt cerebro,& thoraci propter illud uerbum Galeni ſecundo, de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, ubi ait Galenus . Sal enim moleſtum eſt propter grauedinem & potiſsimum in capite,ſit & eius panis optime coctus,& non admodum , ut qui cruda,incoctaque interiora habet, ambuſta uerò , obarida , & cruſtacea exteriora ; difficulter enim permeat , & craſſos humores progignit , & cerebro nocuos,de quo loquens Galenus primo alimentorum dixit.Is enim deterrimus panis cenſendus eſt , & uentriculo inimicus,qui in cruſtaceis admodum aduritur , in intimis uerò incoctus relinquitur,& ſit eius panis recens duorum dierum & non plus, & non comedatur calidus propter illud uerbum Auicennæ ſecundo canone.capi. DLXXIII.Panis enim calidus non eſt apud naturam receptibilis , ſitim facit & natat in ſtomacho propter ſuam uaporoſam humiditatem,cerebro nocuam.

De uino recordabor illius , quod dixit Galenus primo de tuẽda ſanitate,& in libro exhortatio ad bonas artes,ubi ait.Cum ſit omnis exceſſus fugiendus maximè illum fugere expedit,ex quo non corpori modo,uerum animo damnum accedit . Qua de re cum corpori patientis uini potus damnum ingerat , ne dum hauſtum guſtare ſuaſerim , uerum & omnis uini potionem denegarem,nam repleri caput in iuuene iſto inutile,& moleſtum eſt,& uinum halitu caput replet , idcirco id à tota natura contumax pronuncio. Nempe ſi conſuetudine ſui uel inordinata illius appetentia , uel uiolento aliquorum irritatu ad uini cogatur potionem , ſit uinum album,tenue , imbecillium uirium, ut caput minime percutere ualeat , & benè aqua mixtum, præcipit hoc Galenus primo de tuenda ſanitate,& quinto

de

de locis affectis.cap.quinto. Tale enim uinum ut uentriculum robuſtum efficit, ita haudquaquam tentat caput, id quod facere ſolent uina, quæ uehementes uires obtinent. Teneat igitur menti, ut in uictu ſuo, quod conueniens ei potus eſt mulſa decoctionis hyſſopi,& ſaluiæ, quam & uino poterit permiſcere in continuis ſui uini potionibus.

De carnibus dicam cum Galeno tertio, de facultatibus alimentorum capite primo. Quod animantium pedeſtriū, & quadrupedum, atque uetuſtorum carnes cauere debet, ut Bubula caro, quam comitantur capreoli carnes, & cerui, arietum etiam,& uetuſtorum caſtratorum carnes ei cōtumaces ſunt,& plus propter abundantem humiditatem, ſuilla raro eſt ei nocua. De Bubula enim carne dixit Galenus. Bubula enim alimentum ipſa quoque non exiguum, neque diſcuſſu leue præſtat, ſed ſanguinem craſſiorem, quàm par eſt, progignit. primæ enim carnes temporis uetuſtate terrei alimenti naturam ſibi conceſſerunt, ut ex feculento ſanguine procreatæ, ſint nocuæ uirtuti animali, & cerebro contumaces,& quia his craſſioribus carnibus pauperes magis ueſcuntur, ideo magis epileptici fiunt.

Carnes quæ ipſi patienti ſunt conuenientes, ſunt quæ temperaturæ calidæ & ſiccæ ſunt, uel temperatæ humiditatis, ſi cauſa epilepſiæ eſſet humor melancholicus, ut aliquādo contingere poteſt, ut dixit Galenus in libro medicus, quod ſi natura tales haberi non poſſunt, arte præparentur ut omnes auiculæ ſylueſtres,& in arboribus degentes, ac uictum in ſiccis locis trahentes, & ipſæ toſtæ magis conueniunt. Elixatæ uerò ſi præparentur hyſſopo, ſaluia,& rore marino, & betonica, & ſampſuco, conueniunt igitur ficedulę, turdi,& merule, palumbi ſylueſtres, francolini,& ſimiles. Vbi uerò Aues domeſticæ fuerint, ad maiorem ſiccitatem, parentur, cum hyſſopo, ſaluia, & huiuſmodi, quales ſunt capones, gallinæ, faſiani, perdices, & huiuſmodi. De quadrupedibus ſunt ei conuenientes uitulinæ, cuniculi iu-

uenes,& caſtrati iuuenes unius anni benè conditi cum ſaluia,& dictis,caueat tamen caprarum carnes,quoniam a ſui proprietate epilepſiam faciunt, & fugiat,omnes aues in aquis degentes, quoniam ſui humida temperatura ſunt ei nocuæ,ut anſeres,anates,& huiuſmodi. &c.

De piſcibus dicam cum Galeno ſexto de uſu partium capite nono,quod cum omnibus animantibus frigidiores ſint piſces, & humiditate abundantes, ideo illos ei prohibeo,illos maximè,qui in cænoſis,ſordidiſque aquis ueſcũtur, porrò & qui in paludibus, & lacubus capiuntur, excrementicii enim ſunt,& eorum caro mucoſa, ut ait Galenus tertio de potentiis alimentorum.capite.XXIIII.fluuialium uerò piſcium caro non adeò noxia eſt ei,& tanto minus, quanto fluminis aqua rapida, & multiflua eſt, ipſius enim torrentis fluxu piſces fatigantur. Quo fit, ut eorum caro minus excrementitia,minuſque mucoſa ſit,Piſces autem (ſed non feri grandeſque) qui liberum,& purum mare natant,ſunt ei parum boni,maximè cum uentorum dif flatu agitatum attollitur,ut dixit Galenus tertio alimentorum cap.XXIIII. In ſilenti namque mari nulliſque agitato fluctibus,tanto piſcium caro uilior eſt,quanto minus excercitata. Saliti piſces ſunt ei contumaces propter illud Galeni ſecundo de comp.med.s.l. cap. XVIII. ſal anxiatiuum eſt propter grauedinem,& maxime in capite.

De ouis dicam cum Galeno tertio de potentiis alimentorum capite.XXI. ubi ait, oua quæ ab animantibus naſcũtur inter hominum numerantur alimenta, quorum ſummam alitionis laudem gallinarum oua obtinent, eorum autem uitellus eſt ei conueniens, & ab albumine omnino caueat, ſintque ei oua comuni ſuo eſu recentia, & non diu aſſeruata,ut dixit Galenus loco dicto. Dura quoque ei oua ſunt noxia. porro ſint tremula oua, atque ſorbilia, quæ ei condonantur, ait enim Galenus tremula, molliaque oua omnium bellisſime nutriunt, et ſint in aqua cocta ob id,

quod

quod in feruentibus cineribus aſſata longe tardioris ſunt meatus,& craſſioris ſucci,neque oua in ſartagine coquantur,nidorē enim ac fumum edunt, ſuccuſque ex eis progenitus non ſolum craſſus,uerum etiam prauus,excremento ſus eſt,& cerebro incommodus.

De lacte dixit Galenus tertio alimentorum capite.XIIII. ipſum inter cibos, qui ab animalibus proficiſcuntur,com pertum eſſe, Quod ſi capiti attendamus, ei nequaquàm lac dabimus propter illud Galeni quinto aphoriſmorum commento ſexageſimo quarto, ubi ait. Lac uerò quod bene coquitur,nutrit,& bonos facit humores,& dum coquitur his pariter attollit ilia,& caput tangit.

De Butyro cum ex eo, quod in lacte pinguisſimum eſt butyrum progignitur,pinguisſimum, uero caput grauet, ob hoc dicam butyrum à toto genere eſſe ei aduerſum, ut Galenus ait decimo, ſimplicium medicamentorũ cap. XI.

De caſeo à tota ſui natura ei contumacem arbitror, & quanto antiquior eſt,tanto deterior, concoctionique contumacior,& deterrimi alimenti procreator, ut ait Galenus tertio de potentiis alimentorum cap.XVI.

De fructibus, eos fructus,quos arboreos appellitãt, qui hominum cibos adiuuant, auctore Galeno ſecundo alimentorum cap. ſeptimo à tota rei natura eſu ei non darē. Ii quorum mollis atque humidior eſt conſiſtentia nedum nutriunt,humidamque ex ſe alimoniam corpori,afferunt, uerum & flatuoſam cerebro noxiam.

Videmus enim epilepſiam à ſolo uento progigni, quales ſunt ficus,pira,poma,perſica, armeniaca, ceraſa, pruna, & huiuſmodi.Nempe ſi ut pueri uoraci quadam appetentia pulſi,quempiam horum cuperet, maturas ficus, ueluti minus nocuas cōcederem, minus namque praui ſucci adgenerant,omnibus his,qui fugaces, & autumnales uocantur fructus,& ſi penitus huius uitii non immunes reddantur ficus, iuxta Galenum ſecundo alimentorum cap.octa-

uo.Certè poma,& pira ſub feruentibus cineribus cocta;aliquando ei non denegarem,excalefaciens enim ignis,nedũ humidum nocuum minuit, uerum & ſpiritum flatuoſum ſenſim excernit, ſoluitque,uerum enim uero , cum ſolidæ conſiſtẽtiæ fructus fuerint , qui adſtringente ui admodum pollent,eos certè iuueni non concederem , quales ſunt citonia, meſpyla,ſorba , nuces , & huiuſmodi . Ii porrò nedum in tranſeundo non celeres ſunt , uerum & craſſum , atque glutinoſum ſuccum omnino progignunt,functioni animali nocuum,uterum huius adſtrictoriæ facultatis dulces amigdalæ nihil ſortitæ ſunt,quippe abſtergendi,& attenuandi ui pollent,quo fit,ut uſu moderato idoneæ ei comprobentur , & neque caput grauabunt,ſi poſt earum corticis ablationem tribus in calida aqua horis permanſerint , & nuces auellanæ adſtringentis facultatis ui pollent,ut ait Galenus ſecundo de alimentis cap.XXVIII.quo fit,ut nedũ hæ, uerum & iuglandæ nuces ei eſca efficiatur nocua, cum fluxiones deſuper mouentes caput offendant.

De Leguminibus dixit Galenus primo de potentiis alimentorum ob id quod legumina nulla gratia,nullaque iucunditate prædita ſunt , Quippe flatibus admodum uentrem implent,ob hoc ea proculdubio huic iuueni patienti,cuiuſuis generis paratus fuerint , ingratas eſcas pronuntiabo .

De oleribus,quæ ex oleribus eſitare debet,excalefacientia , atque exſiccantia ſint , qualia ſunt hyſſopus, ſaluia,betonica, fœniculum,roſmarinus, & huiuſmodi . Hæc enim humores craſſos,& frigidos, hærenteſque attenuant, & abſtergunt . Quæ uero frigidæ,& humidæ ſunt temperaturæ, ei nocua ſunt,Qualia ſunt lactuca,endiuia,beta, ſpinachia, malua , & huiuſmodi . Neque terræ bulbi , qui mordaci acrimonia præditi ſunt,ei comedendi ſunt. Qualia ſunt, allia,cepæ,aſcaloniæ,porri , & huiuſmodi , non ſolum enim tangunt , & percutiunt caput , uerum & peſſimi alimenti ſunt.

ſunt. Caueat ergo ab his, quæ à proprietate ſolent epilepſiam mouere, ut ſunt apium, petroſelinum, & fungi.

De exercitio, dixit Galenus primo de tuenda ſanitate, Humani corporis excogitata dimotio, non ſolum ad ſanitatis tutelam, uerum & bonam corporis habitudinem neceſſariam eſſe, priſci omnes prædicauerunt. Quo fit, ut ei plus conueniat moderata dimotio, quam immoderata quies & ocium. Sitque per loca calida, & ſicca, immo arida, ne pedes humectentur.

De ſomno, dixit Galenus ſecundo aphoriſmorum commento primo, ſi ambo, uidelicet, ſomnum, & uigiliam cõiectari uoluero, hæc fieri ſecundum innati caloris motionem, ſomnum quidem ad intima corporis, uigiliam autem ad exteriora, natiuo calore permoto. Quam ob rem cum in ſomno multo natiuo calore ad intima uocato ex halitibus multa quantitas capiti ingeratur, quibus facile epilepſia poſſet excitari, ideo iubeo ipſum non gaudere multo ſomno, & præſertim diurno, aperta enim fronte ipſum prohibeo.

De accidentibus animi dicam, quod patiens gaudeat, & non triſtetur, porrò mœſtitia reuocat ſpiritus & calorem ad cor, & exteriora algeſcunt membra, auctore Galeno ſecundo de ſymptomatum cauſis, Quo fit, ut algor inimicus ſit cerebro, gaudeat igitur ipſe, & non triſtetur.

De repletione, & inanitione, Neminem admirari uellem, ſi uitioſam ciborum, atque potuum repletionem, atque malorum ſuccorum ſimplici uerbo damnari digno ſcat, Sanè cogor id fateri Galeni uerbo primo aphoriſmorum commento tertio, ubi ait. Cum enim uaſa cibis, & potibus fuerint ſupra modum repleta, periculum eſt, ne diſrumpantur, aut calor naturalis ſuffocetur. Quamobrem, quia patiens timore mortis territur, non impleatur, uentres quoque moderatè inanire cogatur, aut cibi, & potus parſimonia, aut ſenſim cum purgatorii medicamenti eua-

uo. Certè poma,& pira ſub feruentibus cineribus cocta, ali quando ei non denegarem, excalefaciens enim ignis, nedũ humidum nocuum minuit, uerum & ſpiritum flatuoſum ſenſim excernit, ſoluitque, uerum enim uero, cum ſolidæ conſiſtẽtiæ fructus fuerint, qui adſtringente ui admodum pollent, eos certè iuueni non concederem, quales ſunt citonia, meſpyla, ſorba, nuces, & huiuſmodi. Ii porrò nedum in tranſeundo non celeres ſunt, uerum & craſſum, atque glutinoſum ſuccum omnino progignunt, functioni animali nocuum, uterum huius adſtrictoriæ facultatis dulces amigdalæ nihil ſortitæ ſunt, quippe abſtergendi, & attenuandi ui pollent, quo fit, ut uſu moderato idoneæ ei comprobentur, & neque caput grauabunt, ſi poſt earum corticis ablationem tribus in calida aqua horis permanſerint, & nuces auellanæ adſtringentis facultatis ui pollent, ut ait Galenus ſecundo de alimentis cap. XXVIII. quo fit, ut nedũ hæ, uerum & iuglandæ nuces ei eſca efficiatur nocua, cum fluxiones deſuper mouentes caput offendant.

De Leguminibus dixit Galenus primo de potentiis alimentorum ob id quod legumina nulla gratia, nullaque iucunditate prædita ſunt, Quippe flatibus admodum uentrem implent, ob hoc ea proculdubio huic iuueni patienti, cuiuſuis generis paratus fuerint, ingratas eſcas pronuntiabo.

De oleribus, quæ ex oleribus eſitare debet, excalefacientia, atque exſiccantia ſint, qualia ſunt hyſſopus, ſaluia, betonica, fœniculum, roſmarinus, & huiuſmodi. Hæc enim humores craſſos, & frigidos, hærenteſque attenuant, & abſtergunt. Quæ uero frigidæ, & humidæ ſunt temperaturæ, ei nocua ſunt, Qualia ſunt lactuca, endiuia, beta, ſpinachia, malua, & huiuſmodi. Neque terræ bulbi, qui mordaci acrimonia præditi ſunt, ei comedendi ſunt. Qualia ſunt, allia, cepæ, aſcaloniæ, porri, & huiuſmodi, non ſolum enim tangunt, & percutiunt caput, uerum & peſſimi alimenti ſunt.

ſunt. Caueat ergo ab his, quæ à proprietate ſolent epilepſiam mouere, ut ſunt apium, petroſelinum, & fungi.

De exercitio, dixit Galenus primo de tuenda ſanitate, Humani corporis excogitata dimotio, non ſolum ad ſanitatis tutelam, uerum & bonam corporis habitudinem neceſſariam eſſe, priſci omnes prædicauerunt. Quo fit, ut ei plus conueniat moderata dimotio, quam immoderata quies & ocium. Sitque per loca calida, & ſicca, immo arida, ne pedes humectentur.

De ſomno, dixit Galenus ſecundo aphoriſmorum commento primo, ſi ambo, uidelicet, ſomnum, & uigiliam cõiectari uoluero, hæc fieri ſecundum innati caloris motionem, ſomnum quidem ad intima corporis, uigiliam autem ad exteriora, natiuo calore permoto. Quam ob rem cum in ſomno multo natiuo calore ad intima uocato exhalitibus multa quantitas capiti ingeratur, quibus facile epilepſia poſſet excitari, ideo iubeo ipſum non gaudere multo ſomno, & præſertim diurno, aperta enim fronte ipſum prohibeo.

De accidentibus animi dicam, quod patiens gaudeat, & non triſtetur, porro mœſtitia reuocat ſpiritus & calorem ad cor, & exteriora algeſcunt membra, auctore Galeno ſecundo de ſymptomatum cauſis, Quo fit, ut algor inimicus ſit cerebro, gaudeat igitur ipſe, & non triſtetur.

De repletione, & inanitione, Neminem admirari uellem, ſi uitioſam ciborum, atque potuum repletionem, atque malorum ſuccorum ſimplici uerbo damnari digno ſcat, Sanè cogor id fateri Galeni uerbo primo aphoriſmorum commento tertio, ubi ait. Cum enim uaſa cibis, & potibus fuerint ſupra modum repleta, periculum eſt, ne diſrumpantur, aut calor naturalis ſuffocetur. Quamobrem, quia patiens timore mortis territur, non impleatur, uentres quoque moderatè inanire cogatur, aut cibi, & potus parſimonia, aut ſenſim cum purgatorii medicamenti eua-

cuatione,quia humorum abundantia non grauētur membra, quod facultati animali admodũ noxium eſt. Præterea eius uentriculus non immoderate inaniatur,quoniam inanitus uentriculus aduocat epilepſiam, ut docet Galenus in libro de ſectione uenæ contra eraſiſtrateos, & tu uide. Vnum tamen eſt, in quo patientem hortor, ut pro uirili ſua utatur attenuante uictu, iuxta illud Galeni in libro de attenuante uictus ratione, ubi ait, eadem etiam hæc attenuans uictus ratio epilepticos quidem paruos, & incipientes,penitus ſanat, inueteratos uerò, ac conſumatos iuuat non mediocriter.

Cum iam à nobis oſtenſum ſit, quali uictus ratione Nobilis hic Patiens moderandus ſit, Alteram rem nunc aggrediar. Quam morbi profligandi facultatem Galenus appellat libro primo de tuenda ſanitate. Nempe quoniam morbus hic diuturnus eſt, ut & alii morbi longi, ob craſſos,lentos,ac frigidos humores fiet,ut ait Galenus in libro medicus ex teſtimonio Platonis, & Hippocratis. Quò fit, ut non facilè concoqui poſſint. auctore Galeno ſecundo aphoriſmorum commento.XIX.quippe & in patientibus partibus adeo humores ii impacti,agglutinatique ſunt,ut eorum diſpoſitiones magis prædictis tumoribus, inflammationibuſque aſſimilentur, ut Galenus in eodem ſenſit loco.Idcirco huius iuuenis modus curationis ſuæ affectionis eadem die medicari,ut in acutis morbis,non modo irrationalis,uerum & fallax,& periculoſus eſt, auctore Galeno primo aphoriſmorum commento.XXII.Quò fit,ut ſenſim huiuſmodi affectionem medicari opere pretium ſit, tum altero díe morbi cauſam concoquendo, tum concoctum excernendo, ut docuit Galenus primò aphoriſmorum commento. XXIIII. & ſecundo aphoriſmorum commento nono.Sane igitur nullo prorſus ductus errore mihi ſuadeo. Iuuenem iſtum binis medicaminibus per anni temporis ſpacium uti oportere.Vno uernali tempore,altero,

ro uerò autumnali. Quippe huiuſmodi medicationes præcauentes erunt morbum, qui futurus eſt, & curantes illum, qui iam imminet, ut præcauendi, curandique morbum eodem amplectar ſcopo.

Initio igitur ueris percunte medicamentis ipſum purgari iubeo, porro purgationibus idoneum eſt id tempus, auctore Galeno in libro de ſanguinis miſſione uerum ut docuit nos Galenus. Docuitq; Hippocrates ſecundo aphoriſmorum commento nono, & primo commento. XXIIII. ubi ait, cum quis purgare corpora uoluerit, oportet fluida facere, mihi nempe aſſuetudo eſt fluidum in primis corpus efficere medicamento à latioribus uiis excrementa eiiciẽte, ne à prauis eorum flatibus principalium uires offendantur, & hæ imbecilliores factæ proximam morbi cauſam concoquere nequeant. Hunc igitur medicandi modum expediam quotidianis ſorbitionibus, quibus cauſa epilepſiæ & catarrhi concoquatur, ipſaque præparabitur ad ſui facilem expulſionem.

Primum igitur ueſperi priuſquàm uentrem per horam impleat, ſequentem deglutiat bolum. Recip. floridæ caſſiæ recenter eductæ, diaſenæ lenitiui ana. Vnc. med. ſpecierum ieræ ſimpl. Galeni drac. I. & med. radicum pæoniæ tenuiter tritæ. drach. I. miſce, & fiat bolus cum zuccharo.

Altero uerò ſequente die, cum eius affectio diutina ſit, qua mentis læſio, & occupatio frequenter fit, Conſilium do, ut ueſperi duabus horis priuſquã cibum capiat, iubeat ſibi tres, uel quattuor hyrudines apponi. Sunt enim conuenientes propter illud uerbum Hippocratis, melancholicis, & nefriticis, hemorrhoides innatæ bonum, & Principis uolentis eas rectitudine quadam reſpicere caput, ut ab eo nedum humores euacuent, uerum & uapores, ipſi quippe admodum fouentes ſunt cauſam affectionis eius, ſanguis autem mittatur quantitate unciarum quinque, uel ſex. Eo enim feculento ſanguine, exonerabuntur cerebri facultates,

facultates, Quo fit, ut reddantur fortiores ad cauſam epilepſiæ melius æquandam.

Tertia uerò ſuccedente die priuſquàm ſolis ortus ad nos perueniat, ſequentem potionem admodum commodam ſeptem non intermittentibus diebus potam, & tepidam tribues, craſſos, & glutinoſos, frigidoſque humores in cerebro, & toto corpore concoquit, attenuat, & diſrumpit. Quo fit, ut obſtructas cerebri uias aperiat, quod facultatem animalem admodum iuuat.

Potio eſt. Recip. hyſſopi, betonicæ, ſaluiæ, ſtæcados arabici, roriſmarini, ſampſuci, chamæpithyos, menthæ herbæ paralyſis, utriuſque centaureæ, ana. manipu. med. galangæ, zedoariæ, ana. drach. ii. aniſorum. drach. ii. radicum pæoniæ drach. I. & med. bulliant omnia in ſuff. quan. aquæ uſque ad conſumptionẽ medietatis, & colentur, mox adde nucis myriſticæ, cinnamomi, macis, ſandalorum utriuſque. ana. drach. I. tenuiter contritis, & in panni linei fragmento ligatis ſemel uehementer bulliant, & cum zuccharo optimo quan. ſuffi. breuietur ſyrupus, de quo Recip. Vnc. ii. & med. aquæ betonicæ. Vnc. iii. & med. miſce, & patienti dato, ſicut dictum eſt.

Vbi uero tempore, quo dictam potionem capiet aluus ei adſtricta fuerit, uel adhuc ei ſemel tantum, in die obediet conſulo, ut ueſperi duabus horis ante quàm capiat cibum, alternis quippe diebus cliſtere huiuſmodi ei imponatur. Recip. dictæ decoctionis ſyrupi. lib. I. olei liliorum. drach. ii. uitelli ouorum numero. I. zucchari rubei Vnc. I. & med. miſce, & iniiciatur cliſtere.

Octaua uerò die indiciis concoctionis apparentibus priuſquàm nox è tenebris ad lucem uertatur, ſic purgetur ubi aluus admodum mollis non fuerit, Quòd ſi ita, alterum expectet diem. Recip. radicum pæoniæ drach. ii. agarici electi. ſcropul. iiii. zinziberis, ſalis gemmæ ana. gran. iii. omnia in ſubtili panni linei fragmento ligentur, & cum ſe-

mel

mel bullierint in decoctione comuni florum & fructuum, in qua bulliant epitimi.drach.I.foliculorum ſenæ,polipodii quercini,florum ſtæcados arabici.ana.drach.ii. Deinde colentur,& cum eo quod colatũ eſt quantum expedit diſſolue diaſenæ lenitiui. drach. VI. ellectuarii indi. drachmã unam & mediam, ellectuarii ſucci roſarum drachm. med. Reubarbari electi.drach.I.& med.ſpicæ.gran.iiii.Reubarbaro trito cum ſpica,fiat potus,& detur patienti modo dicto.

Cæterum uerò permeante æſtatis tempore,conſulo , ut ter in menſe mane priuſquàm cibum inglutiat, imponatur ei cliſtere iam ſcriptum,perutile enim ei erit. Conſulo etiam , ut in proceſſu nedum æſtatis,uerum & omnium tẽporum anni caueat à balneis,& lauacris,tum quoniam humidum regimen eſt, tum perſpiratione percutim corpus debilitatur, à quibus cauſa epilepſiæ facile excitari poterit, & eſt hæc mens Galeni in libro aduerſus eraſiſtratum, & in libro aduerſus eraſiſtrateos, de uenæ ſectione.Ego igitur ſum huius ſententiæ, balnea cuiuſcunque generis adfuerint ſecundum omnem modum adminiſtrationis ei admodum nocua,& quoniam eius regimen debet ad ſiccum uergere, plus laudo leues de mane ieiuno ſtomacho frictiones,quàm in balneo lotiones. Caueat igitur nobilitas patientis ab uſu hypocauſti humidi. Vſus uerò moderatus hypocauſti,ſi moderatæ quippe caliditatis, & maximè ſi uſus talis fuerit ei conſuetus, ſuæ D. non admodum contumax eſt. Laudo quoque, ut alternis diebus ueſperi cum uult cubare palato apponat parum ſequentis mixturæ. Recip. conſeruæ ſtæcados, conſeruæ ſaluiæ,zucchari roſati, ana.Vnc.I. pulueris pæoniæ drachm.I. miſce. Alternis etiam diebus hora eadem, deglutiat grana.iii.Thuris maſculi, ſui enim natura aromatica corroborat cerebrum & ſui ſiccitate humiditates cerebri conſumit, & eius cauitates mundat. Mane uerò pluribus diebus non pleno uentriculo mandat,ſuccum deglutiendo primo, poſt uerò mandendo,

Thus cerebri confortat.

dendo,& multum expuet,de ſequēti mixtura. Recip.radicum acori conditarum. Vnc. iii. ſuperaſpergatur ſequenti puluere.Recip.maſticis,pæoniæ,olibani ana. drachm.med. fiat puluis ſubtilis, & uſui ſeruetur. Laudo quoque omni die antequā comedat per horam capiat duo coclearia infraſcriptæ mixturæ.Recip. ſucci hyſſopi,ſucci betonicæ. ſucci iuæ. ana.Vnc.ii. depuratis ſuccis adde cranii humani in tenuem puluerem redacti, radicum pæoniæ in modum pulueris tritæ. ana. drach.ii. zucchari optimi quan. ſuffic. & fiat loch molle. Item laudo, ut plurimum de nocte detineat ſub palato unam de ſequentibus pilulis.Recip.ſpecierum aromatici gariophyllati. ſcropu.I. ſpecierum diadraganti frigidi, cranei humani, radicum pæoniæ, radicum conſolidæ, ana. drachm.I. in modum pulueris terantur,& cum ſucco hyſſopi fiant pilulæ ad formam lupini.

Oberrata,quæ in uictus ratione contingunt, non modo morbi fiunt,uerum & ab anni temporibus quorum naturæ, atque mutationes morborum naturis affines ſunt, auctore Galeno tertio aphoriſmorum commento.XIX. & primo, commento. XIIII. Quapropter cum hyberno tempore cerebri affectiones uigere ſoleant,auctore Hippocrate tertio aphoriſmorum, non ab re autumno præcedente iuuenem rurſus purgatoriis uti medicamentis, ut ab initio curationis dixi facile iuberem. Quapropter cum autumni tempus ad nos peruenerit ipſum ſeptenis ſubſcriptis potionibus nullo intermittente die priuſquàm ad nos ſol elucefcat uti uelim, ubi tamen prius materia fuerit minorata iuxta præceptum Galeni in commen.illius ſecundi aphoriſmorum cum morbi incohant &c. Duabus igitur horis ante lucem capiat ſequentes pilulas.Recip.pilularum de agarico meſue pilularum cocchiarum meſue. ana ſcrop.I. miſce cum ſyrupo de betonica fiant pilulæ numero.iii.ſequenti uerò die potet ſequentem ſyrupum prope diluculum, Recip.ſyrupi de ſtæcade cum ſpeciebus, ſyrupi

rupi

igeſtuú·

rupi de betonica, ſyrupi roſati,mellis roſati col. ana. Vnc. med.aquarum betonicæ pæoniæ,borraginis ana.Vnc.I.miſce. Octaua uerò die apparentibus ſignis concoctionis deglutiat duabus horis ante lucem ſequentes pilulas. Recip. Pilularum fœtidarum,pilularum cochiarum, agarici,croci. ana. ſcropul.I. & cum ſyrupo de ſtæcade fiant pilulæ numero quinque.Pereunte uerò autumno tribus diebus corpore iam purgato, laudo iteratã hyrudinum hemorrhoidibus appoſitionem, ducaturque ſanguis ad quantitatem trium unciarum. Quieſcat uerò patiens tribus ſequẽtibus diebus, & poſtea admoueantur ueſsicatoria poſt aures, & beneficio artis chyrurgicæ diu aperta teneatur, his enim exonerabitur cerebrum materiæ deriuatione,& euacuatione,& cum iſtis toto tempore hyemis bis in ſeptimana ueſperi cum lectum ingredi uoluerit,capiat unam de ſequentibus pilulis.Recip. Turbith gumoſi,reubarbari electi,agarici electi, ana. drach. ii. zinziberis, ſalis gemmæ,ſpicæ ana grana.VII. epithimi, polipodii quercini. ana.drach.I. mirabulanorum indorum.ſcropul.iiii. ſeminum pæoniæ, oſsis cranei humani. ana.drach.I. & med. ſpecierum ieræ ſimpl. Galeni. Vnc.I. diagridii.drach.med.terantur omnia ſubtiliſsime,& cum ſucco pæoniæ fiant pilulæ.Doſis eſto numero.I.unius ſcropuli.Item conſulo,ut pluribus diebus ueſperi cum uult cubare apponat palato portionem ſequentis mixturæ.Reci. theriacæ magnæ. Vnc.med.pulueris radicũ pæoniæ, pulueris oſsis cranei humani.ana.drach.i.cum ſyrupo de hyſſopo fiat mixtura.Laudo etiam,quod aliquando utatur mixtura ex his,quæ à ſui proprietate conferunt epilepſiæ.Vt Recip.ſtercoris pauonis, epatis aſini domeſtici,epatis perdicis, cerebelli muſtelæ loti cum aceto,omniũ benè exſiccatorum,& tritorũ ana.Vnc.med. pulueris pæoniæ & eius radicis oſsis cranii humani.ana. drachm.ii.zucchari quan.ſuff.& fiat ellectuarium, conuenit illi diantos, ellectuarium pliris,diamuſcus,dulcis,& amarus, diatrion

pipereon mitridatum, quæ omnia cum zuccharo roſato ſunt peridonea.

Quoniam autem ſupra diximus pollutionem noctur-nam fouere epilepſiam huius nobilis iuuenis ob hoc ſuccurremus pollutioni nocturnæ ſic. Recip. ſem. agni caſti, ſemis menthæ, ſem. acetoſæ, ſem. portulacæ, ſem. plantaginis. ana. drac. med. terantur & cum zuccharo diſſoluto in aqua menthæ fiat confectio in morſulis drach. ii. pro quolibet, omni enim ueſperi in ingreſſu lecti, capiat duos, uel unum de prædictis morſulis, & bibat hauſtum unum aquæ plantaginis. Repente poſt inungat ſibi totam renum regionem ſequenti unguento, Recip. ſucci ſolatri, ſucci ſemperuiui, ſucci plantaginis, olei mirtini, olei roſati onfangini. ana. Vnc. med. ſem. acetoſæ, ſem. portulacæ, ſem. plantaginis. ana drach. I. roſarum rub. corallorum rub. ana. drach. I. & med. ſandalorum rub. drach. ii. terantur tereda, & cum cæra fiat unguentum pro renibus.

pollutio-em noctu-na

De tertio inſtrumento, quod fit ex operatione manuū, poſtquā dixi de ſanguinis miſſione, quæ ſolum ex hemorrhoidibus facienda eſt, & non ex alia uia, & cum iam D. ſua ſubmittatur crurium uſtionibus, & nihil utilitatis ſperatæ, conſulo, ut propinquius attingamus cauſam morbi cōtinuam, quæ eſt in cerebro, & admoueamus ei cauterium in prima uel ſecunda uertebra colli, ex his enim uſtionibus exiſtentibus in cruribus iuuamentum præſtatur membris conſentientibus, ex illo uero in collo ipſi cerebro deriuando materiam, & habilius cerebrum mundificando, & exonerando. Hæc igitur dixi ad ſalutem huius nobilis iuuenis, quibus deo conſentiente, ad eam, quam optat ſanitatem redigetur, Anno Chriſti. M. D. XLVI. Die quinta auguſti, tempore quo Bononiæ Theoricam medicinæ edocebam. Ad laudem illius, qui cælum & terram gubernat. Amen.

FINIS.

AD VERTIGINEM ET SCOTOMIAM,

Pro Domino Franciſco Vngarello Feltrienſi. Artium & medicinæ doctore.

Conſilium VIII.

NObilis & excellens Artium, & medicinæ doctor, Dominus Franciſcus Vngarellus Feltrinus, complexionis ſanguineæ, cuius caliditate in totum corpus uergente, ipſum rarioris contexturæ reddit. Quo fit, ut una à calido excedente, frigidoue, eius totum conturbetur corpus. Hic quippe patitur uertiginem, & ſcotomiam, quoniam à parua occaſione excellentia ſua hebetatur, & ab eadem omnia in girum uerti uidētur, adeo, ut interdum cadat, & hanc corporis humani affectionem, Scotomiam ideſt uertiginem dixit Galenus tertio de locis affectis. capite. VIII. Et Auicenna prima tertii tractatu quinto cap. primo. Cuius affectionis cauſam excellentia ſua nunc temporis poſſidet in capite. Porrò ad hoc indicia ſunt aurium ſonitus, ſentitque capitis grauitatem, atque dolorem præſertim anterioris partis, oculorum ob tenebras, & ei lux luminis ſplendentis admodum nocua eſt. Quo fit, ut ab ea ſpiritus commoti, atque debilitati in girum uertantur, uirtuſque animalis motiua non firma in inſtrumēto, nequiens corpus regere, confeſtim cadat. Et hæc ſunt accidētia, & indicia uertiginis, & ſcotomiæ cauſam in cerebro obtinentis iuxta illud Galeni uerbum tertio de locis affectis. cap. octauo, ubi ex teſtimonio archigenis ait, nam ubi ex primaria cerebri affectione uertigo dependet, aurium ſonos, capitis dolorem, atque grauitatem præcedere dicit. Item olfactus, atque alterius cuiuſcunque ſenſus inde pro-

deuntis oblæſionem eos ſenſus, ut equidem puto ſignifica re uolens, qui à capite initium ſumunt, & eandem ſententiam habuit Galenus tertio aphoriſmorum, commento. XVII. & XXIII. Non auderem tamen contrarium aſſerere ei de quo excellentia ſua me certiorem fecit, uidelicet, hanc ſcotomicam affectionem forte originem habuiſſe ab ore uentriculi, eamque oris uentriculi uitium fouere cum uertiginis incrementum ſequatur oris uentriculi noxam, decrementumque eius optimam ualetudinẽ. Attamen nunc temporis ſuæ Excellentiæ ſcotomiam aſcribendam eſſe capiti, non aliter dicam ob illud Galeni uerbum tertio de locis affectis. cap. octauo ad finem, ubi ait. Verum ut iam antea ſepænumero monuimus, licet caput per alterius partis conſenſum afficiatur, affectio tamen nihilominus ipſi aſcribenda eſt.

Nempe ſcotomiæ ſuæ Excellentiæ cauſas procatharticas dixit Galenus loco dicto, ubi ait. Id uerò maxime, cum uel ſub ſole æſtuauerint, uel aliã ob cauſam calefacto fuerint, capite. Nam quod aliis cum in circo frequentur uertuntur accidit, hoc ipſis citra circuitionem euenire uidemus, & eandem cauſam uoluit Gale. iiii. aphoriſ. com. xvii. & huic aſſociantur quæcunq; ſpiritus uiſiuos imbecilles reddunt, ut aeris frigiditas, atq; turbulentia, nimia, & nimia perſpicuitas. Eiuſdem uerò uertiginis, uel ſcotomiæ præcedentes cauſas dicimus plerumq; eſſe Os uentriculi oblæſum iuxta illud Gal. iiii. aphoriſ. com. xvii. ubi ait, fit autem hoc ore uentriculi à malis humoribus morſo. Nam propter neruorum magnitudinem, qui ad ipſum à cerebro ueniunt, hac parte patiente, animæ opera detrimentum patiuntur. Eandem ſententiam habuit Galenus tertio de locis affectis. cap. octauo, ubi ait, oritur uerò interdum cerebeo primario affectu laborante interdum uerò cum oris uentriculi conſenſu. Interdum quippe eius affectionis præcedens cauſa eſt, elatus ſpiritus uaporoſus, atque calidus, per arterias

rias membranæ retiformis aſcendens,atque cerebrum implens,iuxta illud galeni uerbum loco dicto,ubi ait.Etenim aliæ arteriæ his maiores ad cerebri ſuſtentamentum per retiformem uocatam membranam aſcendunt,per quas huiuſmodi affectionem fieri rationi conſentaneum eſt.Elato per ipſas uaporoſo,calidoque ſpiritu, atque implente cerebrum.Vel eius cauſa præcedens à nobi ponetur inæqualis cerebri intemperis, huiuſmodi uaporoſum, calidumque ſpiritum progignens, ut eſt Galeni uerbum tertio de locis affectis capite octauo ubi ait,atque fieri etiam poteſt,ut inæqualis cerebri intemperies huiuſmodi ſpiritum producat, aliquando autem nos dicemus cauſam præcedentem ſcotomiæ ſuæ Excellentiæ eſſe abundantem pituitam caput replentem, iuxta illud Galeni tertio aphoriſmorum commento uigeſimo tertio,ubi ait. Nam & hæc paſſio fit, cum repletur caput pituita. Porrò eius cauſa continens eſt, inæqualis, & Turbulentus, atque inordinatus motus humorum, & ſpiritus, qui in cerebro ſunt. Et hanc decernit Galenus tertio de locis affectis. capite octauo, ubi ait, at qui ubi quis cerebro uertitur inæqualem & turbulentum, & inordinatum motum, tum humorum tum ſpiritus in eo fieri in confeſſo eſt. Nempe ſi numero plures has cauſas reperies à Principe prima tertii, tractatu quinto, capite primo, eas tamen quas diximus ex Galeno Excellentiam patientis inuenies perturbatam. &c.

PROGNOSTICVM.

Porrò cum dicat Galenus primo de ratione uictus acutorum commento tertio. Prænotionem multa afferræ commoda in morborum curationibus, ideo priuſquàm quantam, & qualem patientis ipſius curam habeat morbus, illius prædictiones iungamus.

Primo

Primo dixit Hippocrates tertio aphoriſmorum. XVII. auſtrinæ conſtitutiones uertigines faciunt, quia diſſoluunt corpora, & humectant. Diſſoluunt quippe ſua caliditate, & humectant corpora iam eliquata humiditate hærẽte particulis corporis, & præſertim cerebro, quia dixit Hippocrates capita aggrauant, & auditum obtundunt, & nolo credere Galeno in commento decimo ſeptimo, mordenti Hippocratem quia dixit prius diſſoluũt, cum debuiſſet dicere prius humectant. Puto enim Galenum non fuiſſe recordatum, eius, quod eſt in ſcientia quarti libri metheororum, Ariſt. ubi ait, caliditatem agentiorem eſſe, humiditatem uerò hebetem, & lentam. Quo fit, ut auſtrinæ conſtitutiones ſua caliditate diſſoluente humiditates corporum plus, & prius corpora humectent, quã eædem ſua propria humiditate, & ſic uerum dixit Hippocrates, Quòd auſtrinæ conſtitutiones faciunt uertigines, quia prius ſua caliditate diſſoluunt humiditates corporum, deinde humectant, & non prius humectant corpora, quã diſſoluant humiditates, ut uoluit Galenus. Igitur ſi auſtrinæ conſtitutiones ſunt cauſæ uertiginis, hoc ideo eſt, quoniam diſſoluũt, & humectant corpora, & non quoniam humectant, & diſſoluunt.

Caueat igitur patiens ab auſtrino flatu, & à quolibet ei ſimili calido, uidelicet, & humido, ut à continente nos aere, & ab exercitio diſſoluente, & humectante, & à balneo naturali, uel artificioſo, & ſi enim calidæ fuerit, & ſiccæ naturæ, accidet fortè ipſum imbecilli utraque exiſtente qualitate diſſoluere humiditates corporis, & nõ ſoluere. Quo fiet, ut corpus humectetur, & uertigo conducatur. Ob hoc non laudo balnea de Abbano in comitatu Patauino, non illa de corſena in comitatu Lucano, non illa Sanctæ Mariæ in Romandiola cum ſua debili caliditate diſſoluant, & nõ reſoluant. Suæ tamen Excellentiæ balnea conuenientia erunt balnea Petrioli, & per magis Sancti Philippi exiſten-

tia in comitatu Senenſi, quæ ſuis uigentibus qualitatibus caliditate, uidelicet, & ſiccitate cerebri pituitam diſſoluūt & abſoluunt. Seruato quippe cōuenienti temporis ſpacio, cadentiæ aquæ ab alto ſupra commiſſuram coronalem, & eſt tempus triginta dierum mane, ueſperi duciam per horam capeſcendo.

Secundo dico, & ſi uertigines, & ſcotomiæ per magis ſenibus contingant, ut dixit Hippocrates tertio aphoriſmorum. XXX. Conſiſtentibus tamen plerumque accidere poſſunt propter ſpiritum uaporoſum, qui in partibus cerebri utriuſque ſcilicet ſenis, & conſiſtentis inordinato cietur motu, ſæpius uerò, ut dixit Galenus in commento, accidit ut in uentriculo uitioſis ſuperfluitatibus aceruatis, ad cerebrum feratur exhalatio uaporoſa, Quo fit, ut uertigo in utroque formidoloſa, ſiue ab una ſiue ab altera cauſa exordiatur, quoniam affinis & conſocia eſt comitiali morbo, uerendo, & formidoloſo, iuxta illud Galeni tertio aphoriſmorum commento decimo ſeptimo.

De uertiginibus autem quid dicere oportet, quæ proximæ ſunt morbis comitialibus, & his, quos apoplexias nominant. Et dixit Princeps prima tertii tractatu quinto, capite primo. Et uertigo quidem flegmatica ſimilis eſt epilepſiæ, & in fine. cap. ait, & uertigo quidem frequens, & proprie in decrepitis nuntiat apoplexiam.

Tertio dixit Auicenna prima tertii, tractatu quinto capite primo. Quòd plerumque uertiginis curatio fit contingente cæphalea, hoc quidem accidit, cum ab inſigni caliditate oritur cæphalea, qua nedum pituita, uel ſpiritus uaporoſus, quæ in cerebro ſedent reſoluuntur, uerum & uapor à uentriculi uitio ſurſum eleuatus, ſoluitur.
Sed quoniam cæphalca contumax eſt membro principali; ideo nequaquàm talem peragerem curam..
.& cet.

MORBI

MORBI CVRATIO.

DIxit Galenus in libro experimentorum . capite ultimo. Quòd inſtrumenta, quibus medicus adipiſcitur ſanitatem ſunt tria . Victus ratio , medicinarum potio , & manuum operatio. Et quoniam his omnibus nobilius inſtrumentum eſt uictus ratio, ideo ab eo curam excellentis Doctoris uertiginem,& ſcotomiam patientis exordiar.

Erit quippe principium ab aere propter illud Galeni uerbum nono methodi curatiuæ non longe à fine ubi ait. Ambiens uerò is eſt, ſine quo nec tolli morbus, nec teneri ſanitas poteſt,& primo de tuēda ſanitate non modicam expedit uim Galenus ipſius tuendæ ſanitatis in boni aeris electione.Eligat igitur ſibi aerem non craſſum , & nebuloſum cluſumque , nullum recipiens perflatum , iuxta illud Galeni primo de tuenda ſanitate. Nec qui ob ſtagnum uel flumen uicinum nebuloſus eſt aer, nec editis undique mō tibus,in cauo loco cluſus,nullum recipit perflatum. Suffocans enim , putriſque eſt aer, Proinde locum domus accuratè ſibi conducat,in quo non ſit incluſus aer, perflatus defectum ſuſtinens , dicente Galeno eodem in loco. Similis ei, qui in domibus quibuſdam eſt incluſus , in quibus ob putredinem,& perflatus defectum, plurimus aceruatur ſitus , huiuſmodi enim aer omni plane ætati noxius eſt. Quippe & aer fumo , uel puluere affectus prohibeatur. Cum enim corpus intrat facultatis animalis tranſitum tollit uiarum ſpiritus obſtructione . Aerem quoque humidum ualde fugiat , qui & ſtagni & paludis habitu eſt infectus. Et qui ex cloacis malam ſpirat auram . Et qui ex animalium, & olerum,aut leguminum putredine uitium cōduxit,aut fimo coinquinatur. Suo enim halitu caput grauāt, & animalem ſpiritum offendunt auctore Galeno primo de tuenda ſanitate . Purum itaque aerem ſibi conducat , non quippe aliena luce perlucidum , quoniam inſi-

gnis

gnis lux ſpiritus animales imbecilles reddēdo,eorum ciet motū.Dixit enim Galenus primo de tuenda ſanitate,optimum aerem cenſeo,qui prorſus ſit purus.Porrò ſit aer ſuę Excellentiæ calidus,& ſiccus, calidus quidem, ut pituitam, uel uaporoſum ſpiritum ſoluere ualeat, plus quippe ſiccus, quoniam ægritudo ſemper humida,& confeſtim non ſe exponat Excellentiæ utriuſque qualitatis agentis aeris, cum ad omnia ſequatur uertigo, auctore Auicenna prima tertii, tractatu quinto, capite ſecundo, quippe non ſit aer eius frigidus, quoniam ex capite diſtillationibus totum corpus offendit. auctore Galeno quinto aphoriſmorum commento. XXIIII. Et non admodum calidus ſit propter Galeni uerbum aphoriſmorum quinto commento. XXII. ubi ait. Calor extrinſecus in capitis diſpoſitionibus facit hæc eadem ſcilicet diſtillationes &c. Calidus quippe ſit, quoniam ut dixit Galenus eodem in loco, capitis grauitates ſanat concoquens, atque reſoluens quæcunque moleſtant.

Nempe ſi natura aer calidus, & ſiccus defecerit eo loco, quo ſua Excellentia moram trahit, præſertim ſi tempus hybernum affuerit, leuibus aromatum ſuffitibus utatur. Conſidera quia dixi leuibus ſuffitibus, quoniam à fortibus caput admodum grauatur, auctore Hippocra.quinto aphoriſmorum. XXVIII. Quòd ſi ei nocuum erit,quod ab aromatibus de fumo exit, tunc ſola aromatum præſentia in loco manſionis ſuæ ſit contentus, ut quod de odore ab aromatibus expirat, ſua ui uaſorum obſtructa orificia aperiat,& humorum craſſitudinem extenuet, & omnes frigidas, & humidas diſpoſitiones corporis animalis corrigat teſte Galeno ut ſupra. At aromata ſunt,cinnamomum,gariophyllum,macis, ambra,lignum aloes, moſcus, cortices citrii,arantiæ,maſtix,thus, & ſimilia.

Quippe ſi Excellentia ſua pergratum habuerit ignem potiſſimum hyberno tempore. Sit ex lignis roriſmarini,

iuniperi,& lauri.Porrò ſi ex ligno therebinti,ſeu therebentinam concreante. Vel ex ligno,quod uſitato uocabulo lignum laricis dicitur, ignis accendatur, proficuus admodum hic erit ignis, quoniam ſui natura craſſos,& glutinoſos corporis humores attenuat,atque reſoluit.

Cæterum iuberem Excellentiam ſuam moderato calido caput ſuum munire. Calor enim extrinſecus,& immoderatus admodum ei noxius eſt, & plus frigus, auctore Galeno quinto aphoriſmorum commento. XXII. & uigeſimo quarto.

PANIS.

PAnis electio apud ſuam Excellentiam ſit de tritico, quoniam triticum nedum apud omnes nationes frequentisſime,immo ſumma cum utilitate uſurpatur,aucto re Galeno primo de facultatibus alimentorum.capite ſecũdo, ex triticeis autẽ panibus Excellẽtiæ ſuæ peridoneus eſt ille,qui ex tritici ſimula conditus eſt. Sincerisſimus enim panis eſt, naturalia non grauans,non flatuoſus, neq; deorſum aluum replens. Sitque panis non admodum fermentatus, ſui enim ſuperfluente acida qualitate noxius eſt cerebro, & neruis. Non ſit eius panis ſalitus propter dictum Galeni ſecundo de compo.med.ſ.l. capi. XVIII. ubi ait. Sal moleſtum eſt propter grauedinem, & maxime in capite, & ſit eius panis aniſo uel fœniculo mixtus. Sitque eius panis non admodum coctus ut qui cruda, incoctaque interiora habet, ambuſta, obarida, & cruſtacea exteriora. Dixit enim Galenus primo de potentiis alimentorum capite ſecundo. Is enim deterrimus eſt panis, & uentriculo inimicus, qui in cruſtaceis admodum aduritur, in intimis uerò incoctus relinquitur. Sit eius panis recens duorum dierum, uel trium,non tamen calidus edatur propter dictum Principis ſecundo canone.cap.DLXXIII.ubi ait.Panis enim calidus

calidus non eſt apud naturam receptibilis, ſitim facit, & natat propter ſuam uaporoſam humiditatem, & cerebro nocuam. &c.

VINVM.

QVoniam eſt omnis exceſſus fugiendus, maxime illum fugere expedit, ex quo non corpori modo, uerum etiam animo damnum accedit. Ob quam rem cum Excellentiæ ſuæ corpori, & animo uini potus dannũ ingerat, nedum hauſtum guſtarę ſuaſerim, uerum & omnis uini potionem denegarem. Quippe uino epoto humectante, atque calfaciente noxios affectus corpori ſuo conducet. auctore Galeno primo de tuenda ſanitate, & in libro exortatio ad bonas artes. At cum impleri caput eius ſit inutile, uinum autem halitu caput replet, ut ait Galenus loco dicto. Idcirco uinum illi pernocuum erit. Si quis enim uiderit Galenum tertio de temperaturis. Excellentiæ ſuæ uinum non concedet. Idem quoque dicet, ſi uiderit Principem, prima tertii, tractatu quinto, cap. ſecundo, ubi ait. Scotomiam patiens non tantum iuuatur à uino, quantum à potu aquæ, propterea mihi ſuadeo Excellentiæ ſuæ potum peridoneum eſſe Idromel in quo decocta ſint hyſſopus, & ſaluia quæ calfaciunt, & exiccant, frigidos, & craſſos humores, & facultatem cerebri roborant, auctore Galeno octauo, ſimplicium pharmacorum. cap. CLII.

Vbi tamen Excellentiæ ſuæ conſuetudine, uel inordinata illius appetentia, uel uiolento medicorum irritatu ad uini cogar potionem tribuendam, ſit uinum mediocre in colore, imbecillium uirium, ut caput minimè percutere ualeat, dicente Galeno primo de tuenda ſanitate & quinto de locis affectis, cap. quinto. Nam huiuſmodi uinum, ut uentriculum robuſtum efficit, ita haudquaquàm tentat caput, id quod facere ſolent ea, quæ uehementes uires obti-

nent,dum menti teneatur ipſum maiori in parte mulſa cõmixtum fore decoctionis hyſſopi,& ſaluiæ. &c.

CARNES.

VEtuſtorum itaque pedeſtrium animantium carnes cauere debet.Quæcunque enim terreſtria animalia temporis uetuſtate terrei alimenti naturam ſibi conceſſerunt, non optimi ſanguinis,ſed feculenti,rationali facultati noxii facile procreantia ſunt, ut dixit Galenus tertio de facultatibus alimentorum capite primo . Qualia ſunt cerui, capreoli,arietes,boues, & ueteres caſtrati,& huiuſmodi.Sint igitur eius carnes temperaturæ calidæ,& ſiccæ. Quo fit , ut auiculæ ſylueſtres in arboribus degentes , ac uictum in ſiccis locis trahentes admodum ei conuenientes ſint, ut ficedulæ,turdi,merulæ,ſylueſtres palumbi , frigellæ , & huiuſmodi . Quod ſi domeſticæ aues ad minorẽ ſiccitatem uergant, condimento parentur cum hyſſopo,& ſaluia,chamæpythi, betonica,& lauro,& roremarino.Quales ſunt capones,gallinæ,phaſiani,perdices,domeſtici columbi,hædi,uituli,iuuenes cuniculi,& huiuſmodi longè ſanè fugiat aues omnes in aquis degentes cum ſua humida temperatura ſint Excellentiæ ſuæ noxiæ . Agninam carnem ei nocuam pronuntiamus ob id, quod humidius alimentum , quàm par eſt,progignit, auctore Galeno in libro de cibis boni,& mali ſucci. &c.

PISCES.

CVm apud Galenum ſexto de uſu partium capi. nono compertum ſit omnibus animantibus piſces frigidiores eſſe,namque humido abundantes.Quippe uictus ratio hoc in uertigine,& ſcotomia non admittit.igitur Excellentiæ ſuæ piſces non concedimus,illos maxime,qui in cænoſis,

ſis,& ſordidis aquis ueſcuntur. Porro & qui in paludibus & lacubus capiuntur, excrementitia nanque & mucoſa eſt admodum eorum omnium caro, auctore Galeno tertio alimentorum,capite uigeſimo quarto. fluuialium namque piſcium non adeo ei noxia eſt caro,tantoque minus quanto fluminis aqua rapida, & multiflua eſt,ut ipſius torrentis fluxu piſces fatigentur. Quo fit, ut eorum caro minus excrementitia,atque mucoſa reddatur. Potisſimum uerò eorum piſcium caro,ei parum optima eſt, qui in puro natant mari,maxime cum uentorum difflatu agitatum attollitur,auctore Galeno tertio alimentorum capite uigeſimo quarto,Certè ſi Excellentiæ ſuæ piſces admittamus condimento parentur hyſſopo, ſaluia,& roremarino.Salitos piſces ei non admittimus propter id, quod de ſale dixit Galenus ſecundò de compo.med.s.l.capite. XVIII. &c.

OVA.

QVæ ab animantibus oua naſcuntur à Galeno tertio facultatis alimentorum capite uigeſimo primo,inter hominum alimenta numerantur.Quorum ſummam alitionis laudem gallinarum oua, demum faſianorum obtinuerunt.At cùm albuminis uis frigida ſit, & glutinoſa Excellentiam ſuam incommodat.Solo igitur oui uitello eam uti debere non ambigo, ſintque oua ex eius communi eſu recentia,& non diu aſſeruata propter illud Galeni uerbum tertio alimẽtorum capite uigeſimo primo.Recentium porrò ouorum ad uetera non mediocris eſt differentia.Quippe optima ſunt recentisſima,pesſima,perquandiu aſſeruata. Non ſint eius oua cocta,ſeu dura ob id Galeni uerbum ut ſupra. Cocta ſeu dura oua,difficilis ſunt coctionis, & tardi tranſitus, craſſamque alimoniam corpori exhibent, quæ ſanè cerebro, & neruis noxia ſunt. Nempe eius oua in aqua decocta ſint. Ob id, quòd in feruentibus cineribus, aſſata longè tardioris ſunt meatus, & crasſioris ſucci. Quippe quæ in ſartagine

condimento parantur, longius diſtent à comuni eſu Excellentiæ ſuæ, ob id Galeni uerbum ut ſupra. Quæ uerò in ſartagine àd craſſitiem uſque friguntur oua, deterrimi omnino ſunt alimenti, dum namque coquuntur nidorem, ac fumum edunt, ſuccuſque ex his prognatus non ſolum craſſus, uerum etiam prauus, & excrementitius eſt.

LAC.

LAc numerandum eſſe inter cibos, qui ab animalibus proficiſcuntur, compertum eſt à Galeno libro tertio de potentiis alimentorum. capite decimo quarto. Quòd ſi Excellentiæ ſuæ capiti attendemus. Dubio procul lac ei denegabimus, auctore Hippocrate quinto aphoriſmorum ſexageſimo quarto.

CASEVS.

SErmo eſt Galeni tertio alimentorum cap. XVI. Caſeum ex iniecto lacti coagulo formari. Quippe dum formatur acrimoniam accipit, totamque humiditatem relinquit porrò magis eo inueterato creſcit acrimonia, & is calidior atque urentior redditur, concoctionique contumatior, & deterrimi alimenti procreator, Quam ob rem à tota rei natura excellentiæ ſuæ Caſeum denegamus. &c.

OLERA.

OLera, & fructus, quæ ſunt humidæ temperaturæ, qualia ſunt lactuca, endiuia, beta, ſpinachia, & huiuſmodi & cucurbitæ, & mellones, pepones, cucumeres, quę cum gelidæ, & humidæ ſint conſiſtentiæ, atque larga humiditate omnia affecta, ob hanc rem cum Excellentiæ ſuæ morbi cauſa incrementum ſuſcipiat à gelida, humidaque tempe

ratura

ratura. Non ab re ei fructus huiuſmodi nequaquàm contribuere auderem. Nempe ficus,pira,poma,perſica, armeniaca,ceraſa,pruna,& ſimiles fructus ſunt ei nocui.

Horum enim molles,atque humida conſiſtẽtia, nedum tenuem atque humidam alimoniam corpori afferunt,uerum & flatuoſam,cerebro,& uentriculo nocuam. Porrò poma,& pira feruentibus cineribus cocta, nonnunquàm eſitare poterit,excalfaciens porrò ignis, non ſolum humidum nocuum minuit, uerum & flatuoſum ſpiritum ſenſim,excernit,ſoluitque.

LEGVMINA.

OB id quod legumina,nulla gratia,nullaque iucunditate commendantur, Quippe quæ flatibus uentres admodum implent, auctore Galeno primo de potentiis alimentorum, ea proculdubio Excellentiæ ſuæ cuiuſuis generis paratus fuerint, ingratas eſcas pronuntiabo. De aliis uerò ſex rebus non naturalibus, cum cognouerim Excellentiam ſuam in his doctam, atque expertam ſub ſilentio præteribo. &c.

SECVNDVM CVRATIONIS INSTRVMENTVM.

ALterum inſtrumentum, quod morbi profligandi facultatem appellauit Galenus libro primo de tuenda ſanitate, aggrediar. Nempe quoniam eius morbus diutinus eſt, ut & plerique morbi longi, ob craſſos, lentos, ac frigidos fiet humores. Quo fit,ut non facile concoqui poſſint, ut eſt Galeni uerbum ſecundo aphoriſmorum commento decimo nono. Quippe & in patientibus partibus impacti ſunt,atque agglutinati, ita quod eorũ diſpoſitiones magis præ duris tumoribus, quàm inflammationibus

bus aſſimilantur,ut Galenus eodem ſenſit in loco. Idcirco curationis modus affectionis ſuæ excellentiæ eadem medicari die, ueluti in acutis expedit morbis, nedum irrationalis, uerum & fallax,atque periculoſus, auctore Galeno primo aphoriſmorum commento uigeſimo ſecundo. Quo fit, ut ſenſim huiuſcemodi affectum medicari operepretium ſit. Tum altero die morbi cauſam concoquẽdo, tum concoctum euacuando,ueluti edocuit nos Galenus primo aphoriſmorum commento.XXIIII.

Sanè igitur nullo porrò ductus errore mihi ſuadeo excellentiam ſuam binis medicationibus per anni temporis ſpatium medicari oportere.Vna uernali, altera uerò autũnali tempore initiantibus, Quippe huiuſmodi medicationes præcauentes erunt morbum,qui futurus eſt, atque curantes illum, qui iam imminet, ut præcauendi,atque curãdi morbum eodem amplectamur ſcopo.

Initio igitur ueris pereuntè excellentiam ſuam medicamentis purgari iubeo. Porrò purgationibus peridoneum eſt id tempus,auctore Gal. in libro de ſanguinis miſſione. Verum quoniam Hippocrates nos edocuit ſecundo aphoriſmorum nono,& Galenus primo aphoriſmorum commento uigeſimo quarto. Vbi uidelicet quis corpora purgare uoluerit oportet fluida facere, mihi nempe aſſuetudo eſt fluidum in primis corpus efficere medicamento à latioribus uiis eiiciente, ne à prauis eorum flatibus principalium uires offendantur, atque hæ imbecilliores effectæ, proximam morbi cauſam conſocio adhuc calore concoquere nequeant.

Primum igitur deglutiat in medio noctis quod ſequitur. Diaſenæ lenitiui. Vnc.I. ſpecierum ieræ ſimpl. Galeni. drach.iii.ex his conducatur bolus.

Altero nempe ſuccedente die priuſquàm ſolis ortus ad nos pertingat, antidotum ſequentem admodum commodam ſeptem non intermittentibus diebus potatam, ac tepidam

pidam capiat. Craſſos namque, atque glutinoſos cerebri, ac uentriculi humores concoquit, attenuat, atque diſrumpit. Quippe & eorum ſpiritus uaporoſos conſumit, & ſoluit.

Recip. Radicum acori, ſtæcados, ſatureiæ, maioranæ, ſaluiæ, hyſſopi, camedreos, camepiteos, calamenti, mentaſtri, origani de quolibet quantum manus capere poteſt, ex his ſufficienter coctis cum melle fiat ſyrupus. Demum cinnamomi, gariophyllorum, cubebarum, nucis myriſticæ, ſem. pæoniæ, piperis nigri, piperis longi, calami aromatici, croci, zinziberis, ſpicæ aniſorum de quolibet. drach. I. accipito, & in ſubtilem puluerem conducito ac in panno lineo raro ligato, & cum ſyrupo ebulito, & colato, & eo ſic utere, ſyrupi dicti. Vnc. I. & med. accipito, ſyrupi roſati. Vnc. med. cum aquis ſaluiæ, betonicæ, boraginis pondere. Vnc. I. pro qualibet permiſceto, & bibito.

Et ubi aluus Excellentiæ ſuæ adſtricta foret, his porrò diebus, quibus morbi cauſa concoquitur quotidiano utatur clyſteri, ex his confecto.

Aniſum, duacum, chamæmelum, pulegium, centauream minorem, mercurialem, ſiclam accipito pondere unius pugilli pro qualibet, agaricum ligatum in panno lineo. drac. ii. his iungito, ebulitoque. Et de ebulitione. Vnc. X. ſumito cui addito olei rutæ. Vnc. iii. mellis roſati. Vnc. ii. luteū oui unum. de ſale, & zuccharo quoad expedit, & clyſtere imponatur.

Cæterum octaua die. Sanè indiciis concoctionis apparentibus priuſquàm nox è tenebris ad lucem uertatur tali medicamento purgetur.

Acori, ſtæcados arabici, paſſularum, radicum fœniculi, de quolibet. Vnc. med. hyſſopi, centaureæ minoris, aniſorum, carui. ana. drac. iii. colocynthidos. drac. ii. agarici. drac. iii. Turbith. drach. ii. Scamoneæ. ſcropul. iii. & med. zinziberis, piperis longi, ſpicæ. ana. drach. med. Reubarbari. drach.

iii. & cum melle quo ad ſufficit arte ellectuarium conducatur.

Medicamenti purgatio:

Vtere ſic. Diacatholiconis. Vnc. mediá, ellectuarii dicti drach. ii. ellectuarii roſati meſue. drach. I. & med. ſpecierum ieræ, ſimplicis. drach. I. & med. Et in aqua coctionis hyſſopi, ſaluiæ, roſarum omnia eliquato, & potui dato. Eo porrò die regatur madidi panis in pullæ iuſculo, decoctionis hyſſopi, modicumq́; pullæ carnis eſitãdo mane & ueſperi.

Cæterum quattuor peractis diebus poſt alui purgationem, iubeo excellentiam ſuam aſſentiri ſectioni uenarum poſt aures, his appoſitis quattuor hyrudinibus ob illud uerbum Galeni tertio de locis affectis. capite octauo ubi ait. Quam ob rem nonnulli horum ab arteriarum ſectione præſidium petierunt, arterias pone aures & c. Porrò cũ non tutum ſit arterias ſecare, dixi ego uenas, & in hoc dixit Princeps prima tertii, tractatu quinto, capite tertio. Eſt enim optima in curatione omnium ſpecierum uertiginis materialium, & quandoque inuritur, & proprie in ea, cuius cauſa eſt aſcenſio uaporum ex corpore, in quacunq; uia eleuantur.

Eodem uerò uernali tempore iuberem Excellentiam ſuam bis in menſe purgari ſequenti purgatorio.

Ellectuarii deſcripti. drachm. ii. & med. ieræ ſimpl. Vnci med. pro uice una fiat bolus.

Ob errata, quæ in uictus ratione contingunt, non modo morbi fiunt, uerum & à temporibus, quorum naturæ atque mutationes morborum naturis affines ſunt, ut dixit Galenus tertio aphoriſmorum, commento uigeſimo tertio. Non ab re autumno procedente, Excellentiam ſuam rurſus purgatoriis uti medicamentis, ut ab initio curationis expoſui, facile iuberem. Quam ob rem cum autumni tempus ad nos aderit eam ſeptenis inſcriptis ſorbitionibus haudquaquàm intermittente die, priuſquàm ſol nobis eluceſcat uti uellem.

Syrupi

Syrupi iam dicti Vnc.I. & med. Oximellitis, mellis roſati col. ana. Vnc. med. quibus permiſceto aquæ betonicæ, mentæ, boraginis, ana. Vnc.I.

Cæterum cum coctionis indicia apparuerint ſic purgato ellectuarii ante ſcripti. drach. ii. ællectuarii ſucci roſarum drach. I. diacatholiconis. Vnc. med. diaſenæ lenitiui. drach. ii. accipito, & cum aqua coctionis ſaluiæ, hyſſopi, betonicæ, & maioranæ, potum conficito, & dato.

Hyberno namque tempore procedente, quod experientia frequentius didici, ita excellentiæ ſuæ ſalutare præſidiū eſſe non ambigo, uidelicet, ſi octo dierum temporis interuallo terebintinam ſemel atque iterum non impleto uentriculo excellentia ſua capiat. Quippe aſſumptionis menſura quattuor ſit drachmarum. Vidi hoc à Galeno libro quinto de tuenda ſanitate, ubi ait, ſimiliter & terebinti reſina, ſumitur autem aliquando nucis ponticæ magnitudine, aliquando duarum, triumue; quippe non modo aluum ſoluere citra noxam poteſt, ſed etiam uiſcera omnia iecur, lienem, renes, pulmonemque abſtergere.

At mihi familiare remedium, & expertum in uertigine & ſcotomia, & in præcauendo à caſu in epilepſiam, & apoplexiam eſt, ſi quolibet mane patiens utatur aqua, quam modo deſcribam.

Radicum acori lib. ii. pæoniæ, lib. med. galangæ, zedoarii. ana. Vnc.I. & med. chamæpythios, centaureæ minoris, ſaluiæ domeſticæ, maioranæ, ſtæcados betonicæ, roriſmarini, pulegii, calamenti, polipodii, polii, folii, ana. Manip.I. roſarum rubearum, granorum mirthi ana. Manipul. med. Omnia hæc craſſo modo terantur, atque in lib. ducentum uini albi odoriferi infundatur, ſpacio temporis trium dierum, demum uinum coletur, uiolenta, & forti facta expreſſione. Cæterum uinum in alembico uitreo ponatur, & diſtilletur aqua, cui adde nucis myriſticæ, macis, gariophyllorum, cinnamomi, ana. Vnc. I. & med. craſſo modo

diſruptorum, trahant quippe moram per diem natura-
lem demum rurſus per alembicum diſtilla aquam, & ter-
tio & quarto, & quinto, uſque ad nonam diſtillationem
eandem diſtillabis aquam, nona diſtillatione peracta, rema
nenti aquæ adde foliorum auri numero .100. foliorum
argenti numero. L. omnium fragmentorum ana.drach.ii.
margaritarum.Vnc.med.omnia terenda in ſubtilisſimum
conduces puluerem, & iterato uicibus duabus eandem di-
ſtillabis aquam, ultimo uerò diſtillatam aquam, cum mo-
ſco, & ambra aromatizabis, & ſic diuinum elixir uitæ ex
mei officina habebis, cui uolo excellentiam ſuam tantam
adhibere fidem, ut omnino eo ſanari debeat, & à futuro
longe deteriore lapſu prohiberi.

Modus uſus eliſir uitæ eſt, mane priuſquã tribus horis
uentrem impleat cum modica, immo modicisſima aqua
illa diluat ſibi frontem, & nares, & colli ſpinam, demum bi
bat infraſcriptum potum. Aquæ ſaluiæ, aquæ endiuiæ ana.
Vnc.med. Eliſir uitæ guttas quinque accipito, miſceto, &
bibito. &c.

INSTRVMENTVM CVRATIONIS TERTIVM.

NEminem ambigere uellem opus illud, quod urendo
manu poſita à nobis efficitur, poſtremum medicinæ
Priſci appellitant. Porrò igitur ſi his, quæ in uictus ratione
præcedenti ſermone ſcripta ſunt, nullum Excellentia ſua
præſidium concapeſcat, minuſque his medicamentorum
potionibus indubitato iubeo. Duas uel alteram earum par
ticulas urere, peridoneum fore, quippe ſit prima, uel poſt
aures ut ex Galeni uerbis colligi poteſt tertio de locis affe-
ctis capite octauo, & à principe prima tertii, tactatu quin-
to, capite tertio. Vel circa primam, uel ſecundam colli uer-
tebram ubi collum cranio iungitur, altera uero in qua be-
ne

ne expertus ſum, & optimum iuuamentum reperii, eſt, ſi deorſum in ambobus cruribus in ſylueſtri parte à genu ſane diſtanter, ſpatio digitorum quinque inter duos muſculos cauterium conducatur. Nempe ii humores, qui corporis uiſcera occupant, & partes neruoſas aggrauant ad exteriora conducuntur, & deriuantur, euacuanturque. Igitur intrepida fronte Hortor, admoneoque excellentiam ſuam huiuſmodi medicamento fatigari debere, ob eius utilitates, atque laudes, quas ei Galenus ſexto Epidimiarum, & Auicenna quarta primi conceſſere, at quia à doctis ſuæ excellentiæ medicis, tot, & tanta morbi præſidia oblata ſunt, tum ad morbi exordium, tum ad eius proceſſum, non abre erit, leui quippe præcedente purgatione, quæ de cauterio diximus, nunc temporis exercere. His porrò peractis cauteriis, conſulo excellentiam ſuam tribus ſequentibus antidotis uti debere.

Primum ter in menſe, cum uult dormire ſumpta cæna ſinguliat has pilulas. Recip. pilularum ſine quibus ſcrop. ii. pilularum aurearum nicolai. ſcro. i. confice pilulas quinque cum melle roſato.

Secundum quolibet ueſperi cum uult cubare deuoret ſequentem bolum. Recip. conſeruæ ſtæcados, conſeruæ ſaluiæ, zucchari roſati ana. drach. ii. ex his fiat bolus.

Tertium quolibet die prope diluculum accipiat ſequentem bolum. Recip. Mitridati optimi ſcrop. i. ſpecierum pliris. drach. med. zucchari roſati, drach. ii. miſce. Et uolui dixiſſe hæc.

Ego Benedictus Victorius Fauentinus, Ad laudem Dei, & ad ſanitatem inducendam tuendamque ſuæ excellentiæ, quam admodum diligo. & cet. Patauii.

FINIS.

AD VERTIGINEM

Pro quadam nobili matrona germana.

Conſilium IX.

NObilis, ac Generoſa Matrona quædam Germana ætatis annorum quadraginta nouem temperaturæ, ut aiunt, potius ad frigidum, & humidum uergentis; & epatis calidi non inſigni caliditate,ſed imbecilli,& remiſſa,ut alias a` calore quodam febrili correpta,naturalis epatis caliditas fuit abolita,ob quam rem uiguit temperatura frigida epatis,& apparuerunt indicia futuræ Hydropiſis,& præſertim tumor pedum; & dixit Galenus ſecundo prædictionum libro omnem Hydropiſis ſpeciem à tumore pedum ortum habere.

Cerebrum uerò humidum quippè, & minus calidum habet.Indicat autem hoc a` capite deſtillatio quo fere continue Nobilis Matrona corripitur. Eſt & uentriculi uitiati in facultate eius naturali concoctrice, ob conſenſum a` capite ei contribuente ſuperfluã humiditatẽ,dicente Galeno tertio de locis affectis, capite ſeptimo, cerebrum ſui nocumentum propter neruum deſcendẽtem uentriculo comunicari, & contra.

Et certè horum dictæ temperaturæ iungitur in hac muliere in ſignis ipſius matricis gradus humiditatis, indicat autem iſtud, quoniam cum morbo ſuo corripitur abundans humiditas ab eius utero, excernitur. Quo fit,ut ueritatis teſtimonium ipſa de ſe perhibeat, affirmans omnem ſui morbum a` frigido contingere, ob quod credidit & ipſa temperaturam ſui in frigidum uergere.

Patitur inquam Generoſa hæc Domina uertiginis frequentem occurſum,in quem inopinato cadit, percipiẽſq;

ad

ad cerebrum aliquid confluere, eo tempore, quo uertigine corripitur, neque tunc abſoluitur ab excitato murmure capitis, cui tanta illi & capitis, & totius iungitur imbecillitas corporis, ut nedum progreſſus illi prohibeatur, uerum & illi uidetur uix caput ſuum ferre poſſe. Cum tunc temporis omnia extra inſpecta illi uideantur in girum uerti, & cerebrum ſupra ſe ipſum circumuolui exiſtimet. quo fit, ut perinde illi accidat, & appareat, ac ſi curru ueheretur, & in aquis nataret. Et eo quidem tempore, quo uertigine laborat, illi connaſcitur nauſea, & inſignis euomendi cupiditas. Maximè autem uertigo eam inuadit tempore quo ex ſomno expergiſcitur & in lecto ſe uertit, & plerunque ante cibum, & poſt, & plerumque tempore quo cibum deuorat, ea infeſtatur uertigine.

Nempe hanc affectionem, qua magnifica hæc Domina tenetur, recto iudicio uertiginem diximus; cum ſymptomata dicta ſequentia ſint uertiginem, auctore Galeno tertio de locis affectis, capite octauo, & Auicenna prima tertii, tractatu quinto, capite primo. Quippe ſcrutari oportet, ut curationis modus recto tramite perficiatur, ſi huius Magnificæ Dominæ uertiginis cauſa à nobis penſitetur ſore cerebrum per ſui naturam, an uero per conſenſum ab aliqua corporis particula ipſi cerebro conſentiente, & cauſam, & uitium uertiginis. Vnde dico quod indicia, quibus ſignificatur uertigo per cerebri naturam, ſunt, aurium ſonitus, capitis grauitas, & dolor, præſertim anterioris cerebri; & oculi obtenebreſcunt, & lumen efficiunt ueluti res admodum ſibi nocua, à lumine enim ſplendente ſpiritus animales commouentur, & debiles fiunt, qui ſic facti imbecilles, motu recto nequeunt moueri, ſed in girum uertuntur; uirtus quoque animalis motiua non firma in inſtrumento, quod eſt ſpiritus animalis, nequiens corpus gubernare, ipſum relinquit, & confeſtim cadit. Et hæc indicia dixit Galenus tertio, de locis affectis, capite octauo, &

tertio aphoriſmorum commento decimo ſeptimo, & uigeſimo tertio, & Princeps loco dicto, & his ſuperaddit Galenus olfactus, atque cuiuſcunque ſenſus inde prodeuntis oblæſionem, uolens eos ſenſus, ut puto, ſignificare, qui à capite initium ſumunt, & certè, cum ita frequenti uertigine Magnifica hæc Domina teneatur, crediderim uniuerſa hæc indicia nobilitatem ſuam aſſociare, ob quæ facile dicerem, eam uertigine turbari per cerebri naturam, ſeu eſſentiam, ſed hoc certè aſſerere non audeo, quoniam in delata mihi introductione, tam nuda, neque omnium, neque aliquorum de his indiciis mihi conſcriptum eſt. Ob quam rem lata mente aſſeuero, propter id, de quo informatio me certiorem fecit, huius Magnificæ Dominæ uertiginem ex conſenſu aliquarum partium ſui corporis, originem habuiſſe. Primum quidem ab ore uentriculi uitiato. Indicat autem hoc, prouentus faſtidii, & ſatietatis nauſeatiuæ tempore quo à uertigine corripitur. Et hoc dixit Galenus quarto aphoriſmorum commento decimo ſeptimo. Ait enim, fit autem hoc, uidelicet, uertigo ore uentriculi à malis humoribus morſo, nam propter neruorum magnitudinem, qui ad ipſum à cerebro ueniunt, hac parte patiente animę opera detrimentum patiuntur, & hanc ſententiam dixit Galenns tertio de locis affectis, capite octauo, ubi ait, oritur uerò interdum cerebro primogenio affectu laborante, interdum uerò cum ori uentriculi conſentit. Secundo non ab re dicerem per conſenſum ab utero uertiginem hanc concreari poſſe, cum Nobilis hæc Domina, magna uteri humiditate teneatur, à qua inde uapores turbidi eleuantur ad cerebrum, qui permiſcentur ſpiritibus animalibus, & ipſos commouent, & debilitant, & in nigrũ uertunt. Certè tamen opinor ex his quæ modo diximus Magnificam hanc Dominam uertiginem pati per ipſius cerebri naturam, & per conſenſum duorum inferiorũ membrorum, uidelicet, uentriculi, & uteri, à quibus ſu-

mi eleuati ad cerebrum, ſi non origine uertiginem progignunt, eam tamen ad minus fouent.

Vbi uero in latiore, & clariore uertiginis cura, præcedentes, & continentes cauſas coniectari uoluerimus, ut per earum abolitionem morbus tollatur. Certè diceremplures eſſe præcedentes cauſas affectionis ſuæ nobilitatis. Vna quippe eſt, os uentriculi oblæſum à malis humoribus ipſum mordentibus (ut iam diximus cum Galeno). Et hac ratione mulier nauſea in uertigine corripitur. Altera eſt, elatus ſpiritus uaporoſus, atque calidus per arterias membranæ retiformis aſcendens, atque cerebrum implens, & hoc dixit Galenus tertio de locis affectis, capite octauo, ubi ait, etenim aliæ arteriæ his maiores ad cerebri ſuſtentamentum per retiformem, uocatam membranam, aſcendunt, per quas huiuſmodi affectionem fieri rationi conſentaneum eſt, elato per ipſas uaporoſo, calidoque ſpiritu, atque implente cerebrum. Altera quidem præcedens cauſa à nobis ponetur, inæqualis cerebri intemperies huiuſmodi, uaporoſum, calidumque ſpiritum progignens. Et hanc uoluit Galenus cum dixit eodem loco, atque fieri etiam poteſt, ut inæqualis cerebri intemperies huiuſmodi ſpiritum producat, & certius dicemus ſuæ affectionis alteram eſſe cauſam præcedentem, abundantem pituitam caput replentem, & hanc uoluit Galenus tertio aphoriſmorum, commento uigeſimo tertio, ubi ait. Nam & hæc paſſio fit, cum repletur caput pituita. Continens uerò cauſa uertiginis huius Magnificæ Dominæ, eſt inæqualis, & turbulentus, atque inordinatus motus humorum, & ſpiritus, quæ in cerebro ſunt, & hanc dixit Galenus eodem loco, ubi ait, at qui ubi quis cerebro uertitur, inæqualem, & turbulentum, & inordinatum motum, tum humorum, tum ſpirituum in eo fieri in confeſſo eſt.

PROGNOSTICA IN VERTIGINE.

QVoniam morbi prænotio,non pauca affert commoda in morbi cura, ut dixit Galenus primo de ratione uictus acutorum cõmento tertio.Ideo prædicam primo.Generoſam hanc Dominam omni diligentia,& ſollicitudine uti debere,ne ad ſenectutis ætatem cum hac affectione decurrat,dixit enim Hippocrates tertio aphoriſmorũ trigeſimo uertigines per magis ſenibus cõtingere,quoniam imbecillitate ætatis eorum cerebrum pituita impletur,quam imbecillis cerebri facultas diſſoluere non poteſt, & etiam in cerebri partibus ipſius ſenis ſpiritus uaporoſus ad generari poteſt, ex uitioſis ſuperfluitatibus in ipſis exiſtentibus, à quo ſpiritui animali permixto,ipſum commouet,& in girum uertit, ideo uidetur uertiginem ſequi naturam ætatis ſenilis,'& quoniam illius naturæ permutatio eſt impoſſibilis. Igitur & ipſius uertiginis in ſene curatio eſt impoſſibilis.

Secundo prædico Nobilem hanc Dominam præceptis medicorum ſalutaribus exquiſitè obtemperare debere. Medicumque ſollicitum,ſolertem,& prudentem eſſe debere, in curatione uertiginis,ne cum ea patiens in ætate uigoris diu permaneat,& minus ab ea ætate ad ſenium cum ipſa perueniat,in utraque enim ætate ſimilis eſt uertigo epilepſiæ, & apoplexiæ. Dicente Galeno tertio aphoriſmorũ, commento decimo ſeptimo, de uertiginibus autem quid dicere oportet,quæ proximè ſunt morbis comitialibus, & his quas apoplexias nominant. Et dixit Auicenna prima tertii, tractatu quinto, capite primo. Et uertigo quidem phlegmatica ſimilis eſt epilepſiæ, & in fine cap.ait.Et uertigo quidem frequens,& proprie in decrepitis nuntiat apoplexiam. & cet.

CVRA VERTIGINIS.

CVrationem uertiginis huius Generoſæ tribus perficiam inſtrumentis, ueluti dictum eſt à Galeno in libro

bro experimẽtorum ad finem,& à Principe quarta primi, ad principium, uidelicet, uictus ratione,medicinarũ exhibitione,& manuum operatione.

In uictus ratione Primo aerem ſuæ nobilitati moderemus, cum dixerit Galenus in de tuenda ſanitate.Ambiens is eſt, ſine quo neque ſanitas teneri poteſt, neque morbus propelli, & nono methodi curatiuæ,idem dixit, uerſus finem. &c.

AER.

SIt enim eius Aer non craſſus, non nebuloſus, non cluſus, nullum quidem recipiens perflatum, hic enim deterrimus eſt aer nobilitati ſuæ,cum ab eo certe ſpiritus uaporoſus,qui proxima eſt cauſa uertiginis,foueatur,de quo aere loquens Galenus primo de tuenda ſanitate dixit. Is enim ſuffocans,& putris eſt aer,nec ſit aer, qui fumoſus ſit ob ſtagnum uel flumen uicinum, nec aer ſit,qui editis undique montibus in cauo loco cluſus nullum recipiat perflatum, ſed ſit aer purus,& perlucidus non aliena luce quoniam inſignis lux ſpiritus animales imbecilles reddendo eorum ciet motum, Et hoc eſt, quòd dixit Galenus primo de tuenda ſanitate, ubi ait, optimum aerem cenſeo, qui prorſus ſit purus.Proinde locum domus accuratè ſibi conducat,in quo non ſit incluſus aer,perflatus defectum ſubſtinens, ut neque ad ipſum uapor rei putridæ perueniat. Sit itaque nobilitatis ſuæ aer calidus,& ſiccus,calidus quippe, ut pituitam,uel uaporoſum ſpiritum diſſoluere ualeat,ſiccus autem, quoniam ægritudo eſt humida. Iubeo nempe D. ſuæ ne utriuſque qualitatis actiuæ aeris excellentiæ ſe ſe exponat,cum tales uertiginem progignant,ut dixit Auicẽna prima tertii, tractatu quinto, capite ſecundo.Non ſit illius aer frigidus, quoniam ex capite diſtillationibus totũ corpus offendit, ſuaq; frigiditate pituitam in capite compingit, & non ſit admodum calidus, quoniam ægritudines capitis conducit, ut dixit Galenus quinto aphoriſmo-

rum, commento uigeſimo ſecundo, & uigeſimo quarto. Vbi uerò deficeret aer natura calidus, eo in loco, quo Nobilitas ſua moram trahit, præſertim hyberno tempore, leuibus aromatum ſuffitibus utatur, à fortibus enim caput admodum grauatur, ut dixit Hippocrates quinto aphoriſmorum, uigeſimo octauo. Vbi autem quod ab aromatibus de fumo exit, ei nocuum eſſet, tunc ſola aromatum præſentia in loco manſionis ſuæ ſit contentus, ut quod de odore ab aromatibus expirat, ſua ui uaſorum obſerata orificia aperiat, & humorum craſsitudinem extenuet, & omnes frigidas, & humidas diſpoſitiones corporis animalis corrigat, ut dixit Galenus eodem in loco, aromata ſunt, cinnamomum, gariophyllum, macis, maſtix, ambra, lignū aloes, nux muſcata, muſcus, cortices citrii, arantiæ, & ſimilia. At ſi nobilitas ſua pergratum habuerit ignem potiſſimum hyberno tempore, ſit ex lignis roriſmarini, iuniperi, & lauri, & ſi ex lignis terebinthi, uel ex ligno, quod uſitato uocabulo, lignū laricis dicitur, ignis accendatur, proficuus admodum hic erit ignis, ſui enim natura craſſos, & glutinoſos corporis humores attenuat, atque diſſoluit. Iuberemque Dominationem ſuam caput ſuum moderato calido munire, calor enim extrinſecus, & immoderatus admodum ei noxius eſt, & plus frigus, ut diximus, ex Galeno quinto aphoriſmorum, commento uigeſimo ſecundo, & uigeſimo quarto.

PANIS.

PAnis electio apud ſuam nobilitatem ſit de tritico, & ex triticeis ſibi peridoneus eſt ille, qui ex tritici ſimula conditus eſt. Sinceriſsimus enim panis eſt, ut dixit Galenus primo de potentiis alimentorum capite ſecundo, non enim naturalia grauitat, non inflat, neque deorſum aluum replet, & non ſit panis eius admodū fermentatus, ſui enim

ſuperflua acetoſitate noxius eſt cerebro, & neruis. Non ſit eius panis ſalitus, quoniam ſal moleſtum eſt propter grauedinem, & maximè in capite, ut dixit Galenus ſecundo de compo. med. s. l. capite. XVIII. Sitque eius panis non admodum coctus, ut qui cruda, incoctaque interiora habet, ambuſta, obarida, & cruſtacea exteriora, is enim panis contumax eſt, & ſit eius panis recens duorum, uel trium dierum, & calidus non edatur, quoniam apud naturam non eſt receptibilis, ſitim facit, & natat propter ſuam uaporoſam humiditatem, ut dixit Auicenna ſecundo canone, capite. DLXXIII. &c.

VINVM.

CONſulerem cum omnis exceſſus uiolentiam inferés, & animo, & corpori fugiendus ſit, magnificam hanc Dominam neqnaquàm uinum potare. Primo quoniam impleri caput ei admodum eſt inutile. Vinũ autem halitu caput replet, ut in libro exhortatio ad bonas artes, & primo de tuenda ſanitate dixit Galenus: ſecundo propter dictum Auicennæ prima tertii, tractatu quinto, capite ſecundo, ubi ait. Scotomiam patiens, non tantum iuuatur à uino, quantum à potu aquæ. Laudo igitur potum admodum idoneum nobilitati ſuæ fore Idromelitem, decoctionis, hyſſopi, & ſaluiæ, & coriandrorum, frigidos enim, & craſſos humores extenuat incidit, & diſſoluit, & cerebri facultatem roborat, auctore Galeno octauo de potentiis ſimplicium medicinarum, capite. CLII. Quòd ſi nobilitas ſua inordinato illius appetitu, uel uiolento fæminarum irritatu ad uini potionem cogatur, ſit uinum eius mediocris coloris, & facultatis imbecillis, ut minimè caput ualeat percutere. Dixit enim Galenus primo de tuenda ſanitate, & quinto de locis affectis, capite quinto. Tale uinum nedum uentriculum robuſtum efficere, uerum nequaquã tentare caput, dũ recordetur patiens, ipſum maiori in

parte

parte dilutum fore mulſa decoctionis hyſſopi, & ſaluiæ.

CARNES.

CArnes nobilitati ſuæ conuenientes, ſint carnes laudabilis nutrimenti, uergentes tum ad temperaturam calidam, & ſiccam, ueluti ſunt auiculæ ſylueſtres, in arboribus degentes, ac uictum in ſiccis locis trahentes, ut ficedulæ, turdi, merulæ, palumbi ſylueſtres, frigellæ. Quòd ſi aues ad minorem ſiccitatem uergant, condimēto parentur hyſſopo, ſaluia, rore marino, chamæpythi, betonica, maiorana, & huiuſmodi, ut ſunt capones, pulli gallinarum, faſiani, perdices, domeſtici columbi, & animalium etiam quadrupedum, ut uituli, cuniculi iuuenes, hædi & huiuſmodi, & certè fugiat aues omnes in aquis degentes, ut ſunt anſeres, anates, & ſimiles. Agninam carnem fugiat, ſui enim larga humiditate nocua eſt illi, Carnes quoque magnorum, & uetuſtorum quadrupedum ſunt ei contumaces, ut bubula, ſuilla, ceruina & ueteris caſtrati, & omnes ſalitæ carnes minus ei conueniunt, & elixæ magis idoneæ, quàm toſtæ, & in ſartagine frixæ. &c.

PISCES.

PIſces à tota ſui natura noxii ſunt, quoniam ſui abundante humiditate pituitam progignunt, quæ eſt immediata cauſa uertiginis per eſſentiam, ut dixit Galenus tertio rphoriſmorum, commento uigeſimo tertio, & præſertim piſces, qui in cænoſis, ſordidiſque aquis ueſcuntur, & qui in paludibus ſimiliter, & aquis ſtantibus degunt: excrementitia enim, & mucoſa eſt eorum caro, auctore Galeno tertio alimentorum, capite uigeſimo quarto, at piſces, qui in limpidis aquis ueſcuntur, & præſertim torrentibus, & ſaxoſis fluminibus, & qui de libero ſunt mari, & nō ualde grandes, ſunt ei minus nocui, ſed in ſartagine frixi, ſunt admodum contumaces, in aquis uerò elixi ſunt minus mali, præſertim ſi cum hyſſopo, & ſaluia condiantur. & cet.

OVA.

OVa ſi recentia ſunt,& gallinarum ſunt ei idonea,quæ autem diu aſſeruantur,mala. Cocta uero,& dura perniciosa ſunt, quoniam cum hoc, quod ſunt difficilis permeationis, mali ſucci ſunt progignentia. Sint autem tremula, & in aquis cocta, in patellis uero frixa admodum ſunt contumacia, ſibi enim fumum edunt, ſuccuſque ex his prognatus,non ſolum craſſus, uerum etiam prauus, & excrementitius eſt, ut dixit Galenus tertio alimentorum, capite uigeſimo primo.

LACTICINIA,

SI capiti huius Magnificæ Dominæ attendamus, cũ quæ ab animantium uberibus lacticinia proficiſcuntur, capiti admodum contumacia ſint, auctore Hippocrate quinto aphoriſmorum, ſexageſimo quarto. Ideo omnia lacticinia ei denegamus, cum à tota ſui natura illius caput lædere ualeant. &c.

FRVCTVS, ET OLERA.

QVæcunque olera,& fructus frigidæ, & humidæ temperaturæ. Qualia ſunt lactuca,endiuia, beta, ſpinachia,& huiuſmodi,& cucurbitæ,melones,pepones, cucumeres, ob gelidam, & humidam ſui conſiſtentiam, atque larga humiditate affecta, ſunt admodum ei pertinacia. Nempe & ficus, pira,poma, perſica, armeniaca, ceraſa,pruna,& ſimiles fructus,ſunt ei nocui,horum enim mollis,atque humida conſiſtentia, nedum tenuem, atque humidam alimoniam corpori afferunt, uerum & flatuoſam cerebro,& uentriculo nocuam,poma uerò, & pira feruentibus cineribus cocta,nonnunquàm eſitare poterit,excalfaciens enim ignis,nedum humidum minuit, uerum & flatuoſum ſpiritum ſenſim excernit,ſoluitque.

LEGVMINA.

CVm efflatibus uentres admodum impleant omnia legumina,quæ nulla gratia,nullaque iucunditate commendantur,

mendantur, auctore Galeno primo de potentiis alimentorum, ea cuiuſuis generis paratus fuerint, ipſi ingratas eſcas pronunciamus.

Nempe non impleatur cibo, & potu plus, quam oportet, ſed in uictus ratione, attenuante utatur diæta, minuſq; in comuni ſui eſu ueſperi abundanter comedat; ne noctu humiditate uaporoſa à plurimo cibo eleuata, caput admodum impleatur, contentus ſit igitur ueſperi pauco cibo atque potu.

Caueat à ſomno multo, & præſertim diurno, neque forti utatur exercitio, quoniam uires laxat, & in cerebro humiditates eliquat, à quibus inde commotis uapores eleuantur ad ſpiritus animales; qui commoti uertiginem efficiunt

Gaudeat Magnifica hæc Domina, & lætetur, ne animæ paſſiones exterminent eius corpus, & eam, quam habuit à natura conſiſtentiam permutent, ut dixit Galenus tertio artis medicæ. &c.

SECVNDVM CVRATIONIS INSTRVMENTVM.

NEmpe quoniam huius Magnificæ Dominæ. Morbus diuturnus eſt, dicam ſicut & plerique morbi longi à craſſis, lentis ac frigidis humoribus originem habent, ita & hic, quo ipſa tenetur morbus, ſunt & ipſi humores ſui natura, & qualitate non facile concoctiles, ut dixit Galenus ſecundo aphoriſmorum, commento decimo nono. Idcirco curationis modus nobilitatis ſuæ non erit ſicut morborum acutorum, qui nedum irrationalis, uerum & fallax, atque periculoſus exiſtit in diutino morbo.

Igitur operepretium eſt, morbum hunc ſenſim medicari, altera quidem die morbi cauſam concoquendo, altera uero coctum euacuando, ut edocuit nos Galenus primo aphoriſmorum commento uigeſimo quarto. Mihi igitur ſuadeo nobilitatem ſuam binis per anni temporis ſpaciũ

medicationibus medicari oportere, una uernali altera ue-rò autumnali tempore ipſis initiantibus.

Initio igitur ueris aduentante, iubeo nobilitatem ſuam ſequentibus medicamentis purgari, idoneum enim tempus purgationibus eſt uernale, auctore Galeno in libro de ſanguinis miſſione.

Primum igitur deglutiat in medio noctis ſequentem bolum. Recip. diaſenæ lenitiui. Vnc. I. ſpecierum ieræ ſimp. Galeni. drach. iii. miſce, & fiat bolus.

Altero uerò ſuccedente die prope diluculum, diebus ſeptem continuis ſequentem capiat ſyrupum.

Reci. radicum acori, ſtæcados, ſaturciæ, maioranæ, ſaluiæ, hyſſopi, camedryos, camepityos, calamintes, mentaſtri. origani. ana. Man. I. ipſis ſufficienter coctis cum melle fiat ſyrupus, cui adde cinnamomi, gariophyllorum, cubebarum, nucis myriſticæ ſem. pæoniæ, piperis nigri, piperis longi, calami aromatici, croci, ſpicæ, aniſorũ ana. drach. I. omnia ſubtiliter terantur, & in panno lineo raro ligentur, & cum ſyrupo iterum bulliant, & colentur, & utere ſic.

Recip. prædicti ſyrupi. Vnc. I. & med. ſyrupi roſati Vnc. med. aquarum ſaluiæ, betonicæ, boraginis ana. Vnc. I miſce pro una uice.

Vbi uero aluus Nobilitatis ſuæ adſtricta eſſet, infundatur ei ſequens clyſtere. Recip. aniſorum, dauci, camomillæ, pulegii, centaureæ minoris, mercurialis, ſiclæ, ana. M. I. agarici ligati in panno lineo, drach. II. buliant, & colentur, & de colatura. Recip. Vnc. X. olei rutæ, Vnc. iii. mellis roſati. Vnc. ii. uitelli oui numero. I. zucchari rubei. Vnc. I. & med. ſalis comunis. drach. ii. & imponatur clyſtere.

Octaua uerò die indiciis concoctionis apparentibus, ſequenti utatur purgatorio.

Recip. acori, ſtæcados arabici, paſſularum, radicum fœniculi, an. Vnc. med. hyſſopi, cẽtaureæ minoris, aniſorũ, carui, an. dra. iii. colocynthidos. dra. ii. agarici, dra. iii. turbith. dr. ii

ſcamoneæ.ſcropul.iii.piperis longi,ſpicæ. ana drach. med. Reubarbari.drach.iii.& cum melle quan. ſuffi.fiat electua rium . Quo ſic utaris. Recip. Diacatholiconis.Vnc.med.ellectuarii ſcripti.drach.ii.electuarii roſati meſue.drachm.I. & med. ſpecierum ieræ ſimplicis.drac.I. & med. cum aqua decoctionis hyſſopi,ſaluiæ,& roſarum,fiat potus, qui exhi beatur duabus horis ante lucem, ſuper dormiendo ſpacio duarum horarum.

Demum quattuor peractis diebus,poſt alui purgationem iubeo nobilitatem ſuam contentam eſſe ſectione uenarum poſt aures, his appoſitis quattuor ſanguisugis, ob illud uerbum Galeni tertio de locis affectis, capite octauo, ubi ait. Quam ob rem nonnulli horum ab arteriarum ſectione præſidium petierunt, arterias pone aures. &c. Porrò cum non tutum ſit arterias ſecare,dixi ego uenas, & in hoc dixit Princeps prima tertii, tractatu quinto,capite pri mo. Eſt enim optima in curatione omnium ſpecierum uertiginis naturalium, & quandoque inuritur,& propriè in ea, cuius cauſa eſt aſcenſio uaporum ex corpore in quacunque uia eleuantur.

Eodem uerò uernali tempore, iuberem nobilitatem ſuam bis in menſe purgari ſequenti medicamento.

Recip.Electuarii deſcripti drach.ii. & med. ieræ ſimplicis.Vnc. med. pro uice una fiat bolus, & capiat patiens in medio noctis.

Autumni uero tempore procedente, ex integro Magni ficam hanc Dominam purgatione uti, ut ab initio curatio nis expoſui, iuberem. Ob quam rem à principio autumni eam infraſcriptis ſyrupis diebus ſeptem continuis uti cuperem.

Recip.ſyrupi deſcripti.Vnc.med.oximellitis, mellis roſati.ana.Vnc.med.aquarum betonicæ, menthæ, boraginis. ana.Vnc.I.& med.

Octaua uerò die ſignis concoctionis apparentibus

ſic

ſic purgabitur.

Recip. ellectuarii deſcripti drach.ii. ellectuarii ſucci roſarum.drach.I. Diacatholiconis Vnc.med. Diaſenæ lenitiui drach.ii.cum aqua decoctionis ſaluiæ,betonicæ,maioranæ,hyſſopi, fiat potus.

Dum tamen acceſſerit hybernum tempus,iuberem nobilitatem ſuam ſequenti uti medicina, omnibus quidem decem diebus.

Recip. Terebintinæ lotæ cum aqua betonicæ. Vnc.med. ſpecierum ieræ ſimplicis. drach.I.& med.miſce,eam capiat apud diluculum paululum dormiendo. &c.

TERTIVM CVRATIONIS INSTRVMENTVM.

Porrò ſi his, quæ uictus ratione ſcripta ſunt, minuſque, ipſis medicamentorum potibus ullum ſua nobilitas præſidium ſuſceperit, iubeo, debere eam aſſequi ſalutare remedium, in quo ſatis expertus ſum, & eſt ſi deorſum in ambobus cruribus,in ſyluestri parte à genu ſanè diſtanter ſpatio digitorum quattuor inter duos muſculos cauteriũ conducatur,nempe ii humores,qui corporis uiſcera occupant,& partes neruoſas aggrauant,ad exteriora conducuntur,deriuantur, & euacuantur,& diu aperta teneantur.Ad laudem Dei, qui nos ſaluos faciat Amen. &c.

Hæc Dixit.
Benedictus Victorius Fauentinus in Gymnaſio
Patauino medicinæ theoricam primo loco profitentis. M. D.
XXXVIII. Die. IX.
Iunii.

lis Matronæ, in quo quæritur ſalutare præſidiũ nedum in uertigine, & ſcotomia, uerum & in duobus ſymptomatibus, quibus cum illa præcedente affectione nunc temporis corripitur, Quorum unum eſt, grauitas inſignis omnium extremorum ſui corporis, ut grauitate illa, membra talia extrema à ſuis conſuetis operationibus facile prohibeantur. Secundum ſymptoma eſt ipſius matricis profluuium ſuperfluitatum albarum, à quo ita Matrona hæc affligitur, ut credat ſe omnem diſpoſitionem, & uertiginoſam, & ſcotomicam, originem contraxiſſe.

Primi autem ſyptomatis cauſam inuenio ego talem, quoniam mulier hæc nobilis non multo ante tempore expotare iuſſit, in proprio loco ſuæ manſionis ſatis diſtante à naturalibus thermis aponẽſibus Patauinis, aquam illam mineralem ut ſubmitteretur potui quippe, & duciæ, unde cum Nobilis hæc Matrona (ut puto) non fuerit exquiſitè purgata, non enim ſufficit una, uel bina purgatio, ſed terna & quaterna, clamant enim omnes docti medici antequàm quis ſe exponat & duciæ, & potui aquæ thermarum naturalium omne corpus exquiſite purgatum fore, fit igitur, ut corpore non exiſtente mundo, quod intus materia moueatur, & ſui grauitate deſcẽdat ad membra extrema, ubi propter multitudinem ipſius materiæ aqua balnei nõ fuit potens ad eam reſoluendam, & expellendam extra corpus, & hoc ſæpe uidimus nos in Italia fieri, cum corpora ſe exponunt balneis, corpore non exiſtente exquiſitè mundo, alia cauſa poteſt eſſe, quoniam in tam longo itinere aqua aponenſis exportata propter diſtãtiam, quam habet à minera ſua, in ſui uirtute admodum debilitatur, ut nedũ materias poſſit ex corpore pellere, uerum neque eas reſoluere. Quo fit, ut ego per uiã prognoſticationis dicam, inditiũ hoc nõ eẽ admodũ bonũ, cũ ſignificet materiã peccãtẽ in corpore, huius nobilis mulieris fuiſſe motã & præcipuè in capite, & nõ eductã, propter quod creſcit timor futuræ epilepſiæ,

uel apoplexiæ,attenta uertigine,& ſcotomia,quibus corripitur. Vel forte minatur Paralyſim membrorum grauatorum, & totale impedimẽtum motus illorum membrorũ.

Secundi uerò ſymptomatis cauſam puto eſſe multitudinẽ materiæ pituitoſæ factæ putridæ in uiis matricis propter obſtructionem earum,quæ materia pituitoſa propter eius cerebrum eſſe admodum humidum ruit ad ſtomachum, & ad uias matricis, Quo fit, ut continuè putridis factis illis materiebus aſsiduè confluant & non quidem ab re eſt,ut ab illis materiebus putridis exiſtentibus in matrice, eleuentur mali fumi ad cerebrum,qui permiſcentur ſpiritibus animalibus,& tunc uertiginem,& ſcotomiam progignant.

Horum nempe trium Magnifica & Nobilis hæc Domina ſalutare conſilium petit à nobis ſcilicet uertiginis, grauitatis extremorum membrorum, & ipſius uteri profluuii albi.

Laudo inquàm in curatione uertiginis, & ſcotomiæ, ut nobilitas ſua illam uiuendi rationem obſeruet, quam exquiſitè narraui in proximo præcedente conſilio, quam nõ repeto,quia ſermo meus nunc fruſtatorius eſſet, & iterum iubeo, quod eam uictus rationem obſeruet, quoniam in ea magna ſuæ affectionis curatio conſiſtit. Et non negligat hoc, cum ſit ſermo Galeni in libro experimentorum capite ultimo. Victus rationem nobilius eſſe inſtrumentum conſeruandi ſanitatem,& propellendi morbum.

Poſt autem uictus rationem exquiſitè obſeruatam,ſicut ei narrauimus,neceſſarium eſt, nobilitatem ſuam medicinis ſubmitti, cum dixerit Galenus nono methodi curatiuæ,medicum non debere ſe exponere exhibitioni medicinarum,niſi ubi cognouerit uictus rationem non ſufficere. Dixi autem ego alias, quòd cum ſuus morbus diuturnus ſit à craſsis,lentis, ac frigidis humoribus originem habẽs, ueluti ſuæ nobilitatis morbus, ut dixit Galenus ſecundo aphoriſmorum

aphoriſmorum,commēto decimo nono, ideo quæ ex præcedenti conſilio à ſua D. nondum exequita ſunt, laudo, ut indubitato bis in anno ſuum corpus à malis humoribus benè mundet, quoniam ſic nedum curabitur his pluribus purgationibus à præſenti morbo, & malis ſymptomatibus, uerum & præſeruabitur ab horrendis futuris morbis, uellem igitur cum nunc temporis ut credo, ea, quæ magiſtraliter in præcedenti conſilio, in autumni purgatione nō fuerint, neque ſint adminiſtrata, quod omnino nunc temporis indicatione aſſumpta à morbo, & ab accidentibus eius, ſequenti purgetur purgatione.

In primis quippe fiat ſequens clyſtere, Recip. florum chamomillæ, betonicæ, florum ſtæcados arabici, mercurialis, foliorum maluæ, foliorum uiolarum. ana. Manipul.I. Buliant omnia in ſuff.quant.aquæ uſque quo medietas ſit conſumpta deinceps, de colatura. Recip. Vnc. X. cui addæ Benedictæ. drach.VI. Ellectuarii ſucci roſarum drac.ii. zucchari rub. Vnc.I. & med. uitelli oui numero.I. ſalis comunis drach.ii. miſce, & fiat clyſtere. Tertio uerò die ſequente, capiat infraſcriptum bolum. Recip. Diaſenæ lenitiui. drach.VI. ellectuarii indi, drach.ii. miſce, & fiat bolus cum zuccharo quem capiat per duas horas ante lucem, ſequenti uerò die, iubeo, ut ſequentem ſyrupum bibat in diluculo per ſeptem dies continuos. Recip. ſyrupi roſati ex infuſione roſarum ſiccarum, ſyrupi de betonica, ſyrupi matricariæ, ſyrupi de endiuia, ana. Vnc. med. Aquarum betonicæ, plantaginis, iuæ. ana. Vnc.I. miſce. Octaua uerò die, apparentibus ſignis digeſtionis, capiat ſequentem medicinā per duas horas ante lucem. Recip. Diacatholiconis. drach. VI. Reubarbari electi, drach.I. & med. ſpicæ grana. VII. ellectuarii ſucci roſarum, ellectuarii indi, ana. drach.I. miſce, & diſſoluātur cum decoctione comuni florum, & fructuū, cum quo buliant florum ſtæcados arabici, foliculorum ſenæ. ana. drach.ii. & fiat potus.

Laudo

ni ueſperi cum ingreditur lectum applicet palato,ad quantitatem nucis auellanæ infraſcriptam mixturam.Recip. cõſeruæ ſtæcados, conſeruæ ſaluiæ, zucchari roſati ana.Vnc.I. miſce, omni uerò mane mandat per unam horam infraſcriptas radices. Recip. Radicum acori cond. Vnc.iii.

Nempe mihi familiare remedium, & expertum in uertigine,& ſcotomia, & in præcauendo a caſu in epilepſiam, & apoplexiam eſt. Si quolibet mane patiens utatur aqua, quam modo deſcribam. Recip. Radicum acori. libras.ii. pæoniæ. lib. med. Galangæ, zedoarii ana. Vnc. I. & med. iuæ, centaureæ minoris, ſaluiæ domeſticæ, maioranæ, ſtæcados, betonicæ, roriſmarini, pulegii, calamenti, polipodii, polii, folii. ana. Manipul. I. roſarum rubearum, baccarum myrti ana. Manipul.med. omnia hæc craſſo modo terantur, atque in lib. ducentum uini albi odoriferi infundantur, ſpatio temporis dierum trium, demum uinum coletur uiolenta & forti facta expreſſione.Cæterum uinum in alembico uitreo ponatur, & diſtilletur aqua, cui adde nucis muſcatæ, macis, gariophyllorum, cinnamomi ana. Vnc. I. & med. craſſo modo contuſorum trahant quippe moram per diem naturalem, demum iterato per alembicum diſtilla aquam & tertia, & quarta,& quinta, uſque ad nonam diſtillationem, tandem diſtillabis aquam, nona diſtillatione peracta, remanenti aquæ adde foliorum auri numero. I O O. foliorum argenti numero quinquaginta, omnium fragmentorum. ana.drach. ii.Margarit.Vnc.med.omnia terenda in ſubtiliſſimam conducas puluerem,& iterato uicibus duabus eandem diſtillabis aquam,ultimo uerò diſtillatam aquam, cum moſco,& ambra aromatizabis,& ſic diuinum Eliſir uitæ ex mei officina habebis, cui uolo nobilitatem ſuam tantam adhibere fidem, ut omnino eo ſanari debeat, & à futuro longo deteriore lapſu prohiberi.

Modus uſus eliſir uitæ eſt mane priuſquã tribus horis uẽ

trem impleat,cum modica,immo paucisſima aqua illa diluat ſibi frontem, & nares, & colli ſpinam. Demum bibat infraſcriptum potum. Aquæ ſaluiæ,aquæ endiuiæ.ana.Vnc. med.Eliſir uitæ guttas quinque accipito,miſceto,& bibito.

Præter hæc autem,quæ nunc dicimus in curatione uertiginis, & ſcotomiæ,laudo,ut ea omnia, quæ ſuper hoc ſcripſi in primo conſilio, uſui adaptentur, cum hæc optima ſint,& ſaluberrima.

Pro ſymptomate autem primo, quòd eſt extremorum membrorum grauitas poſt potum,& duciam aquæ balnei aponenſis,non admitto ego,quod à Domino Dauide dicitur, uidelicet,quod non ſunt corpora uno,& eodem anno balneanda,& purganda pharmaco, immo ſi expedit omni genere medicinarum talia corpora ſunt gubernanda: ob quã rem dato, quod nobilis matrona præterito anno fuerit,uel præſenti ſubmiſſa & Duciæ, & potui aquæ aponenſis, tamen laudo quod ſi expedit remedia, quæ ſunt à nobis ordinata in duobus conſiliis non negligantur. Vltra dico, quòd in pluribus aliis contingit, quòd poſt potum aquæ thermarum naturalium accidit grauitas in membris extremis propter dictam rationẽ, ubi ſi talia corpora actu forent in balneo, ſtatio, extremorum in illo balneo ſoluit grauitatem illam, ob quod ego conſulo, quod cum nobilis Domina iuuamẽtum perceperit ex ducia,& potu aquæ aponenſis uernali tempore accedente, nobilitas ſua ſe trãſferat præſentialiter ad hæc balnea aponenſia,& ad potum aquæ,& ad Duciam,& ad luta. Propter enim potum mundificabitur matrix,& tollentur mali uapores,qui aſcendũt ad caput, qui ſunt con cauſæ uertiginis, corroborabitur quoque matrix,& ſtomachus,ut non multiplicet ſuperfluitates nocuas capiti. Per Duciam uerò corroborabitur caput, ſi debito tempore,& corpore exquiſitè euacuato accipiatur,tunc enim reſoluetur materia exiſtens in capite; & prohibebitur fluxus humiditatum à capite ad mẽbra ex-

trema, ubi grauitas perdetur, Per lutum uerò Sancti Bartholomei, in quo nobilitas ſua cum extremis ſufficienti tēpore morabitur, tolletur & dolor, ſi aderit dolor in extremitatibus tolletur, & tumor, & grauitas, ob quod aperta fronte quantum ad iſtud ſymptoma, primum laudo iſta balnea aponenſia non tranſportata, ſed in locum propriū expedita, conſulo tamen, ut eo tempore præcedente tempus uernale ipſis extremis applicetur ſequens remedium. Quoniam reſoluit, corroborat, & partim prohibet curſum materierum ad locum.

Recip. florum chamæmeli, betonicæ, ſaluiæ, chamepytios calamenti, abrotani, fenigræci, ſem. lini, granorum mirti, roſarum rubearum, Balauſt. corticum granatorum ana. M. I. Bulliant omnia in ſuffi. quant. aquæ, & uini, uſque ad conſumptionem medietatis, deinde quolibet mane ſtomacho ieiuno diluantur extrema, hac decoctione, immediatè uero poſt quolibet mane diluantur eadem extrema cum modico Eliſir uitæ, de quo ſupra fecimus ſermonem.

Conſulo quoque, ut Magnifica hæc Domina aſſueſcat calciamentis die, noctuque ex murice ſuffumigando de tribus diebus, in tribus diebus cum ſuffumigio ſequenti. Recip. nucis myriſticæ, gariophyllorū, macis, ligni aloes, ana. drach. ii. terantur ſubtiliter, & cum prædicto puluere fiat ſuffumigium.

Pro ſecundo, ſymptomate, quòd eſt ſuperfluitatum albarum continuum profluuium, conſulo, ut præcedentibus purgationibus totius corporis quolibet mane utatur infraſcripta mixtura, Recip. corticum interiorum auellanarum, ſem. roſarum rubearum, corallorum rubeorum, Hipoquiſt. Boli armeni orientalis. ana. Vnc. med. terantur omnia ſubtilisſimæ, & cum ſucco cydoniorum, & zucchato fiat mixtura. Doſis eſt, mane ſtomacho ieiuno drach. ii. Similiter ueſperi cum ingreditur lectum. Item iubeo, ut omni ueſperi cum ingreditur lectum inungantur ſibi renes

cum ſequenti unguento. Recip. ſucci plantaginis, ſucci ſolani, ſucci ſemperuiui ana. Vnc.I. olei mirtini, olei maſticis, cydoniorum, olei roſati ana. Vnc. med. ſem. roſarum rubearum, corallorum rubeorum, maſticis ana. drach.I. & med. terenda terantur ſubtiliter, & cũ modico ceræ fiat unguentum molle. Item laudo quod quotidie diluantur partes uuluæ, uſque ad os matricis, cum ſequenti dilutione. Reci. uini nigri ſtiptici. lib. iii. ſcoriæ ferri præparatæ Vnc. VI. miſce, & bulliant uſque ad conſumptionem medietatis uini, deinde colentur, & cum uino diluatur modo dicto.

Vnum tamen uolo, ut Magnifica hæc Matrona obſeruet præceptum hoc, quòd potus aquæ thermarum de Abano, eſt unum de optimis præſidiis cõferentibus huic diſpoſitioni, dum ad potum iſtius aquæ ſequatur potus balnei de Calderiis in comitatu Veronenſi exiſtentis, ob quam rem utrique diſpoſitioni Nobilitatis ſuæ immo omnibus ſi ad hæc balnea Patauina, & Veronenſia ſe transferat, erit ultimum remedium ſuæ ſanitatis. Ad Dei Glorioſi laudẽ, qui reſtituat eam ad priſtinam ſanitatem. &c.

Benedictus Victorius Fauentinus in Gymnaſio Patauino ad theoricam medicinæ edocendam primum ex ordine locum tenens, ſic dixit, & ſuo conſueto ſigillo conſilium hoc obſignauit, Anno M. D. XXXVIII. Die octaua Nouembris.

AD STVPOREM, SIVE MOLLITIEM.

Pro Reuerendisſimo Domino Iohanne Epiſcopo Cuiauienſi.

Conſilium X.

REuerendisſimus Dominus Epiſcopus Cuiauienſis natiuæ complexionis ſanguineæ. Quippe & cordis temperaturæ, atq; epatis, calidæ, ut huic calidæ cordis temperaturæ ſiccitas aſſocietur ſit, alteri uerò uidelicet epatis humiditas iungatur, Itaque Dominationis ſuæ cerebrum ad frigidam, & humidam uergens temperaturam, conſimili porrò currente temperie uentriculi, & inteſtinorum, mala ei natura fauente, paralyſi corripitur anno ætatis ſuæ ſexageſimo ſecundo, Et anno Chriſti M. D. XXXIIII. Decima ſexta Ianuarii die. Hoc nempe modo edocti ſiumus uerborũ ſerie doctisſimi Medici. D. ſuæ ſanitatem procurantis, qui non modo doctè, uerum & exquiſitè, eius temperaturarũ notas, tum ex Gale. II. artis paruæ, tum ex rationali indagatione adeò percurrit, ut indubitato illam ei fidem donare cogamur, ueluti ſi ſenſus, & noſtri ratio perlucide earum indicia perquirerent.

Inſpectis igitur uiri bonitate, & nobilitate, at & in diuinis, & mundi actionibus neceſsitate, eorum mentes, uidelicet, Reuerendisſimi ægrotãtis, & medici nobilem perſonã gubernantis, prompta ſunt in nobis expoſtulantiũ ſalutaria remedia: quibus fauente deo Reuerendiſ. Epiſcopus eã, quam ante habuit ſanitatem adipiſcatur. & c.

MORBI ESSENTIA:

QVã ob rẽ uoluntati Dominationis ſuæ obtẽperãtes, in ſalutari noſtro cõſilio talẽ dicendi ſcopũ ſeruabimus. Primo inquã ſui morbi nãm, at & illius cauſas digno

ſcere

ſcere conabimur. Porrò medicus indubitatò fallitur; ſi à prima die morbũ non cognouerit, auctore Galeno primo, de criſibus, capite decimo ſexto, & uigeſimo, & primo de ratione uictus acutorum, commento tertio. Et primo artis curatiuæ ad Glauc. capite primo. Quippe dixit Galenus ſexto, de morbis & ſymptomatibus capite primo, non modo ſufficere medicum actiones læſas cognoſcere, uerum & omnium cauſas ubi oriantur, intelligere oportet. &c.

Secundo non alienum puto, ſi Reuerendisſimi Domini terminum affectionis ad bonum, uel ad malum prædicere non ſpernam. Dicente Galeno primo de ratione uictus acutorum, commento tertio, ex Hippocratis teſtimonio in præfatione libri prædictionum, prænotionem ipſam ad affectionum curationes admodum commodam eſſe.

Tertio uerò morbi curationis ſcopum aggrediar præcepto Galeni ſeruato primo, artis curatiuæ ad Glauconem, capite primo, ubi ait. Nam in medicina maximum eſt, & uia uera, ut primum cognoſcas cauſas, & origines uniuſcuiuſque ægritudinis, demum quantam, & qualem habeat curam. &c.

In primo igitur capite nos certiores reddit Reuerendisſimi Domini Medicus excellens moleſtantem morbum S. D. paralyſim eſſe, totius partis dextræ, dum poſtea dixerit & ſenſum, atque motum ſiniſtræ partis membra non perdidiſſe, quippe & ea flecti quaſi liberè undequaq;. Quo fit, ut Reuerendisſimi Domini morbum paralyſim minimè dicere audeam, cum motus omnino non perit, neque ſenſus, dicente Galeno libro primo, de ſymptomatum cauſis ad medium libri. Principio igitur ſtupidi fiunt. deinde omnino & ſen ſum, & motum amittunt. Nominantque huiſmodi ipſorum uitium paralyſim, ideſt neruorũ reſolutionem. Eandem quippe ſententiam attulit Galenus libro tertio, de locis affectis, capite decimo, ubi ait, cum igitur omnes pariter nerui, tum ſentiendi, tum mouendi uim amiſerint

rint apoplexia huiuſmodi affectio appellatur.Vbi uerò alteri laterum, aut dextro aut ſiniſtro, id accidit, reſolutio nominatur, & eodem in loco dixit Galenus.Itaque neruorum reſolutio potisſimum dicitur, ubi motus deperditus eſt,ob hæc igitur ad Galeni ſcopum morbum hunc paralyſim non auderem dicere, neque paralyſim latitudinem habere confeſſus eſt Galenus,ueluti nonnulli ex Priſcis medicis conceſſere.Vnde non abſonum puto,ſi Reuerendisſimi Domini affectum,ſtuporem appellitaret Gale.ob hæc,quæ dixit uerba, libro primo de ſymptomatum cauſis ad medium libri. Principio igitur ſtupidi fiunt, deinde omnino & ſenſum, & motum amittunt, & paululum poſt dixit, hæc uidelicet Paralyſis quanquàm ſub eodem genere,quo ſtupor continetur, differt tamen magnitudine.Eſt quippe Paralyſis,ſenſus,ac motus interitus,ſtupor uerò ſentiendi, & mouēdi difficultas,auctore Galeno eodem in loco. Quo fit, ut Reuerendisſimus Dominus nondum Paralyſi corripiatur, ſed uia ſolum qua in paralyſim facile cadere poſſit, & hanc porrò uiam ſtuporem dicamus,& cogit me potisſimum huiuſcemodi uerbum dicere Galenus. Cum dixit,Principio igitur ſtupidi fiunt, deinde omnino ſenſum, & motum amittunt.Nominaturq́; huiuſmodi ipſorum uitium paralyſis ideſt neruorum reſolutio. Nempe ſi quis Galenum inſpiciat,aliter penſitare non poterit. At ſi Arabum uerbis uti uelimus, ut tertio canone, Auicenna pronuntiauit, Reuerendisſimi Domini morbum, mollitiem dicemus, quam paruam quandam paralyſim eſſe pro confeſſo habeatur, & tali nominis acceptatione uſus eſt excellens S. D. medicus. Et quoniam Galeno maiorem adhibeo fidem, intrepida fronte dico.Reuerendisſimum D. non paralyticū, ſed uia affectum ad facilem caſum in paralyſim. Quo fit, ſicut paralyſis magnitudine à ſtupore ſecernitur, pariter & medicamenta ſecerni debent, ut poſtea dicemus. & cet.

MORBI

MORBI CAVSAE.

CVm autem affectio tollatur ex abolitione cauſæ eius, auctore Galeno tertio, de locis affectis capite primo, ubi ait. Atque ablata re, quæ nocuit, protinus conquieſcit affectio, & idem dixit undecimo methodi curatiuæ non longè à principio, & ſecundo aphoriſmorum, commento uigeſimo ſecundo, & tertio, artis medicinalis: non ab re arbitror Reuerendisſimi Domini cauſas morbi, ad curationis ſcopum inuenire perutile eſſe, Quam ob rem non me latet, quod ab Excellente medico pronuntiatum eſt. Tria uidelicet cauſarum genera reſpondere debere huiuſcemodi morbo, ut edocuit nos Galenus in libro de diffinitionibus medicis, & in libro de cauſis morborum non longè à principio, & libro artis medicinalis capite. LXXXVIII. & primo prædictionum, commento tertio. Et primo de ſymptomatum cauſis ad medium libri; uidelicet, procatharticam cauſam, & præcedentem, atque continentem. Quippe ex procatharticis unam potisſimum tulerunt, meratioris crebram potionem. Et huius teſtis eſt Galenus libro tertio, de temperaturis, ubi ait, ſic igitur & uinum ubi plus bibitur, quàm ut uinci posſit, tantum abeſt, ut animal calefaciat, ut & frigidiora uitia gignat. Quippe apoplexiæ, & paraplexiæ, & neruorum reſolutio, & comitiales conuulſiones, & tetani immodicum uini potum comitantur, & quinto aphoriſmorum, commento quinto, dixit Galenus. Subſtantiæ igitur uini copia neruorum affert cõuulſionem, Quippe & huius rationem dixit Galenus, his uerbis. Solet autem neruos facilime replere uinũ, ut quod calidam habeat temperaturam, talis ſiquidem natura prõpte omnia ſubintrat.

Alteram attulerunt exterius cauſam, moram in ſtupha. Demum ſub frigido aere expoſito capite. Porrò hanc firmat cauſam Galenus quinto aphoriſmorum, commento uigeſimo quarto, ubi dixit, frigidum exterius partibus

thoracis inimiciſſimum, & ex capite diſtillationibus, thoracem, quinimmo & totum corpus offendit, & commento uigeſimo ſecundo, ait. Calor quoque extrinſecus facit hæc eadem, hoc quidem ſcilicet frigidum preſſione, illud uero, ſcilicet calidum diſſolutione.

Præcedentes cauſas dixerunt, tum uitiatam cerebri temperiem in frigidum, & humidum, uergētem, tum copiam pituitoſi humoris, quippe craſſi, ac glutinoſi, cerebro noxii, qui porrò in neruorum ortu detentis, uel eorum foramina obſerando, confluxum facultatis animalis, at et ſpiritum à principe parte ad corporis animalis membra prohibetur: quibus & ſentiendi, & mouendi facultas ſolita erat inhærere. Quo fit, ut eadem membra, omnino ſenſu & motu priuentur, ueluti ex paralyſi, aut difficulter moueantur, ſentiantque, ut ex ſtupore, uel mollitie, Et hunc ſermonem uide apud Galenum primo, de ſymptomatum cauſis, ad medium libri.

Continentem uerò cauſam, quam Neoterici coniunctam appellitant, tulerunt, præſentiam pituitæ obſtruentis propriam ſemitam facultatis animalis ad membra confluentis, Quo fit, ut eadem uel ſtupida, ſeu mollificata, uel paralytica efficiantur, & de hac cauſa, loquutus eſt Galenus primo, de ſymptomatum cauſis, & in libro de diffinitionibus medicis, ubi ait. Contentiua cauſa eſt, quæ cum ſit præſens confeſtim morbus eſt, cum uerò deſinit eſſe, morbus euaneſcit. &c.

PRAEDICTIONES.

DIxit Galenus primo, de ratione uictus acutorum, cōmento tertio, prænotiones ad affectionum curationes admodum commodas eſſe, Quam ob rem prædicam primo Reuerendiſſimi Domini morbum, eum in naufragio conſtituere, neminem ambigere poſſe, tum propter illud Galeni uerbum ſecundo aphoriſmorum, commento quadrageſimo. Quæcunque morborum genera ex frigi-

dis humoribus ortum habent, quæ in quibuſdam iuuenibus, nedum in ſenibus difficulter coquuntur, & eodem in loco, commento quadrageſimo tertio, dixit. Quòd uerò plures ex morbis diuturnis ſenes ad mortem comitantur, clarum eſt, ſi quidem, & eorum uis imbecillis eſt, quæ neq; morbos facile concoquere poteſt, Secundo dixit Galenus libro ſecundo, de temperamentis ſenes facile in frigidum ſtatum mutantur, & nigri & liuidi fiunt, & frigidis morbis facile capiuntur, apoplexia, neruorum reſolutione, ſtupore, tremore, conuulſione, diſtillatione, atq; raucedine.

Porrò periit eorum omnis paulo minus ſanguis, eoque unà periit & coloris rubor, iam uerò concoctio his & digeſtio, & ſanguificatio, & appoſitio, & nutritio, & appetentia, & ſenſus, & motus oblæſa ſunt, uitioſeq; adminiſtrata. Et quid quæſo aliud eſt ſenium, quam uia ad interitum? Itaque ſi mors naturalis caloris eſt extinctio, utiq; ſenium ueluti tabes quædam eius fuerit. Cum igitur ſenes facile morbis frigidis capiantur. Quippe qui non niſi copia caloris ſolui poſſunt, & ſenes porrò imbecillioris caloris ſunt, ex Galeno primo aphoriſmorum, commento decimo tertio, & decimo quarto. non ab re pronuntiatum eſt, Reuerendisſimi Domini morbum haud facile ſolui poſſe. Tertio quoniam à Galeno compertum eſt, faciliori methodo curationis ſtuporem, & uiam ad paralyſim, corrigi poſſe, quam ipſa posſit paralyſis. Dixit enim primo de ſymptomatum cauſis ad medium libri. Si uerò non ita uehemens fuerit affectus, ſtuporem inducet, atque ii mortem effugiunt. Idcirco mihi perſuadeo Reuerendisſimam D. ſuam ſi noſtris ſalutaribus auxiliis, hilari, ac firmo obtemperabit animo, ad eam, quam ante habuit, ualetudinem dubio procul redibit, uolente illo, qui & animos, & corpora noſtra gubernat. &c.

MORBI CVRATIO.

AFfectionis Reuerendisſimi D. curationis ſcopus uno

trium perficitur inſtrumentorum, aut pluribus ex his, aut omnibus, auctore Galeno, in libro de partibus artis medicæ ſumma ſecunda, capite ſecundo, & in libro experimentorum, capite ultimo, uictus ratione, medicamentorum potione, atque manuum operatione, At quoniam eorum omnium nobilius inſtrumentum uictus ratio cenſetur, à Galeno in libro experimentorum, capite ultimo, Principium ab aere exordiar. &c.

AER.

AB ambiente enim nos Aere corpus noſtrum admodum mutatur, auctore Galeno libro tertio artis medicinalis, & libro tertio methodi curatiuæ. capite octauo, & nono, eiuſdem non longe à fine, ubi ait. Ambiens uerò is eſt. Sine quo nec tolli morbus, nec teneri ſanitas poteſt, & primo de tuenda ſanitate non modicam expedit uim Galen. ipſius tuendæ ſanitatis in boni aeris electione.

Nempe igitur eligat ſibi Reuerendiſsimus patiens aerem non craſſum & nebuloſum, cluſumque, nullum recipiens perflatum, iuxta illud Galeni libro primo, de tuenda ſanitate, nec qui ob ſtagnum, uel flumen uicinum nebuloſus eſt aer, nec editis undiq; montibus in cauo loco cluſus, nullum recipit perflatum, ſuffocans enim putriſq; eſt. Proinde locum domus accurratè ſibi conducat, in quo non ſit incluſus aer, perflatus defectum ſuſtinens, ob illud Galeni uerbum, eodem in loco, ſimilis ei, qui in domibus quibuſdam eſt incluſus, in quibus ob putredinem, & perflatus defectũ, plurimus aceruatur ſitus. Huiuſmodi enim aer omni planè ætati noxius eſt. Quippe & aer fumo, uel puluere affectus prohibeatur, cum enim corpus intrat facultatis animalis tranſitum tollit, uiarum ſpiritus clauſione, auctore Galeno eodem in loco. Nempe aerem humidum ualde fugiat, qui & ſtagni, & paludis habitu eſt infectus, & qui ex cloacis malam ſpirat auram, & qui ex animalium & olerum, aut leguminum putredine uitium cõ

traxit, aut fimo coinquinatur, ſuo enim halitu caput grauitat, & animalem ſpiritum offendit, ut libro primo de tuenda ſanitate dixit Galenus.

Quippe purum aerem, & clarum ſibi conducat, ne impuritate & craſſitie, uires animæ obnubilet, dicente Galeno, ut ſupra, optimum aerem cenſeo qui prorſus ſit purus.

Sanè igitur ſit S. D. aer calidus, & ſiccus, non admodum quidem calidus, plus quippe ſiccus, non quidem frigidus, quoniam ex capite diſtillationibus, totum offendit corpus, auctore Galeno quinto aphoriſmorum, commento uigeſimo quarto, non admodum calidus ſit propter Galeni uerbum, quinto aphoriſmorum, commento uigeſimo ſecundo, ubi ait calor extrinſecus in capitis diſpoſitionibus facit hæc eadem, ſcilicet diſtillationes &c. Calidus quippe ſit, quoniam ut dixit Galenus eodem in loco capitis grauitates ſanat, concoquens, atque diſſoluens, quæcunque moleſtant. Nempe ſi natura aer calidus, & ſiccus defecerit, & in loco, quo S. D. moram trahit, aut hybernum affuerit tẽpus, leuibus aromatum ſuffitibus utatur. Conſidera quod à me dicitur leuibus ſuffitibus, cum à fortibus caput admodum grauetur, ut Hippocra. dixit quinto aphoriſmorum uigeſimo octauo, ſuffitus aromatum. &c. Quod ſi ei nocuum erit, quod ab aromatibus de fumo exit, ſola aromatum præſentia in loco manſionis contentus ſit, uel quod de odore ab aromatibus expirat, quæ ſua ui aperiunt obſerata orificia, & humorum craſſitudinem extenuant, & omnibus frigidis, & humidis diſpoſitionibus corporis animalis peridonea ſunt, auctore Galeno eodem in loco.

At aromata ſunt cinnamomum, gariophyllum: macis, ambra, lignum aloes, moſcus, cortices citrii, arantiæ, maſtix thus, & ſimilia.

Quippe ſi D. S. pergratum fuerit lucidum ignem inſpicere, & potiſſimum hyberno tempore, ſit ex lignis roriſ-

marini,

marini, iuniperi, lauri. Porrò ſi ex ligno terebinthi, ſeu terebenthinam concreante, uel ex illo quod uſitato uocabulo lignum laricis dicitur, ignis accendatur, proficuus admodum hic erit ignis, quoniam ſui natura, craſſos, & glutinoſos corporis humores attenuat, & diſſoluit.

Cæterum. S.D. iuberem, ut moderato calido caput ſuum muniret, calor enim extrinſecus, atque immodicus admodum ei noxius eſt, plus uerò frigidus, auctore Galeno quinto aphoriſmorum, commento uigeſimo ſecundo, & uigeſimo quarto. &c.

PANIS.

Panis electio ſit de tritico, quoniam triticum nedum apud omnes nationes frequentisſimè, immo ſumma cum utilitate uſurpatur, auctore Galeno primo de facultatibus alimentorum capite ſecundo, ex triticeis namque panibus D. S. peridoneus eſt ille, qui ex tritici ſimula conditus eſt. Sincerisſimus enim panis eſt, naturalia non grauitans, non flatuoſus, neque deorſum aluum replens, & peroptimè nutritiuus, auctore Galeno ut ſupra.

Sitque panis non admodum fermentatus, ſui enim ſuperfluente acetoſitate noxius eſt cerebro, & neruis, quippe neque omnino fermento careat, ob id Galeni uerbum primo de potentiis alimentorum, capite ſecundo, at qui omnino fermento caret, nemini prorſus erit accõmodus.

Non ſit eius Panis ſalitus, propter dictum Galeni ſecundo, de compo. med. s.l. capite decimo octauo, ubi ait ſal anxiatiuũ eſt, propter grauedinem, & potisſimum in capite, ſitq́ eius panis non admodum coctus, ut qui cruda, incoctaque interiora habet, ambuſta uerò, obarida & cruſtacea exteriora, ignis enim uis in totum panem nequit penetrare, ideoque illum non percoquit, maximèque intimas partes, Dixit enim Galenus primo alimentorum capite ſecundo. Is deterrimus panis cenſendus eſt, & uentriculo inimicus, qui in cruſtaceis admodum aduritur, in intimis

timis

timis uerò incoctus relinquitur. Sit eius panis recens triū dierum. Sanè tamen calidus non edatur, propter dictum principis ſecundo canone cap.DLXXIII.Panis enim calidus non eſt apud naturam receptibilis, ſitim facit,& natat propter ſuā uaporoſam humiditatē & cerebro nocuam. &c.

VINVM.

CVm ſit omnis exceſſus fugiendus,maximè illum fugere expedit, ex quo non corpori modo, uerum etiam animo damnum accedit, ob quam rem cum D.S. corpori, & animo uini potus damnum ingerat, nedum hauſtum guſtare ſuaſerim, uerum & omnis uini potionem denegarem, eius namq; corpori noxium eſt uinum. Quippe uino epoto humectante, atque calefaciente, noxios exceſſus corpori eius conducet, auctore Galeno primo de tuenda ſanitate,& in libro exhortatio ad bonas artes.Nempe cum repleri eius caput ſit inutile.Vinum autem halitu caput replet, ut ait Galenus eodem in loco. Idcirco uinum illi pernocuum erit, Porrò cum humectatio. S.D. noxia ſit,uinum autem humectatiuum admodum eſt, auctore Galeno primo de tuenda ſanitate, dubio procul uinum eſt ei contumax. Propterea mihi ſuadeo S.D. potum peridoneum eſſe debere ex hydromelite potus coctionis hyſſopi, & ſaluiæ calefacientium,& exſiccantium frigidos, & craſſos humores,& facultatem cerebri roborantium, ex Gale. VIII. ſimplicium pharmacorum. cap.CLII. Si quis igitur galenum inſpiciat.III.de temperaturis D. S. Vinum non concedet,uenirem ego interrogandus,ſi Gale.dicit.V.aphoriſ. commen.V. Vinum qualitate ſua ſanat eam,quam fecit diſpoſitionem,neruos calefaciendo,atq; exſiccando: cur non damus ei uinum,quod ſanè ægritudinem fecit. Huic dicere arbitror, uinum ægritudinem cerebri ideo facere, quia ſuo halitu cerebrum percutit, grauitatq;, quippe eo quod totum humectat corpus, atq; undequaq; ad neruos humiditates conducit,ut placuit Gal.III. de temperamentis. Vinum

ydiomel.

iu.

dubij.

num autem cerebri affectioné curare debet, quoniam ſua qualitate calefacit, & exſiccat. At quia certius eſt uinum ſuo halitu cerebrum percutere & grauare, cum ſit ei familiare, quam ſua qualitate neruos calefacere, & exſiccare, ut experientia dictat, ideo tutius eſt in ægritudinibus cerebri uinum tollere, quam illis tribuere. Quippe de curatione ebrietatis à uino dubiè loquitur Galenus quinto aphoriſmorum commento quinto, ubi dixit. Et ſi aliquando hoc facere nequeat, mortem ſubſequi eſt neceſſarium. Quantæ autem ueritatis ſit, Galeni dictum quinto aphoriſmorum, commento quinto. hic ſub ſilentio præteribo, cum alibi ſalua tanti uiri Doctrina, contrarium demonſtraui.

Nempe ſi Reuerendisſimi Domini conſuetudine, uel inordinata illius appetentia, uel uiolento medicorum irritatu, ad uini cogar potionem tribuendam, ſit uinum album imbecillium uirium, ut caput minime percutere ualeat, Dicente Galeno primo de tuenda ſanitate & quinto de locis affectis capite quinto. Nam huiuſmodi uinum ut uentriculum robuſtum efficit, ità haudquaquam tentat caput, id quod facere ſolent ea, quæ uehementes uires obtinent, dum menti teneatur ipſum maiori in parte mulſa commixtum fore, decoctionis hyſſopi, uel ſaluiæ.

CARNES.

VEtuſtorum itaque pedeſtrium animantium carnes, cauere debet, ut Bubula caro eſt, auctore Galeno, tertio de facultatibus alimentorum capite primo, ubi ait, Bubula uerò alimentum ipſa quoque non exiguum, nec diſcuſſu leue præſtat, ſed ſanguinem craſsiorem quam par eſt, progignit. Quæcunque igitur terreſtria animalia temporis uetuſtate tertei alimenti naturam ſibi conceſſerint, non optimi ſanguinis, ſed feculenti, facultati naturali noxii facile procreantia. Quales

ſunt

timis uerò incoctus relinquitur. Sit eius panis recens triū dierum. Sanè tamen calidus non edatur, propter dictum principis ſecundo canone cap.DLXXIII. Panis enim calidus non eſt apud naturam receptibilis, ſitim facit,& natat propter ſuā uaporoſam humiditatē & cerebro nocuam. &c.

VINVM.

CVm ſit omnis exceſſus fugiendus, maximè illum fugere expedit, ex quo non corpori modo, uerum etiam animo damnum accedit, ob quam rem cum D.S. corpori, & animo uini potus damnum ingerat, nedum hauſtum guſtare ſuaſerim, uerum & omnis uini potionem denegarem, eius namq; corpori noxium eſt uinum. Quippe uino epoto humectante, atque calefaciente, noxios exceſſus corpori eius conducet, auctore Galeno primo de tuenda ſanitate,& in libro exhortatio ad bonas artes. Nempe cum repleri eius caput ſit inutile. Vinum autem halitu caput replet, ut ait Galenus eodem in loco. Idcirco uinum illi pernocuum erit, Porrò cum humectatio. S.D. noxia ſit, uinum autem humectatiuum admodum eſt, auctore Galeno primo de tuenda ſanitate, dubio procul uinum eſt ei contumax. Propterea mihi ſuadeo S.D. potum peridoneum eſſe debere ex hydromelite potus coctionis hyſſopi, & ſaluiæ calefacientium,& exſiccantium frigidos, & craſſos humores,& facultatem cerebri roborantium, ex Gale. VIII. ſimplicium pharmacorum. cap.CLII. Si quis igitur galenum inſpiciat.III. de temperaturis D. S. Vinum non concedet, uenirem ego interrogandus, ſi Gale. dicit. V. aphoriſ. commen. V. Vinum qualitate ſua ſanat eam, quam fecit diſpoſitionem, neruos calefaciendo, atq; exſiccando: cur non damus ei uinum, quod ſanè ægritudinem fecit. Huic dicere arbitror, uinum ægritudinem cerebri ideo facere, quia ſuo halitu cerebrum percutit, grauitatq;, quippe eo quod totum humectat corpus, atq; undequaq; ad neruos humiditates conducit, ut placuit Gal. III. de temperamentis. Vinum

num

ſum autem cerebri affectionē curare debet, quoniam ſua qualitate calefacit,& exſiccat. At quia certius eſt uinum ſuo halitu cerebrum percutere & grauare, cum ſit ei familiare, quam ſua qualitate neruos calefacere,& exſiccare,ut experientia dictat, ideo tutius eſt in ægritudinibus cerebri uinum tollere, quam illis tribuere. Quippe de curatione ebrietatis à uino dubiè loquitur Galenus quinto aphoriſmorum commento quinto,ubi dixit. Et ſi aliquando hoc facere nequeat, mortem ſubſequi eſt neceſſarium. Quantæ autem ueritatis ſit, Galeni dictum quinto aphoriſmorum, commento quinto. hic ſub ſilentio præteribo, cum alibi ſalua tanti uiri Doctrina, contrarium demonſtraui.

Nempe ſi Reuerendisſimi Domini conſuetudine, uel inordinata illius appetentia, uel uiolento medicorum irritatu, ad uini cogar potionem tribuendam, ſit uinum album imbecillium uirium, ut caput minime percutere ualeat, Dicente Galeno primo de tuenda ſanitate & quinto de locis affectis capite quinto. Nam huiuſmodi uinum ut uentriculum robuſtum efficit, ita haudquaquam tentat caput, id quod facere ſolent ea, quæ uehementes uires obtinent, dum menti teneatur ipſum maiori in parte mulſa commixtum fore, decoctionis hyſſopi, uel ſaluiæ.

CARNES.

VEtuſtorum itaque pedeſtrium animantium carnes, cauere debet,ut Bubula caro eſt, auctore Galeno, tertio de facultatibus alimentorum capite primo,ubi ait,Bubula uerò alimentum ipſa quoque non exiguum, nec diſcuſſu leue præſtat, ſed ſanguinem crasſiorem quam par eſt, progignit. Quæcunque igitur terreſtria animalia temporis uetuſtate tertei alimenti naturam ſibi conceſſerint, non optimi ſanguinis, ſed feculenti, facultati naturali noxii facile procreantia. Quales

ſunt

ſunt ceruorum carnes,& capreolorum, arietumque, & uetulorum caſtratorum. ſintque D. S. carnes temperaturæ calidæ,& ſiccæ. Quo fit,ut aues ſylueſtres omnes, in arboribus degentes, ac uictum in ſiccis locis trahentes, admodum ei conuenientes ſint,ut ficedulæ, turdi, merulæ,ſylueſtres palumbi, frigellæ & huiuſcemodi. Quòd ſi domeſticæ aues ad minorem ſiccitatem uergant condimento parentur cum hyſſopo,ſaluia,chamæpythi,betonica,& roremarino. Quales ſunt capones,gallinæ,& domeſtici columbi,hædorum,& uituli. Conueniunt ei quoque admodum faſiani,perdices,coturnices,iuuenes cuniculi,lepores,& potisſimum cerebrum eorum,paratum hyſſopo,& ſaluia,

Longè ſane fugiat aues omnes in aquis degentes, cum ſua humida temperatura ſint D. S. ſatis noxiæ,ueluti anſeres, & anates. Agninam carnem ei nocuam pronunciamus ob id quod humidiorem alimoniam, quam par eſt, progignit, auctore Galeno in libro de cibis boni & mali ſucci. &cet.

PISCES.

CVm apud Galenum ſexto de uſu partium, capite nono compertum ſit omnibus animantibus piſces frigidiores eſſe,namque humido abundantes. Quippe uictus ratio hoc in paralyſi, uel ſtupore non admittit. Idcirco D. S. piſces non concedimus, illos ſanè maximè, qui in cænoſis & ſordidis aquis ueſcuntur. Porrò & qui in paludibus, & lacubus capiuntur,excrementitia namque, & mucoſa eſt admodum eorum caro, auctore Galeno tertio, de potentiis alimentorum capite.XXIIII.

Fluuialium namque piſcium non adeo ei noxia eſt caro,& tanto minus,quanto fluminis aqua rapida,& multiflua eſt,ut ipſius torrentis fluxu piſces fatigentur. Quo fit, ut eorũ caro minus excremẽtitia, atque mucoſa reddatur.

Potisſimum uerò eorum piſcium caro ei parum optima eſt,qui in puro natant mari, maximè cum uentorum

diffIatu agitatum attollitur. Dixit enim Galenus tertio, de potentiis alimentorum, capite uigeſimo quarto. In ſilenti namque mari, nulliſque agitato fluctibus, tanto piſcium caro uilior eſt, quanto minus exercitata, nempe ſi D. S. piſces admittamus, ad memoriam reuocare uelim, eos parare ſaluia, hyſſopo, iua, betonica, & roremarino. Salitos piſces ei non dabimus, ſi dictum Galeni, obſeruabimus ſecundo de comp. med. s. l. capite decimo octauo, ubi ait. Sal anxiatiuum eſt propter grauedinem, & maximè in capite. &c.

OVA.

QVæ ab animantibus oua naſcuntur à Galeno tertio facultatis alimentorum, capite uigeſimo primo, inter hominum numerantur alimenta, quorum ſummam nutritionis laudem gallinarum oua, demum faſianorum obtinuere. porro cum albuminis uis frigida ſit, & glutinoſa D. S. incommodat, ſolo igitur oui luteo D. S. uti non ambigam. Sintque oua ex eius comuni eſu recentia, & non diu aſſeruata, Hæc ſanè recentia facile obediunt cõctioni. Diu uerò aſſeruata, nedum concoctioni pertinacia ſunt, ſed prauorum progignentia ſuccorum, ob quam rem dixit Galenus tertio, de facultatibus alimentorum, capite uigeſimo primo, uerbum hoc. Recentium porrò ouorum ad uetera non mediocris eſt differentia, quippe optima ſunt recentiſsima, peſſima perquandiu aſſeruata. Non ſint oua, quæ ei largimur cocta, ſeu dura, ob id Galeni uerbum eodem in loco. Cocta, ſeu dura difficilis ſunt concoctionis, & tardi tranſitus, craſſamq; alimoniam corpori exhibent, quæ ſanè cerebro, & neruis nocua eſt. Porrò ſint tremula atque ſorbilia, quæ ei admittimus oua, dicente Galeno ut ſupra. Tremula, molliaue oua omnium bellisſime nutriunt.

Nempe in aqua decocta ſint, quæ acceperit oua, ob id quod feruentibus cineribus aſſata, longe tardioris ſunt

meatus, & craſſioris ſucci. Quippe quæ in ſartagine condimento parantur, longius diſtent à comuni eſu D. S. ob illud uerbum Galeni ut ſupra. Quæ uerò in ſartagine ad craſſitiem uſque friguntur oua, deterrimi omnino ſunt alimenti, dum namq; concoquuntur nidorem, ac fumum edunt, ſuccuſque ex his prognatus, non ſolum craſſus, uerum etiam prauus, & excrementitius eſt. &c.

LAC.

LAc numerandum eſſe inter cibos, qui ab animalibus proficiſcuntur, compertum eſt à Galeno, libro tertio de potentiis alimentorum, capite decimo quarto, & in libro de cibis boni, & mali ſucci. Quòd ſi D. S. capiti attendamus, dubio procul lac ei denegabimus iuxta illud Galeni quinto aphoriſmorum, commento ſexageſimo quarto. Lac uerò quod benè concoquitur, nutrit, & bonos facit humores, & dum concoquitur his pariter attollit ilia, & caput tangit.

CASEVS.

SErmo eſt Galeni tertio, de potentiis alimentorum capite decimo ſexto, Caſeum ex iniecto lacti coagulo formari. Quippe dum formatur acrimoniam accipit, totamque humiditatem relinquit. Porrò magis eo inueterato creſcit acrimonia, & is calidior, atque urentior redditur, concoctionique contumatior, & deterrimi alimenti procreator. Quam ob rem à tota rei natura D. S. Caſeum minime dandum putamus. Quippe & ſi facultatis attenuatoriæ craſſorum corporis humorum caſeus ſit, plus porrò damni ex ſucci prauitate, & æſtuanti feruore infert, quam craſſorum attenuatio prodeſſe poſſit, ſanè igitur cum omnium caſeorum hoc comune uitium eſſe ſoleat, D. S. omnem pernegabimus caſeum. &c.

BVTYRVM.

CVm ex eo quod in lacte pinguiſſimum eſt, butyrum progignatur, atque leniendi facultatem ſibi conducat, &

cat,& molliendi,concoquendi,reſoluendique uim habeat, auctore Galeno decimo ſimplicium medicamentorum capite undecimo, forte fortuna. D. S. butyrum darem,quia concoquendi & reſoluendi facultatem tenet. Porrò quia leniendi, & molliendi uim habet,butyrum ei denegarem, at quoniam butyri facultas leniẽdi intra corpus opus ſuũ efficit, concoquendi uerò & reſoluendi extra auderem D. S. butyrum denegare. Quòd ſi ingenti butyri deſiderio afficeretur, butyrum elotum aqua hyſſopi,uel ſaluiæ modeſtè non denegarem. &c.

OLERA.

QVæ ex oleribus eſitare debet, porrò excalfacientia, atque exſiccantia ſint. Qualia ſunt hyſſopus, menta, calamentum, fœniculus, ſiſimbrium, ſaluia, betonica, & ſimilia. Hæc enim craſſos, frigidos, & hærentes humores attenuant, & abſtergunt. Sint porrò procul à D. S. quæ ſunt frigidæ, & humidæ temperaturæ olera. Qualia ſunt lactuca, endiuia, beta, ſpinachia, & huiuſmodi. & cet.

TERRAE BVLBI.

NEmpe terræ bulbos cauere debet, qui mordaci acrimonia præditi ſunt, Quippe tangunt caput, & neruos pungunt,Qualia cæpe, allia,aſcaloniæ, & ſimilia,acriũ porrò omnium uſus à D.S.euitandus eſt, cum facultatem quandam alendi corporis obſcuriſſimam habent, auctore Galeno ſecundo, ſimplicium pharmacorum, capite ultimo, & in libro de cibis boni,& mali ſucci.Sed dicet quiſpiam,cum acria omnia admodum facultate prædita ſunt, ut corpus excalfaciant, & craſſos in eo humores extenuẽt, glutinoſoſque incidant, ut eſt Galeni ſermo eodem in loco,indubitato ea innocua paralyſi,uel ſtupori cenſendum uidetur, potiſſimum quippe, cum ab illis oriantur humoribus, ut in primo, de ſymptomatum cauſis dixit Galenus cui dicimus ea ſui mordaci acrimonia, & alimoniæ,

obſcuritate plus corpori noxia eſſe, quàm eidem imperio facultatis attenuandi, atque incidendi, excalfaciendique poſſe prodeſſe.

FRVCTVS.

DE fructibus, quibus homines ueſcuntur, hos quidem Horarios Priſci appellitant, qui in anni hora naſcuntur. Anni horam uocantes id tempus, in cuius medio canicula exoritur, auctore Galeno ſecundo, facultatis alimentorum, capite ſecundo. Porrò hos quidem terræ fructus nũcuparunt. Quales ſunt cucurbitæ, mellones, pepones, cucumeres, & huiuſmodi: Qui cum gelidæ, & humidæ ſint conſiſtentiæ, atq; larga humiditate affecti, nedum humidam progignunt alimoniam, at exiguam, facileq; è corpore excernibilem, ut Galenus dicere audeat, id genus omnia uitioſo ſucco notata. Quam ob rem cum D.S. morbi cauſa incrementum ſuſcipiat, è gelida, humidaq; temperatura, non ab re S. D. fructus huiuſcemodi longè fugiendos putarem.

Eos uerò, quos arboreos fructus appellitant, qui hominum cibos adiuuant, auctore Galeno ſecundo alimentorũ capite ſeptimo, à tota ipſius rei natura D. S. eſu non dabimus, ii enim, quorum mollis, atq; humida eſt conſiſtẽtia, nedum tenuem, humidamq; ex ſe alimoniam corpori afferunt, uerum & flatuoſam, cerebro, & paralyſi nocuam procreant, quales ſunt ficus, pira, mala, perſica, armeniaca, ceraſa, pruna, & huiuſmodi. Porrò ſi ut pueri uoraci appetẽtia pulſi D. S. quempiam horum cuperet, maturas ficus, ueluti minus nocuas ei tradere iuberem, minus namque praui ſucci adgenerant, omnibus his, qui fugaces, & autũnales uocantur fructus, & ſi penitus huius uitii non immunes reddantur ficus, auctore Galeno ſecundo alimentorum, capite octauo. Porrò arbitror ſi ficus permaturæ ſiccitate parentur, hyſſopo, ſampſuco, & mellis paululo, in uaſculo ad hybernum tempus condiantur, recondanturque D. S. Idoneum ſanè edulium erit, Nam abſtergen

di,

di, attenuandique ui pollent, peridonea neruorum reſolutioni, & ſtupori.

Cæterum poma, & pira feruentibus cineribus cocta, nõnunquam eſitare poterit, excalfaciens enim ignis nedum humidum nocuum minuit, uerum & flatuoſum ſpiritum ſenſim excernit, ſoluitque. Quippe ſi hyſſopi pulueribus, addito zuccharo ſuperaſperſos fructus coctos edat, eſcam ei non admodum nocuam eſſe, nullus dubitabit. &cet.

Verum enimuerò cum ſolidæ conſiſtentiæ fructus adfuerint: qui adſtringente ui admodum pollent, eos certè D. S. concedere minime auderem. Quales ſunt, cydonia, meſpila, ſorba, nuces, & huiuſmodi, ii porrò nedum in tranſeundo tardi ſunt, uerum craſſum, glutinoſum, adſtringentemque ſuccum progignunt. S. D. omnino nocuum.

At qui huius adſtrictoriæ facultatis dulces amigdalæ nihil ſortitæ ſunt. Quippe abſtergendi, & extenuandi ui pollent, Quo fit, ut S. D. Idonea eſca comprobetur, At neque caput grauabunt, ſi poſt earum corticis ablationem tribus in calida aqua horis permanſerint.

Nuces auellanæ porrò adſtringentis qualitatis ui pollent, auctore Galeno ſecundo alimentorum, capite. XXVIII. Quo fit, ut nedum hæ, & iuglandes nuces ei eſca efficiatur nocua, uerum fluctiones deſuper mouentes, difficilem reddunt animalem facultatem. &c.

LEGVMINA.

OB id, quod legumina nulla gratia, nullaque iucunditate commẽdantur, quippe & flatibus uentres admodum implent, auctore Galeno primo, de potentiis alimẽtorum ea proculdubio D. S. cuiuſuis generis paratus adfuerint, ingratas eſcas pronũtiabo. At ſi laborantis inordinata appetẽtia ad eorũ eſum cogeret, plerũque cicerũ rubeorũ iuſculũ ſorbere iuberẽ, qđ haud putamus admodũ inutile, potiſſimũ ſi hyſſopi, ſaluiæ, atque maioranæ condimẽto

paretur

paretur. Nempe hoc modo paratum iuſculum attenuandi, & abſtergendi craſſos, & glutinoſos humores, atque eorum meatus obſtructos aperiendi ui pollet D. S. certè peridoneum. &c.

MOTIO.

HVmani corporis excogitata dimotio, non ſolum ad ſanitatis tutelam, uerum & ad bonam corporis habitudinem neceſſarium eſſe Priſci omnes prædicarunt, auctore Galeno libro primo, de tuenda ſanitate. Porrò igitur ut D. S. bonam reparet ualetudinem, præcipere oportet, ut corporis motione, atque exercitatione gubernetur, at quoniam non leue incommodum nonnullis accidit, cum repleti cibosè exercitant, ut Galenus ſexto, de tuenda ſanitate dixit, Non ab re, eam pleno uentre exercitari nollem, ea inquam motione uáporibus plerumque impletur caput, fluxiones deſuper cadentes ad motionis inſtrumenta progignentibus. S. D. noxias. Potiſſimum igitur eius exercitatio ſit ante cibum, nihil tamen quin & poſt cibum. Quippe ante cibum, quoniam ea uirium corporis robur augere ſolet, auctore Galeno ſexto de locis affectis, capite ſexto, ea etiam exiguos meatus expurgat, & excrementa pellit, Et ob hoc dixit Galenus ſecundo, de ſanitatis tutela, uerbum hoc utilius eſt ante cibum exercitationem adhibere. &c.

Cæterum & poſt cibum non omni hora exercitationi ſubmittatur, quoniam tempus ad exercitationem commodiſſimum, dixit Galenus ſecundo, de tuenda ſanitate eſt, cum externus cibus duplici concoctione iam prorſus ſit confectus, & ea, quæ in uentre, & ea quæ in uaſis ſanguinis agitur, ac iam denuo cibandi tempus inſtet. Quòd ſi aut prius, aut poſterius exercitatione utere, aut crudis hominem impleueris, aut pallidæ bilis prouentum auxeris.

Nempe ut Galenus ſexto, de tuenda ſanitate ait, exercitationes, quæ poſt cibum fiunt, quàm maxime eas lentas

eſſe expedit, ut haud celerius quàm oportet membris cibus rapiatur. Illas namque, quæ ante cibum fiunt, magis citas eſſe oportet, ut quæ cauitates ſuperflua implent natura exercitatione in uigore conſiſtente ualentius deiiciantur, hoc permaximè D. S. idoneum: Quippe non has citas eſſe expedit, quales feſtinabundi uſurpamus, opere aliquo urgente, quia deſuper fluxioni crementum afferunt, D. S. aduerſum. Cæterum ad has quidem exercitationes corporis frictiones adhibere ſoleo, ut leuibus frictionibus, quæ extrinſecus fiunt, ea rapiantur; quæ in intimis neruorum locis ſuperflua conſiſtunt.

SOMNVS.

SI ambo ſomnum uidelicet, & uigiliam coniectari uoluero; hæc ſanè fieri ſecundum innati caloris motiones comperiam, auctore Galeno ſecundo, aphoriſmorum cõmento primo, ſomnum quidem ad intima corporis, uigiliam uerò ad exteriora, natiuo calore promoto. Quam obrem cum in ſomno multo natiuo calore ad intima uocato, ex halitibus multa quantitas capiti ingeratur, quibus fluxiones ad cauitates membrorum conducuntur, ut Galenus ſenſit. Idcirco nollem D. S. multo gaudere ſomno, At cum incremento deſuper fluxionis ex diuturno ſomno, cauſa difficultatis ſenſus, & motionis concreſcat. Non ab re ipſam diuturno ſomno priuandam eſſe crediderim.

Porrò cum in uigilia ſpiritus à corde ad corporis particulas diflent, craſſos, ac glutinoſos humores in cauitatibus ingeſtos, conſocio calore, attenuant, atque diſrumpunt, ob id eam maiori temporis interuallo uigilia lætari uelim, Quo fit, ut ſi uetuſtam multi ſomni aſſuetudinem poſſideret, ſenſim negligat, & perdat, ſeruato Galeni præcepto ſecundo aphoriſmorum, commento L.

GAVDIVM.

CVm nimio gaudio animata facultas ad exteriora feratur, ſi quid antea ei adfuerit roboris. Dum exteriora

petit,

petit, diſcutitur, atque diſsipatur, ut nonnulli ſupra modum puſillanimes repente moriantur, auctore Galeno ſecundo, de ſymptomatum cauſis. Propterea gaudeat D. S. gaudio moderato, porrò eo non ita ualido motu, ac feruore fertur animata facultas, ad exteriora, ut exoluatur, laxeturq́. Quippe ſi quid ei roboris antea fuit, id detinet, ut delegato ſpiritu à corde ad membra calore conſocio pituitoſas humiditates neruorum cauitates obſtruentes, dirumpat, atque exoluat, peridoneum D. S. Sed ecōtrario mæſtitiam cauere debet, Nam ea reuocante ſpiritum, & calorem ad cor, exteriora algeſcunt membra. Quod D. S. pernocuum eſt.

REPLETIO.

NEminem admirari uelim, ſi uitioſam ciborum, atq́ potuum ſacietatem, & malorum ſuccorum ſimplici uerbo damnari dignoſcet. Sanè cogor id fateri Galeni uerbo primo aphoriſmorum, commento tertio, ubi ait, cum enim uaſa cibis, & potibus fuerint ſupramodum repleta, periculum eſt, ne diſrumpātur, aut calor natiuus ſuffocetur, & extinguatur, Quo fit, cum in D. S. timor adſit ex multa ſacietate de ingenti capitis grauitate, & neruorum maiori cauitatum obſtructione, adeo, ut eorum facultas animalis perdatur. Proinde D. S. uictus ratione ſeipſam parcè gubernet, peridoneum enim eſt paralyticis, & ſtupidis, nempe moderatè uentres inanire cogatur, aut cibi, & potus parſimonia, aut ſenſim cum purgatorii medicamenti euacuatione. Vnde fiet, ut in ſentiendo, mouendoq́ membra humorum abundantia non grauentur, quod facultati animali peridoneum. &c.

MEDICATIO PER POTIONEM.

CVm iam à nobis oſtenſum ſit, quali uictus ratione, Reuerendisſimus Dominus uti debeat, Alterā rem nunc aggrediar. Quam morbi profligandi facultatem libro primo de ſanitatis tutela Galenus appellat. Nempe quoniam

eius

eius morbus diutinus eſt, ut & plerique morbi longi, ob craſſos, lentos, ac frigidos fiet humores. Quo fit, ut non facile concoqui poſsint, ut Galeni uerbum eſt, ſecundo aphoriſmorum, commento decimo nono. Quippe & in patientibus partibus impacti ſunt, atque agglutinati, ita quod eorum diſpoſitiones magis præ duris tumoribus, quã inflãmationibus aſsimilantur, ut Galenus eodem ſenſit in loco. Idcirco curationis modus affectionis D. S. Eadem medicari die, ueluti in acutis morbis, non expedit, non modo enim irrationalis, uerum & fallax, atque periculoſus eſt, auctore Galeno primo aphoriſmorum, commẽto uigeſimo ſecundo. Quo fit, ut ſen ſim huiuſcemodi affectum medicari operepreciũ ſit, tum altero die morbi cauſam concoquendo, tum concoctum deiiciendo, ueluti edocuit nos Galenus, primo aphoriſmorũ, commento uigeſimo quarto, & ſecundo, commento nono.

Sanè igitur nullo porrò ductus errore mihi ſuadeo. D. S. binis medicationibus per anni temporis ſpacium, medicari oportere. Vna uernali, altera uero autumnali tempore initiantibus. Quippè huiuſmodi medicationes præcauentes erunt morbum, qui futurus eſt, atq; curantes illum, qui iam imminet, ut præcauendi, at curandi morbum eodem ſcopo amplectar. At quia à doctis & peroptimè expertis D. S. medicis, tot & tanta morbi præſidia. D. S. oblata ſunt, tum ad morbi initium, tum ad eius proceſſum, mente repoſta, ut ferè in morbi D. S. profligatione nihil remanſerit, ſuper quod, & ratiocinari, & experiri poſsim. Attamen, ut boni, & pleni coqui fungar officio, pro huius Reuerendiſsimi Domini benèmerita ſanitate: ſic loquar.

Initio igitur ueris pereunte D. S. medicamentis purgari iubeo, porrò purgationibus peridoneum id tempus eſt, auctore Gale. in libro de ſanguinis miſsione. Verũ quoniã Hipp. nos edocuit. ii. aphoriſmorum, com. IX. & Galenus. I. aphoriſmorũ, com. XXIIII. Vbi uidelicet quis corpora pur-

gare uoluerit, oportet fluida facere, mihi nempe aſſuetudo eſt fluidum in primis corpus efficere, medicamento à latioribus uiis excrementa eiiciente, ne à prauis eorum flatibus principalium uires offendantur, atque hæ imbecilliores effectæ proximam morbi cauſam, conſocio adhuc calore concoquere nequeant, Demum & id quotidianis ſorbitionibus exequor, quibus paralyſis, uel ſtuporis cauſa concoquitur, atque animalia membra corroborantur.

Primum igitur deuoret D. S. ueſperi, priuſquã uentriculum impleat, quod ſequitur:

Floridæ caſſiæ recenter eductæ drachmas decem accipito, betonicæ in ſubtilem puluerem ductæ drachmam unã, & mediam, & miſceto, & bolum conficito, & uorandum dato.

Altero uero ſuccedente die, priuſquã ſolis ortus ad nos pertingat, antidotum hanc admodum commodam, atque ſeptem non intermittentibus diebus epotam, ac tepidam tribues: craſſos nempe, ac glutinoſos, frigidoſque humores concoquit, attenuat, & diſrumpit, Quippe & obſtructa neruorum orificia aperit, & hoc ſentiendi, & mouendi facultatem admodum iuuat. &c.

SYRVPVS.

RECIP. Radicum acori, ſtæcados, herbæ paralyſis, ſatureiæ, maioranæ, ſaluiæ, camedryos, chamepityos, calamenti, mentaſtri, origani, de quolibet quantum manus capere poteſt, ex his ſufficienter coctis cum melle fiat ſyrupus. Demum cinnamomi, gariophyllorum, cubebarum, nucis myriſticæ, ſem. pæoniæ, piperis nigri, piperis longi, calami aromatici, croci, ſpicæ, aniſorum drachmam, unam accipito, & in ſubtilem puluerem conducito, ac in panno lineo raro ligato, & cum ſyrupo ebulito, & forti preſſione colato, Eo igitur ſic utere. Syrupi dicti unciam unam & mediam accipito. Syrupi roſati unciam mediam cum aquis ſaluiæ, betonicæ, boraginis, de qualibet unciam unã permiſceto,

permiſceto, & potandum dato.

Sed ubi aluus adſtricta eſſet, his diebus, quibus morbi cauſa concoquitur quotidiano utatur clyſteri, uacuo uentriculo.

CLYSTERE.

MErcurialis, maluæ, uiole purpureæ, betæ, centaureæ minoris, furfuris craſſi, Manipul. I. corticum agarici in lineo panno ligatarum unciam mediam accipito, ebulitoque. Decocti uncias decem ſumito, illi addito olei rutacei uncias tres, mellis roſati, uncias duas, uitellum oui unum, de ſale, & zucchaxo quo ad expedit, & clyſterium imponatur.

Cæterum octaua die ſanè indiciis concoctionis apparentibus priuſquã nox è tenebris ad lucem uertatur, tali medicamento purgetur. &c.

PVRGATORIVM.

REcip. Acori, ſtæcados arabici, unciam unam, paſſularum, radicum fœniculi, petroſelini, de quolibet unciam mediam, centaureæ minoris. Hermodactilorum, de quolibet drachmas tres, colocynthidos, drachmas duas, agarici unciam mediam, Turbith drachmas duas, ſcamoneæ correctæ, ſcropulos quattuor, piperis longi, de quolibet drachmam mediam. Reubarbari drachmas duas, & cum melle quod ſufficit, arte non errante, conducatur ellectuarium.

Vtere ſic. Diacatholiconis drachmas ſex, ellectuarii roſati meſue, drachmam unam, ellectuarii dicti drachmas duas, accipito, & in aqua coctionis hyſſopi, ſaluiæ, & roſarum omnia eliquato, & potui dato.

Eo porrò die, uictu regatur, madidi panis in pullæ iuſculo decoctionis hyſſopi, & ſaluiæ, modicumq; pullæ carnis eſitando, mane, atque ueſperi.

Cæterum eo temporis interuallo, quo totum uernale tempus finietur, duobus cuiuslibet ſeptimanæ diebus ua-

cuo uentriculo iuberem D.S. ingredi balneum ſequens. &c

BALNEVM.

Betonicam, iuam, ſaluiam, hyſſopum, ſampſucum, calamentum, ſtæcadem, chamæmelum, roſmarinum, pæoniam, de quolibet manipulos duos, accipito, canem rubeũ pinguem infra annum, excorticatum, & euiſceratum unũ. Sulphuris uiui uncias quattuor ſumito, ac unà omnia ſimul in oleo comuni imponito, talis nempe quantitatis oleum ſit, ut cane cocto ad carnium conſumptionem, olei reſiduum pro balneo expediens ſit.

Cum uero D. S. balneum exierit calidum, confeſtim tota dorſi ſpina, & omnes læſæ partes dextræ ſuccedente unguento ungantur. Et uulpina pelle D. S. inuoluta lectum ingrediatur calidum, ſpacio temporis trium horarum. Dum immediatè cum exit balneum, ſequentem bolum ingurgitet. Mitridati, drachmam unam, zucchari roſati, drachmam unam, & mediam accipito, & bolum facito. Demum cum exit lectum non ad ſaturitatem edat, bibatq́. & cet.

VNGVENTVM.

Anſerem unum uiuum, ſuper annos duos, depilatum, euiſceratum, interiuſuè lotum cum uino meraciore, accipito, In cuius aluo mediam uulpem pinguem, excorticatam, & medium gallum utrumque cum oſſibus ultimo tritum imponito. Quibus adde terbentinæ unciam unam, ſerapini, reſinæ pini, caſtorei de quolibet unciam mediam, bdelii unciam unam, & mediam. Vermium terreſtrium exſiccatorum unciam unam, ſaluiæ domeſticæ, roriſmarini, granorum iuniperi, de quolibet manipulum unum, omnia quippe hæc in Anſeris aluo ſuantur, & in ueru coquantur, apud ignem ex lignis lauri, iuniperi, cupreſſi, & uitis. Quod primo exhibit aqua eſt, proiiciatur, reſiduum uerò colligatur, & ex eo cum

cera.

cæra citrina quo ad expedit, unguentum molle conficito, & uſui ſeruato.

Nempe conſulo D. S. temporibus, quibus his medicamentis ſubiicitur, perutile ſibi erit, ſi bis in menſe ante diluculum ſorbeat quod ſequitur.

Ellectuarii iam ſcripti, drachmas duas, & mediam accipito, id ſolue in aqua calida, & dato.

BALNEA.

NEmpe uenio interrogandus, ſi priuſquã tempus uernale terminum ſuum poſſideat, nonnullæ in Italia thermæ D. S. idoneæ ſint. Huic dicere auderem, ſi præceptis ſalutaribus Galeni, & Auicennæ aſſentire cupiam: Quæ ex naturali minera ſulphurea aquæ ſcaturiunt, indubitato ei peridoneæ ſunt, quippe his exquiſitè peractis, illis uerò ſeruatis, quæ ipſi, & ſimili aquæ obſeruiunt, congruuntque. Igitur intrepida fronte iubeo, priuſquam uernale tempus à nobis effugiat D. S. huiuſcemodi ſulphureas thermas aggredi, ob craſſos, & glutinoſos humores in cauis neruorum obſeratos, quorum exquiſitum remedium eſt eos deſtruere, & conſumere. Porrò hoc fit per attenuantia, & abſtergentia medicamenta, atque exſiccantia, auctore Galeno ſeptimo, de compo. med. s. l. capite tertio. Quale eſt ſulphur, ut dixit Galenus nono, ſimplicium medicamentorum. Ob quam rem, quæ ſulphuris uires ſapiunt, medicamenta D. S. peridonea eſſe non ambigo. Verum & ſi thermæ aluminis, atque nitri ſaliſque quadam facultate pollerent. Dum earum ſulphuris potentia uigeat, eas indubitatò paralyticis conuenire fateor. Quibus craſſæ, atque abundantis humiditatis exſiccatio, ſalutare remedium exiſtit. Quippe & hæc exſiccante ui maximè pollent, ex Galeno quarto, de compoſitione medicamentorum per genera, capite primo, & tertio, capite ſecundo, & Auicenna ſecundo, canone, capite quinquageſimo nono.

Nempe.

Nempe non dico epotam thermarum aquam. D. S. iuuamentum præſtare, ob id, quod de ſuper fluxione promota, totius corporis membra grauari poterunt. Cum ea aqua cerebri pituitoſas humiditates attenuans, eas fluxioni magis aptas parabit, Quippe & iecoris caliditate conſocia, quæ ex aquæ caliditate aucta, tanget cerebrum, atque fluctioni incrementum addens.

Verum eam aquam ad contexturam coronalem ab alto cadentem ualentius ſuſcipere iubeo. Quo fit, ut fluxioni fouenti, quod iam uetuſtum eſt, ſalutare remedium conducatur. Eo enim occurſu quod frigidum eſt, calido alterabitur, & concoquetur, quod craſſum attenuabitur, atque capitis uires roborabuntur, ut pituitoſum humorem non progignant, procreatumque ſoluant, Quo fit, ut à fluctione animalis facultatis organa libera, non grauentur. Qualia ſunt balnea de Abano, & Sanctæ Helenæ Patauina. At nempe lutoſa balnea, orthonenſia Patauina, poſt embrocham ualentius cõferre proculdubio aſſeuero, cum ex aperta eorum temperatura, ac experientia comper tum ſit admodum ualere.

In comitatu Lucano Balnea de Corſeno peroptima ſunt. In comitatu Senenſi Balnea Pitrioli, Balnea Sancti Philippi, mirabile attulerunt iuuamentum, non modo ad D. S. morbum principalem, uerum & ad colicas affectiones, quas D. S. pati aſſueta eſt, Quarum cauſam arbitror eſſe ſpiritum flatuoſum, à pituita deſuper defluente ortum, quæ imbecilli uentriculi, ac alui facultate in ipſum flatuoſum ſpiritum facile uertitur.

Ob errata, quæ in uictus ratione contingunt, non modo morbi fiunt, uerum & à temporibus, quorum naturæ, atque mutationes morborum naturis affines ſunt, ut dixit Galenus tertio aphoriſmorum, commento decimo nono. Igitur, cum hyberno tempore cerebri affectiones uigere ſoleant, auctore Hippocrate tertio aphoriſmorum

uige-

uigeſimo tertio. Non ab re autumno procedente D. S. ex integro purgatoriis uti medicamentis, ut ab initio curationis expoſui facile iuberem. Quam ob rem, cum autumni tempus aderit, eam ſeptenis inſcriptis ſorbitionibus haudquaquã intermittente die, priuſquã nobis ſol eluceſcat, uti uelim, &c.

SYRVPVS.

Syrupi iam dicti unciam unam, oximellitis, mellis roſati colati, unciam mediam accipito, quibus permiſceto aquæ chamæpythios, ſaluiæ, hyſſopi, de qualibet unciam unam, & potui dato. &c.

PVRGATORIVM.

Caeterum cum coctionis indicia apparuerint, ſic purgato: Electuarii ante ſcripti drachmas duas, electuarii indi maioris drachmam unam. Diacatholiconis, drachmas ſex accipito, ac cum aqua coctionis ſaluiæ, hyſſopi, betonicæ, & maioranæ potum conficito, & ante lucem exhibeto.

Hyberno nempe tempore procedente, quod experientia frequentius didici, id D.S. ſalutare præſidium eſſe non ambigo: uidelicet ſi octo dierum temporis interuallo. Terebintinam bis aſſumpſerit non impleto uentriculo D.S. menſura quattuor ſit drachmarum. Didici hoc à Galeno, libro quinto, de tuenda ſanitate ubi ait. Similiter & terebinthi reſina, ſumitur autem ea aliquando nucis ponticæ magnitudine, aliquando duarum triumue. Quippe non modo aluum ſoluere citra noxam poteſt, ſed etiam uiſcera omnia, iecur, lienem, renes pulmonemque abſtergere.

Quod autem mihi familiare auxilium in paralyſi, ſtupore, neruorum mollitie, ac in præcauendo à caſu in epilepſiam, & apoplexiam, eſt, ſi quolibet mane patiens utatur, & ueſperi aqua, quam modo deſcribimus.

Radicum acori lib.ii. pæoniæ libram mediam. Galangæ, zedoarii, de quolibet unciam unam, & mediam, chamæpythios,

thios,centaureæ minoris,ſaluiæ domeſticæ,maioranæ, ſtæ-cados,betonicæ,roriſmarini,pulegii,calamenti,polypodii, polii,folii,de quolibet manipulum unum, roſarum rubearum, granorum mirthi, de quolibet manipulum mediũ, omnia hæc craſſo modo terantur, atque in libris ducentum uini albi potentis,& odoriferi infundantur ſpacio tẽporis dierum trium.Demum uinum coletur, uiolenta, & forti facta expreſſione. Cæterum uinũ in alembico uitreo ponatur, & diſtilletur aqua, cui addere debes nucis myriſticæ,macis,gariophyllorum,cinnamomi,de quolibet craſſo modo rupto uncias duas, trahe moram per diem naturalem, demum iterato per alembicum diſtilla aquam, & tertio,quarto,& quinto, uſque ad nonam diſtillationem, eandem diſtillabis aquam,remanenti uerò aquæ,nona diſtillatione peracta,permiſceto,foliorum auri numero centum,foliorum argenti optimi,numero quinquaginta,omnium fragmentorum, de quolibet, drachmas duas,margaritarum, unciam mediam, omnia terenda in ſubtiliſſimũ conduces puluerem,& iterato uicibus duabus eandem diſtillabis aquam. Vltimo uerò diſtillatam cum moſco, & ambra aromatizabis,& ſic diuinum elyſir uitæ ex mei officina habebis,cui uolo. D. S. tantam adhibere fidem,ut omnino ab ea ſanari habeat, & à futuro longè deteriore caſu prohiberi.

Modus uſus elyſir uitæ eſt,manè & ueſperi, priuſquam uentrem impleat, diluat ſibi cum modica illius quantitate totam dorſi ſpinam,à prima colli uertebra initium capiendo, demum totam partem læſam, parcè diluendo procedat.

Præterea per tres,ante cibum matutinum horas ſorbeat potum hunc. Aquæ ſaluiæ,aquæ endiuiæ, de quolibet unciam mediam, Elyſir uitæ guttas quinque miſce, & potui dato. & cet.

Poſtremo uenirem ego interrogandus; ſi quippe his, quæ

quæ prædiximus, nullum apertè iuuamentum laboranti ſuccedat, an aliquam illius corporis particulam urere idoneum ſit.

Neminem ambigere uellem opus illud, quod urendo manu poſita à nobis efficitur, poſtremum medicinæ priſci appellitant. Porrò igitur ſi his, quæ in uictus ratione præcedente ſermone conſcripta ſunt, nullum D.S. præſidium palàm concapeſcat; minuſque his medicamentorum potionibus indubitatò iubeo duas, uel alteram earum particulas urere peridoneum fore. Quippe ſit prima uſtio in contextura coronali fabricata. Altera porrò circa primam, uel ſecundam colli uertebram. Addo quod à me expertum, & peridoneum inuentum eſt, ſi deorſum in cruribus à genu ſanè diſtanter ſpacio digitorum quinque, inter duos illius muſculos, cauterium conducatur, Nempe his humores qui neruoſas partes occupant ad exteriora deriuantur, atque euacuantur. Intrepida igitur mente hortor, admoneoque D. S. huiuſcemodi medicamento fatigari debere ob eius utilitates, atque laudes, quas ei Galenus ſexto Epidimiarum libro, & Auicenna quarta primi conceſſere.

Ad illius bene merentis gloriam, qui nos gubernat, & cuſtodit. & cet

FINIS.

Benedictus Victorius Fauentinus, ſic dixit: Anno Chriſti M. D. XXXV. Die tertia Februarii ex Gymnaſio Patauino.

AD CATARRHVM, ET PODAGRAM,
Pro Reuerendisſimo Domino Vorſio Epiſcopo Aquenſi,

Conſilium XI.

REuerendisſimus Dominus Vorſius Natione Burgundus Sãctæ Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus Aquenſis meritisſimus, Cum totius ſui corporis temperatura bilioſa, ut illius habitudo corporis indicat, & epatis caliditate, cum ſubdominio ſiccitatis, & cum caliditate renum ei occurrente, atque cerebri calida, & humida temperie, unà cum uentriculi frigida, & humida natura ſorte mala pluribus corripitur affectionibus, quibus ſi ipſum corpus nolueris dicere ægrum, certè corpus ſanum culpatè ipſum appellare poteris. Quo fit, ut Reuerenda ſua Dominatio, propter aptitudinem quã tenet, ut facile cadat in morbum, plus nunc eget præſeruatione à futuris morbis, quàm præſentium morborum curatione. Nos autem arte noſtra ipſum præſeruabimus ne cadat, & ſi forte fortuna in ſibi aſſuetos morbos ceciderit, eum dei gratia optimis & ſalutaribus præſidiis ſubleuabimus.

Corripitur igitur primo Dominatio ſua Reuerendiſsima catarrho, quoniam defluxu tenetur multorum humorum per foramina palati, qui deſcendentes ſubiecta loca malè afficiunt, ut ait Galenus, in libro de diffinitionibus medicis. Dixit quoque Galenus quarto aphoriſmorum, commento trigeſimo ſecundo, à capite defluxiones, cum ad aliquam particulam decumbunt, dolorem efficere, ob has igitur à capite defluxiones, non debet admirari Dominatio ſua, ſi in pluribus ſui corporis mẽbris dolor perficiatur. Corpora enim catarrhoſa prona ſunt ferè ad omnia

morborum

morborum genera,ſecundum quod in uariis membris catarrhus ille decumbit, nam ſi ad naſum, & in eo firmetur, facit puſtulas in eo,& ulcera, & polypum · ſi uero ad oculos, lachrimas, pruriginem, ruborem, ophthalmiam, & alias oculorum ægritudines,ut expo ſtulat natura, & qualitas materiæ fluentis. Si ad aures, ſurditatem, & fortem progignit dolorem,ſi ad maxillas,dolorem dentium,apoſtema,& inflationem conducit,ſi ad linguam, inflationem in ea,& paralyſim facit. Si ad Vuulam,inflationem,& apoſtema. Si ad iuncturas, omnes ſpecies podagrarum,& artetici doloris admouet,·& ſic omnium aliorum membrorũ, genera morborum facit,ſecundum quod in illis fluxio decumbit à capite. Sermonem iſtum habeo à Galeno tertio, de ſymptomatum cauſis,capite quarto, & in libro de inæquali intemperie,& in ſexto · de tuenda ſanitate, & ſecundum quod capitis intemperamentum quantum, & quale fuerit, eius fluxio ad ſubiecta membra, tanta, & talis erit, quo fit,ut fluxio affligat ſubiecta mebra & quantitate ſui, atq; qualitatè,quãtitate quidẽ ut in maiorẽ molem reddat mẽbrũ,qualitate autẽ, ut ipſum efficiat calidius, uel frigidius.Cũ intẽperies capitis ſuæ Dñationis ad maius humidũ declinet,quam ad calidũ,hoc ideo erit, ut maior fluxio ad ſubiecta membra fiat, & in illis cauſabitur dolor grauans à ſuperabundanti humido, & punctorius, minor tamen ob capitis temperamentum minus fore calidum,quã humidum. Non erit igitur caput D.S. oppreſſum catarrho ſimpliciter calido, & acuto, propter humidum abundans, acumen caloris ebetans, atque obtundens,& non erit ſimpliciter frigidus ob eius temperaturam calidam, & duorum membrorum principalium epatis ſcilicet & cordis a quibus etiam comunicatur caliditas cerebro,& eius ſuper fluitates quid caloris ab eo recipiant, aliquid ergo frigiditatis in natura cerebrum obtinet, quoniam plus humidũ, & dixit Princeps doctrina de complexionibus.Et Galenus

in libro ſuorum elementorum, & ſecundo de temperaturis, quod humiditas magis, quam oportet aſſociat ſibi frigiditatem maiorem, certè igitur ſuæ Dominationis cerebrum magis calidum eſt, quã frigidum, quoniam frigiditatem habet, non per ſui naturam, ſed per humidum abũdans, & propter hoc eius catarrhus commixtus erit ex calido & frigido, calido quidem in tenuioribus eius partibus, quæ ſedem habent in ſuperficie catarrhi, hoc enim exemplo in S. D. oſtendimus. Tenetur enim aliquando ardore, & pruritu, & mordacitate palati & partium gulæ: ii namq; effectus caloris ſunt, & quoniam ſunt in ſuperficie patientium mẽbrorum, ſignificatur tenues partes catarrhi, quæ ſunt in eius ſuperficie, calore fore affectas. Idem quoque cognouimus, Dum Dominatio ſua corripitur dolore artuum, ubi in his, ſuperficietenus apparet rubedo cum calore, & in intimis eorum grauedo & tumor apparent, quæ tunc perſiſtunt, iam abolito calore, & rubore. Indicat autẽ hoc materiam facientem tumorem, & grauedinem frigidam fore, & in intimis membri recluſam. Quo fit, ut catarrhus D. S. intrinſecus habeat partes frigidas, in ſuperficie uerò calidas, & non ſperno idem quoad diuerſa calidum eſſe, & frigidum.

Nempe D. S. catarrhus tria cauſarum genera obtinet, uidelicet, genus cauſæ procatharticæ, & præcedentis, & continentis. Procatharticæ quidem, quam primitiuam cauſam dicunt neoterici, & eſt indebita uictus ratio in omnibus rebus, quibus de neceſſitate noſtra corpora alterantur, ut dixit Galenus, tertio artis medicinalis, ut aer, & quæ ei annectuntur, ab aere enim neceſſario mutatur corpus noſtrum, & intus, & extra, ut in de tuenda ſanitate dixit Galenus, Ab aere quidem calido capitis humiditates colliquantur, & earum fluxio præparatur ad ſubiecta membra, ut quinto aphoriſm. dixit Galenus, cui annectitur uentus calidus, ut auſtralis, & multum capitis cooperimentum, quibus ape-

riuntur

riuntur pori capitis, ut illius natiuus calor cum ſpiritibus exhalatis debilitetur,& capitis natura ob hoc facta imbecillis, non ualet ſuperfluas capitis humiditates reſoluere, quo fit, ut illæ ab opere naturæ derelictæ irruant ad ſubiecta membra, & in illis decumbant. Idem quoque fit à frigido aere, uel à uento ſeptentrionali, à quibus, compreſſione facta in cerebro, exprimuntur humiditates illius irruentes ad membra ſubiecta, ut ait Galenus ſexto, de tuenda ſanitate, & quinto aphoriſmorum. Et huic annectitur ex longa mora tenere caput detectum. Puto certè caput D. S. pluries his cauſis fuiſſe ſubiectum. Tum quoniam D. S. plures æui partes atque regiones diuerſarum intemperierum abſq; ullo ſui commodo peragrauit. Tum ut audio ipſum cum ſummo Pontifice negociando longam capite detecto trahere moram, à quibus frigido uel calido lædente eius cerebrum facile D. S. potuit incurrere catarrhum. Præcedentes uerò cauſæ catarrhi D. S. ſunt, quæ intrinſecus aptæ ſunt lædere cerebrum, ueluti ſui cerebri temperatura calida, & humida, quoniam calida eſt, fit attractio multorum uaporum ad cerebrum, qui in humidas ſuperfluitates conuerſi facile multiplicant cerebri fluxiones. Quoniam uerò plus humida eſt eius cerebri temperatura, continuò maiorem humiditatis gradum adgenerare poterit,& maior tunc fiet fluxio, ſeu catarrhus.

Altera uero cauſa præcedens fluxionis D. S. fuit indebita uictus ratio cibi,& potus. Cibi quidem,& ſua multitudine repletionem ducentes, cuiuſuis naturæ fuerint, à multa enim repletione uentriculi multi progignuntur uapores, à quibus cerebrum fit humidius, & ſuperfluitatibus magis grauatum;& inde illius facultas retentrix facta imbecillior, ab opere ſuo derelinquit illas ſuperfluitates, quæ ad ſubiecta membra fluunt. Cibi quoque ſua abundanti

qualitate

qualitate affecti calida ſcilicet uel frigida, & nimium humida promouerunt fluxionem D. S. calida quidem eliquãdo, & frigida, humidas ſuperfluitates progignendo. cum enim uentriculus cibis nimis frigidis admodum repletus fuerit, eius facultas concoctrix fit imbecillior, à frigido enim concoctio corrumpitur, ut dixit Galenus ſecundo de facultatibus naturalibus, & Princeps Doctrina ſexta primi canonis. Ex concoctione, autem diminuta uentriculi multiplicantur uapores ad cerebrum in ſtomacho relictis multis ſuperfluitatibus, quo fit, ut fluxio concreſcat. Cibi quoque admodum humidi fluxionem à cerebro conducunt, in quibus, audio. D. S. ſatis delectari, omnes enim tales in uentriculo ſuo humido abundantes ebetant illius facultatem concoctricem, ut crudis ſuperfluitatibus in eo multiplicatis, uapores multi eleuentur ad cerebrum, & fluxionem admoueant. Potus quoque uini potentis: quoniã uinum forte plurimum uaporoſum eſt, etiam plurimum caput replet, & fluxiones excitat. Cauſa uerò continens catarrhi D. S. una quippe eſt præſentia materiæ in capite circa cerebrum, & eius uelamina unà cum præſentia uaporum illic incraſſatorum, quæ omnia à calido cerebri eliquata catarrhum inducunt. Altera uerò cauſa eſt fortitudo facultatis expultricis, cui iuuamentum præſtat intemperies humida cerebri. Tertia uerò cauſa eſt imbecillitas facultatis retentricis adaucta per humidum cerebri D. S.

Præterea Dominatio ſua Reuerendisſima, altera mala corripitur affectione, qua præ ualido, & ingenti dolore, nedum particulæ corporis languidæ fiunt, uerum & ſpiritus & tota natura corporis triſtantur atque labefactantur. Eſt autem affectio in ſua Reuerendisſima Dominatione, circa pedem, quam podagram appellãt, & circa manum, quam chiragram nuncupant, & eæ affectiones ſunt de genere morbi articularis, ut dixit Galenus ſexto aphoriſmorum, quinquageſimo quinto, quem arthritidem morbum ap-

pellat

pellat Galenus decimo, de compoſitione medicamentorum ſecnndum locos. Dixit enim morbus, qui omnes occupat articulos arthritis dicitur, cum uerò in uno decumbit articulo, ex nomine articuli morbum illum nominant, ut iſchiada, qui iuxta coxendicem fit, coxendicum morbum appellitant. Qui uero iuxta pedem, morbum dicũt podagricum, ille uerò, qui manum opprimit, chyragram nominant. Incipit enim plerumque in uno articulo podagræ generatio, & diuturnitate temporis in omnes articulos progreditur, & ut ex Galeno eodem decimo, de compo. med. s. l. & primo aphoriſmorum collegi huius progreſſus cauſam eſſe, uel malam uictus rationem, uel ægrotantis inobedientiam, uel aſſidentium ignauiam, uel medici ignorantiam. Et eundem ſermonem, dixit Galenus ſexto aphoriſmorum, commento. XLIX.

Nempe cauſæ procatharticæ horum morborum, qui, ut diximus ſunt ex genere morbi articularis in D. S. Reuerendiſſima fuerunt, uel nimia caliditas extrinſecus ei contingens, quæ diſſoluens humiditates nedum capitis, uerum & totius corporis eas præparans ad fluxiones, & flueſfaciens: uel potuit eſſe ingens algor, qui ab extra in corpus illius prorumpens, & præſertim in capite ipſum adſtringens, fluere iam effecit, ab eo ſuperfluitates ad membra ſubiecta, & idem attingens alias corporis partes humiditates in illis congelans, & eas debilitans, tum extenſione artuum dolorem progignit, tum eorum debilitate ob quam magis ad eos fluunt humores, & extendendo dolorem inducunt, & idem potuit feciſſe nimius labor, & ſuperfluum exercitiũ, & totius corporis multa fatigatio: Audio enim D. S. Reuerendiſſimam multas mundi partes decurriſſe, ob quam rem paſſa eſt laborem, & totius corporis fatigationem, quibus diſſolutæ fuerunt ſui corporis humiditates, facile ad ſubiecta membra fluxibiles in eis dolores progignentes. Sanè enim ob articulorum imbecillitatem

becillitatem ex nimio motu progenitam, ad eos facile cur runt humores, qui ſoluendo continuum, dolorem faciunt. Alteram quoque cauſam procatharticam puto fuiſſe, Diuturnum uſum ciborum multam pituitam adgenerãtium, ut dixit Galenus, decimo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, ubi ait, aliquando quidem igitur irruens humor ſanguineus eſt, ut plurimum uerò pituitoſus, aut ex pituitoſo, & bilioſo humore mixtus, ut ſunt fructus recentes, & piſces, & quæcunque alia edulia, quæ aſpectum habent ad podagram progignendam, alioſque artuũ morbos, ut ſunt porci iuuenes & pingues, & uniuerſaliter tota caro ſuilla, & anſerum pulli, & anſeres, & omnes aues habitantes in aquis, & omnes piſces ſine ſquamis, & anguillæ, & omnes piſces grandiores.

Præcedentes uerò cauſæ doloris articulorum. D. S. Reuerendiſsimæ aſſumuntur à diſpoſitionibus temporum, uel à uictus ratione præcedente, ſi enim eſt temporis conſtitutio calida, & uſa fuerit D. S. regimine calido, tunc dico complexionem calidam iuncturis D.S. acquiſitam, tum meritò conſtitutionis anni temporum, tum merito uſus calidi uictus eſſe præcedentem cauſam doloris artuum in D. S. Reuerendiſsima, attrahit enim calida iuncturarum intemperies, humores ad ipſas, qua completa attractione circumſitæ neruoſæ particulæ tenduntur, & dolores oriuntur, ſi autem regimen iam præteritum, & temporis conſtitutio frigida fuerint: Tunc mala complexio frigida in iuncturis exiſtens, dicetur cauſa præcedens doloris arthritici D. S. Ipſa enim intemperies artuum frigida mortiſicat eorum natiuum calorem, Quo fit, ut debilitentur, & ſenſim in his ſuperfluitates accumulentur, & dolorem progignant. Alteram cauſam præcedentem puto in D. S. abundantem plenitudinem malorum humorum ex immodica uictus ratione, eorum maximè, quæ cibo & potu aſſumuntur, ueluti eſt ſanguis multus in articulis accumulatus,

latus, uel ut ſecundum plurimum eſt, abundantia pituitæ ad articulos irruentis, quæ uel ſola, uel bili permixta iuncturas replet,& extendit,à atra bile idem contingere poterit,rarò tamen ob inobedientiam fluxionis ex terrea eius ſubſtantia. Hoc habetur à Galeno decimo,de compoſitione medicamentorum ſecundum locos.Similiter ocium,& nimia quies,debilitando maximè ſecundam,& tertiam digeſtionem, quo fit, ut multiplicent multum de pituita, quæ fluens ad pedes podagram inducit, & arthritidem, cum ad alios omnes fluit articulos. Sententiam hanc uoluit Galenus, ſexto aphoriſmorum, commento uigeſimo octauo, & nimius uenereorum uſus. Et hoc exemplo patefacimus, quoniam Eunuchi podagra non laborant. Et dixit Hippocrates, ſexto aphoriſmorum, aphoriſmo, tertio. Puer podagra non laborat, ante uſum uenereorum. Et uina potentia bibere,præſertim cum quis ea ieiunus potauerit, Hæc enim ſicut coitus neruoſam ſubſtantiam promptisſimè offendunt, ut ait Galenus. Retentio quoque conſuetæ euacuationis facile præcedit podagræ generationem, hoc notat Galenus, ſexto aphoriſmorum, commento quadrageſimo ſeptimo. Cui addo,quod aſpernere euacuationem temporibus opportunis humorum podagram facientium, nolle quoque medicis obtemperare, eoſdem humores purgare uolentibus, cum eorum expedit purgatio, eſt de his, quæ promouent podagram, & eſt in eadem cauſa, dimisſio exercitii conſueti, & ſuperfluum, atque inordinatum exercitium, artus debilitando, & corporis humiditates eliquando, quæ facile fluxibiles ad articulos faciunt, in quibus decumbentes extendendo,dolorem excitant, & perficiunt,auctore Galeno,quarto aphoriſmorum,commento. XXXII.Altera cauſa præcedens potuit eſſe, ut ait Galenus, ſexto aphoriſmorum, cõmento uigeſimo octauo.Vitium ſeminis Patris uel Aui, ait enim Galenus. Accedit ad has

cauſas,ob quas plerique incidunt in Podagras, quod multi & Patres & Auos habuere podagricos, in quibus ſemen erat uitiatum, atque ideo filiis uehementiorem fecerunt partium imbecillitatem.

Cauſæ uerò, quas continentes appellauit Galenus,ſeptimo aphoriſmorum, commento trigeſimo, Podagræ, & doloris arthritici D. S. Reuerendiſsimæ ſunt, Humores iam defluxi & decumbentes in articulis, quibus circumſitæ particulæ neruoſæ tenduntur, Et ex his dolor oritur.

Hanc quippe cauſam, Dixit Galenus ſexto aphoriſmorum, commento quadrageſimo nono. Vbi ait. Hanc autem fluxionem ſuſcipiunt quidem primum loca articulationum.Deinceps circunſtantia omnia uſque ad cutem,& poſt ait.

Nam diſcutiatur oportet id,quod ad pedes fluxerit.&c. Id autem quod ad articulos defluxit, ſui quantitate ſoluẽdo continuum, & ſui qualitate intemperiem inducendo, dolorem gignit,eæ enim ſunt duæ cauſæ doloris, quas nominauit Galenus, ſecundo artis medicinalis. Et Auicenna ſecunda. fen. primi capite. De cauſis doloris.

Verum enimuero non miretur quiſpiam,ſi indicia morborum ſignificatiua, & demonſtratiua Reuerendisſimæ D. S. nunc ſub ſilentio pertranſeo, quoniam mihi plus expedit,& clarius,in his, quæ eorum morborum curam decernuntur ea inſerere, quàm in his ſuperflue nũc ſermonem in longum trahere.Quoniam autem prædictiones in morbis magna afferunt commoda in modo curationis morborum, ut ait Galenus, in primo de ratione uictus in acutis, commento tertio, ob hoc ex Galeni præceptò atque Hippocratis primo prædictionum libro, in morbis D. S. prædictiones afferam, quibus medicus admoueatur, ut acceleret curam, & à deteriori caſu ægrum defenſet,& patiens ſe medico obedientem reddat, & eius operibus ſolicitè ſubmittatur.

Quapropter

Quapropter primo, in catarrho. Demum uerò in dolore arthritico D. S. Prædictiones enunciabo. Et dico primo. Niſi catarrho correptus, optima utatur uictus ratione, in ſex rebus, à quibus noſtra corpora neceſſario alterantur, ſic à Galeno dictæ in tertio, tegni.

Et ab Auicenna nominatæ res non naturales, Quem ſecuti ſunt neoterici ſcriptores, facile in cuiuſque particula corporis moleſtum dolorem pati poterit: ſiue fuerint de interioribus corporis membris uel exterioribus. Dixit hoc Galenus, quarto aphoriſmorum, commento trigeſimo ſecundo. Et ratio huius eſt, quoniam catarrhus defluxio eſt à ſuperioribus ad ſubiecta membra. Quod ſi forte fortuna in aliqua corporis particula firmetur, in eadem tenendo neruoſas partes, dolorem perficiet, & in eadem etiam dolorem ſubiunget, ſi ſola intemperies ipſam afficiat, ut ait Galenus, ſecundo artis medicæ.

Dico ſecundo. Catarrho qui tenentur, caueant, ne in ſtuporem uel paralyſim partis dextræ uel ſiniſtræ incurrant. Vbi uerò quis in utriuſque partis corporis paralyſim ceciderit, morte morietur, hoc dixit Galenus, tertio aphoriſmorum, commento duodecimo.

Dico tertio. Corpora quæcunque catarrho moleſtantur in magno ſunt conſtituta naufragio. Dixit hoc Galenus, in ſexto de tuenda ſanitate, cauſa eſt, quoniam ea prona ſunt ad caſum in omne genus morborum ſecundum quod defluxio in omnibus membris decumbere poteſt.

Dico quarto. Catarrhi in homine calidæ temperaturæ & in cauſa, atque ætate, & tempore calidis, citiorem recipiunt curationem. Omnia enim hæc faciunt ad reſolutionem materiæ catarrhi. Calidum enim rarum faciendo reſoluit, frigidum uerò denſum, faciendo congelat, & materiam compingit, ut ait Ariſt. quarto metheororum, & Galenus, in primo de Criſibus dixit, calidum citius ad

criſim peruenire.

Et ob hoc dico quinto, quod corpora quæcunque catarrho opprimuntur, febre adueniente, alleuiatur catarrhus, quoniam febris eſt ignea caliditas, ut ait Galenus, primo aphoriſmorum, commento decimo ſexto.

De prædictionibus ex catarrho ſatis diximus, de eis uerò ex podagra, & arthritide deinceps uideamus. Dico igitur primo. Quoniam in podagricis doloribus articulationes implentur, ut ait Galenus, ſexto aphoriſmorum, commento quadrageſimo quarto. Igitur time, ne poſt podagram arthritis progignatur, conſequentiam hanc uoluit Galenus, ſexto aphoriſmorum, commento uigeſimo octauo, ubi ait. Podagra præcedit morbum articularem.

Dico ſecundo. Medici non debent deſperare curam podagræ & morbi articularis, quæ longo ante tempore hominem corripuere, & plus non debent aſpernere curam earundem affectionum, quæ adhuc incipientes ſunt, & nondum tophos circa iuncturas genuerunt. Quoniam nõ deeſt medico modus curationis utriuſque & podagræ, ſcilicet, iam factæ ante, & nunc incipientis, & doloris arthritici, ſimiliter ſermonem iſtum, dixit Galenus, ſexto aphoriſmorum, commento quadrageſimo ſeptimo, ubi ait. Nos itaque plurimos ita ſeruauimus annos, qui longo ante tempore ſingulis annis morbis capiebátur, atque podagram, & morbum articularem, adhuc incipientem, & nondum tophos circa articulos facientem.

Dico tertio, quod inflammationes, & dolores podagrici terminum ſuæ integræ ſolutionis habét quadrageſimũ diem, ſi medicus in ſuo opere non aberrauerit, & æger illi in omnibus obedierit. Hanc ſententiam uoluit Hippocrates, ſexto aphoriſmorum, & huius rationem attulit Galenus, commento quadrageſimo nono. Quoniam humores, qui in articulationibus ſunt, per ligamenta ipſas amplexãtia per modum uaporis oportet euacuari, & hoc opus, lon

giori

giori indiget tempore,quàm opus inflammationis in par te carnoſa,eſt enim caro rarior,particulæ uero,quæ articulationes amplectuntur,duriores,ſpiſsioreſq; ſunt, ob quã rem ſicut partes carnoſæ ſui raritate citius recipiunt, & circumſitæ neruoſæ partes iuncturis, tardius, meritò ſicut à carnoſis partibus citius contingit euacuare humores, ita & à neruoſis tardius, Quo fit, ut breuius occurrat tempus euacuationis humorum à parte carnoſa, à neruoſa uerò longius. Et ob hoc Hippocrates terminum completæ ſolutionis podagricis condonauit diem quadrageſimum inflammatione ſedata. Inflammationi uero in carnoſis partibus decimum quartum, cum in his inflammatio, naturam ſapiat morbi acuti, cuius iudicationem in quarto decimo die ſtatuit Hippocrates, ſecundo aphoriſmorum, uigeſimo tertio.

Dico quarto. Qui podagrica tenentur affectione, ii à conuulſione ſunt ſecuri. Dixit hoc Galenus, ſexto aphriſmorum, commento quadrageſimo nono. Quo fit, ut podagricus dicatur dolere, & non conuelli, & huius ratio eſt. Quoniam neruoſæ partes, quæ iuncturas amplexantur unà ſimul ob humores defluentes, atque in eis decumbentes, tenduntur. Tenſio enim dolorem & non conuulſionem progignit.

Dico quinto. Qui ſoliti ſunt podagra, corripi, timeant uernum tempus, atque autumnale. quoniam podagrici dolores uere, & autumno magna ex parte mouentur, ſexto aphoriſmorum, quinquageſimo quinto, & tertio, uigeſimo. Et huius rationem dixit Galenus, in commento quinquageſimo quinto, quoniam podagricæ paſsiones excitantur aliquando autumno iis, quibus per æſtatem tẽpore quo fructus maturantur, uitioſi aliqui humores fuerint coaceruati, & ipſi ſua quantitate immodica, uel qualitate mala, à fortioribus ad debilia fuſi iuncturas offendũt. Excitantur quoque & uere his, qui hyberno tempore in

uictu deliquerint fuſis humoribus à fortibus ad loca debilia detruſis.

Dico ſexto. Qui podagra moleſtantur, timeant tempora pluuioſa, maximè enim in his podagræ excitantur, & articulares dolores. Dictum hoc eſt Hippocratis, tertio aphoriſmorum decimo ſexto, & rationem adduxit Galenus, in commento, quoniam in pluuioſis temporibus fluxiones, & potiſſimum ex capite uenientes ſuperabundát, quæ ad articulos decumbentes dolorem gignunt.

Dico ſeptimo. Vbi ſenes podagram inciderint, uel morbum articularem, de eorum cura omnino deſperari debét Dixit hoc Galenus, ſecundo aphoriſmorum, commento quadrageſimo. Quoniam ſenes ex ætatis imbecillitate diuturnum morbum ſufferræ nequeunt, Quo fit, ut hi morbi longi ſenes ipſos comitentur ad morté. Et omnia morborum genera, quæ ex frigidis humoribus ortum habent, in ſenibus non admittunt coctionem, & loquor de poſtremis ſenibus, quoniam uerè ſenes hos morbi iſti comitantur ad mortem, Vbi uerò primi ſenes eiſdem morborum generibus corriperentur, adeo difficile actionem recipiũt, ut & ii morbi plurimũ ſenes primos comitentur ad mortem. Dico tamen, quod primi ſenes in uiridi ſenecta conſiſtentes, qualis eſt Reuerendiſſimæ D. S. etſi difficile, poſſunt tamen comitantiam illam aufugere, ſi in optimis præſidiis, medicis obtemperauerint.

Dico octauo. Quicunque immodico ocio, atque uictui intemperato, ſuperfluoque uenereorum uſui, & uini potẽtis potationi, & nimiæ crapulæ ſubmittuntur, non tardè arthritides, & podagricas affectiones expectare debent. Hanc ſententiam uoluit Galenus, ſexto aphoriſmorum, commento uigeſimo octauo, quoniam omnia hæc neruoſam ſubſtantiam promptiſſimè offendunt.

Dico nono. Quicunque pedes imbecilliores natura habent, ii podagram expectare debent, hoc dixit Galenus, ſe

xto aphoriſmorum, commento uigeſimo octauo. Pedes autem imbecilliores eſſe nouimus ob difficultatem exercendi opera, in quæ pedes per naturam ſunt ordinati, uel per defluxum ſuperfluitatis ad eos, fluunt enim ſuperfluitates ſemper ad debiliora loca recte operante natura, dico tamen, quod ſola pedum debilitas podagram non conducit, ſed fluentes humores requiruntur, certe nullo humore ſuperfluo ad pedes adhuc imbecilles fluente, non gignetur podagra, quoniam non actuabitur potentia ad podagram, niſi humore ſuperfluo in pedibus accumbente.

Dico decimo. Quicunque uel Patrem uel Auum podagrica affectione laboraſſe perceperint, proculdubio tempus perdurationis uitæ eorum, ſine podagræ generatione nequaquam præteribunt. Niſi ſapiens dominetur aſtris, & naturæ, quoniam etiam diſpoſitus ad podagram, eius generationem uitare poteſt, totam hanc ſententiam habes à Galeno, ſexto aphoriſmorum, uigeſimo octauo.

Dico undecimo. Qui podagra ex generatione paterna, uel auita laborant, non ſanabuntur. Ex uitio enim ſeminis oritur hæc podagra, ut ait Galenus, ex quo mēbra neruoſa genita ſunt. Quòd ſi ea ab huiuſmodi podagræ generatione defendi deberent, omnium rerum opificem oporteret, noua compagine, atque temperie ipſa de nouo facere, atque agglutinare. Propterea huius podagræ ſanationem Deo optimo relinquamus. Ex arte autem noſtra, eam deſperemus: Quoniam medicus huius affectionis cauſam abolire nequit, cum à primis oriatur ſeminibus. Effectus uero eius, & ab ea prodeuntes, ueluti dolores, atque tumores, & malas qualitates facile tollere ut nunc poterit, Et ob hoc æger non perdet ſpem ſalutis, & confidentiam de medico.

Dico duodecimo. Si podagricis uarices ſuperuenerint, ſoluitur in his podagra, quoniam fit materiæ, & humorum facientium podagram ad exteriores partes crurium

deriuatio.

deriuatio. Colligitur hoc à Galeno, ſexto aphoriſmorum, commēto uigeſimo primo. Nempe dolores podagrici ſol uuntur, quia elongatur cauſa doloris ab organo ſenſus, quod eſt neruus, & ob hoc.

Dico decimo tertio. Cum in podagra, & alio articulorum dolore, dolentia membra intumeſcunt, fit doloris ſolutio, Quoniam materia faciens dolorem deriuatur ad extra relinquens neruoſas partes, quas offendendo, uel ſua quantitate, uel ſua mala qualitate dolorem progignebat.

Dico decimo quarto. Cui podagrici dolores diuturni fiunt, illi curatio ineſt difficilior, quoniam temporis diuturnitate dolores fiunt conſuetudinarii. Quo fit, cum ipſi facti habitus ſint, difficile poſſunt amoueri, tum etiam quoniam conſuetudo eſt natura acquiſita, ut ait Galenus, ſecūdo de temperaturis, capite quarto, & quæ natura ſunt, difficile tolli poſſunt.

Cum iam nos ſpeculati ſimus morbos, quibus Domini mei Reuerendisſimi Dominatio malè torquetur, uidelicet eorum eſſentiam, & eorum cauſas, atque iudicia, de eorum termino, ad ſalutem aut mortem, aut ad bonum uel malum, quæ multa afferunt commoda in modo curationis eorum, ut dixit Galenus, in primo de uictus ratione in acutis, commento tertio. Nunc equidem ut ſeruemus Galeni præceptum, primo artis curatiuæ ad Glauconem, capi. primo, uidere oportet quantam, & qualem ii, curam habeant, igitur cum curationis morborum inſtrumenta tria ſcilicet uictus ratio: Medicinarum oblatio, & manuum operatio, ponantur à Galeno, in libro de partibus artis medicæ. Quorum nobilius, maximè neceſſarium eſt uictus ratio: ut ait Galenus ad finem libri ſuorum experimentorum. Ideo in propoſito negocio, prius quali uictus ratione. D. S. uti habeat, ut morbi eius ad bonum, & optatum ducantur finem, ſermonem faciam, ut inde clariorem habeamus uiam, & perfectiorem ad ſecundum, & tertium

inſtrumentum perficiendum.

Propterea igitur a' uictus ratione loqui incipiam, qua ſi ſola ægrum curare poterimus, eam admodum proſperam inueniemus, ut dixit Rabi Moyſes, & dixit Galenus, in libro introductio, ſeu medicus. Articulorum uitia uictus rationem probam deſiderare. At quoniam in ratione uictus ueniunt ſex res non naturales, quæ ſunt a' quibus de neceſſitate noſtra corpora alterantur, ut ait Galenus, libro tertio artis medicinalis, quæ ſunt aer cibus, & potus, ſomnus, & uigilia, motus, & quies, Inanitio & repletio, & animi accidentia. Primum de aere ſermonem faciam: quoniam ab aere noſtrum corpus alteratur magis, quam ab altera dictarum rerum, ut dixit Galenus tertio, tegni: tum etiam quia Aer de his eſt, ſine quibus neque ſanitas teneri poteſt, neque morbus propelli, ut primo de ſanitate tuenda dixit Galenus. &c.

DE AERE.

AEr igitur D.S. Reuerendiſsimæ non ſit admodum frigidus, ſua enim excellenti frigiditate exprimendo fluxiones a' capite mouet, ut ait Galenus, quinto aphoriſmorum, commẽto. XXIIII. illius aphoriſmi, frigida qualis nix, & glacies. &c. Quæ fluxiones a capite irruentes ob debilitatem artuum ex continuo eorum motu, ad eos facile decũbere poſſunt, ut hinc & inde in his dolores excitare ualeãt, quos artuum dolores D. S. plerumque & repente incurrere ſolet. Item caueat D. S. ab immodicæ frigiditatis aere, quoniá immodica frigiditas neruos, & particulas omnes neruoſas promptiſsimè offendit, ut ait Galenus, quinto aphoriſmorum, commento decimo octauo, illius aphoriſmi. Frigidum inimicum oſsibus, dentibus, neruis. &c. Quapropter cum Dominatio Sua apta ſit pati in neruoſis particulis corporis ſui, quam, admodum ei contumacem cenſeo, frigiditatem ualidam, ipſa eam non ſequatur neque in ea delectetur. Ob quam rem fugiat Dominatio S.

frigidas immodicè manſiones, quas aquilo, & boreas offendit, præſertim hyberno tempore. Aſpernetur quoque D. S. longam moram in ualde frigidis urbibus, quoniam illius loci abundans frigiditas ei, & intra, & extra cōtumax eſt, quippe & fluxiones à capite excitans, & arthritim, atque podagram facile admouens. Quod ſi forte fortuna loca frigidiſsima D. S. peragrauerit, uti alpes, & loca niuoſa, atque ubi plurimum aquilonis difflantis frigiditas contingit, muniat ſe caute ueſtibus, ne uehementi algore lædatur præſertim caput, & pedes, caput quippe, ne catarrhi compreſsione moueantur, pedes autem ne podagram incurrat, & inde arthritidem. Prius enim fit podagra, & inde morbus articulorum, ut ait Galenus, ſexto aphoriſmorum, commento trigeſimo octauo, & quadrageſimo nono. Sanè nequaquam aer D. S. uehementis ſit æſtus, ne aliquando totius corporis humiditates, præſertim in capite fluxiones præparet, in articulis decumbentes, & non ſit aer illius humido abundanti correptus, tum quoniam plenitudinem adauget præſertim in capite, quo fit, ut ipſa à natura cerebri derelicta ad artus irruat, & in ipſis decumbat, & eorum dolores progignat. Tum etiam quoniam ab abūdanti aeris humiditate artus laxantur, & facti imbecilles ad eos humiditates fluunt, doloremque in his excitant, & humidus aer contumax eſt podagricis affectionibus, quoniam humidum immodicum ſenſim aſſociat ſibi frigidū immodicum, ſed quantum frigiditas inimica ſit iuncturis palam fuit ſupra. Et quoniam omnia, quæ præter naturam diſponuntur, à conſimili ſuæ temperaturæ conſeruantur, & creſcunt: cum autem præſentia pituitæ, quæ frigida eſt, & humida, podagram inducat, ut ait Galenus, decimo, de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, ideo ab abundanti aeris humiditate conſeruatione cauſæ, conſeruabitur podagra concreſcetque.

Sit igitur aer, quem D. S. pro tutela ſanitatis ſuæ deſiderat,

derat, per naturam moderatè calidus, in ſiccitate uerò abũdantior. Calidum enim moderatum neruoſis membris utile & amicum, ut dicitur ab Hippocrate, quinto aphoriſmorum, ſiccum uerò cauſam podagræ propellit, & iunctu ras à laſsitudine defendit. Nec obſtat quod dixit Hippocrates, tertio aphoriſmorum, commento decimo ſexto, ubi ait. In ſiccitatibus autem tabes, lippitudines, dolores articulorum, quoniam per dolores articulorum noluit Hippocrates, arthritidem, uel podagram intelligere, ſed difficultatem ad motum, propter conſumptionem humiditatis articulorum ob ſiccitatem, ad quam & dolor ſequi poteſt, ſed ille proprie non eſt arthritis dolor, uel podagra, & ſic uoluit Hippocrates, in Epidimiarum libris, ubi famis tempore qui leguminibus ueſcebantur, infirma habebant crura, & qui eruum comedebant, genuum dolores patiebantur, non arthriticos, ſed genua dolentes ipſos appellauit Hippocrates, ut ait Galenus, tertio aphoriſmorum commento decimo ſexto.

Nempe ſi natura calidus, & ſiccus aer haberi non poterit eo uidelicet in loco, quo D. S. Reuerendisſima moram trahit, aut hybernum affuerit tempus, leuibus aromatum ſuffitibus utatur, & conſidera quod dico leuibus, quoniam à fortibus caput admodum grauatur, ut ait Hippocrates, quinto aphoriſmorum uigeſimo octauo. Quo fit, ut catarrhi, & fluxiones ad artus conſurgant. At aromata ſunt, cinnamomum, gariophyllum, nux myriſtica, macis, ambra, lignum aloes, moſcus, cortices citrii. maſtix, thus, mirrha, ladanum, & talia. Nam ſi D. S. nocuum erit, quod ab aromatibus de fumo exit, tunc ſola aromatum præſentia in loco manſionis D. S. ſit contentus, quod enim de odore ſolo ab aromatibus diflat, caput roborat, & ſuperfluitatem diſcutit, & conſumit.

Vbi uerò prædictis aromatibus ob eorum abundantem caliditatem uti timeret D. S. illis admiſceat roſas, ſanda-

GG ii los,

los, uiolas, & camphoram,tunc enim illo commixto difflatu,ac odore caput fiet immune ab eliquatione ſuperfluitatum,& grauedine, atque fluxione earum ad iuncturas , & propter hæc cauere debet D.S. à uehementi flamma ignis, & à forti calore quem capiti impartitur,ne quadam in eo humiditatum eliquatione facta, defluerent ad artus , & in eis dolorem excitarent.

Vbi autem ei pergratum fuerit lucidum ignem accendere,& potiſſimum hyberno tempore , ex lignis accendatur,quorum natura ſit,craſſos, ac glutinoſos humores attenuare,& eos ſoluere,ueluti ſunt ligna roris marini,iuniperi,lauri. Porrò ſi ex ligno terebinti, uel terebintinam progignente , uel ex ligno quod uſitato uocabulo lignum laricis dicitur,ignis accẽdatur, proficuus admodum hic erit ignis,ob illius naturam,quem comitãtur dictæ facultates. Hortor enim. D. S. ut caput ſuum moderato muniat calido , eſt enim immodicus calor ei noxius , tum quoniam eliquando præparat fluxiones à capite ad iuncturas , tum quia ab infernis corporis partibus ſurſum trahendo caput grauitat, immodica quoque frigiditas caput offendit, & exprimendo catarrhum excitat , & ad arthritidem præparat, auctore Galeno,quinto aphoriſmorum,commento uigeſimo ſecundo,& uigeſimo quarto. &c.

DE PANE.

Panis electio ſit de tritico , quoniam triticum nedum apud omnes nationes frequentiſſimè, immo cum utilitate magna uſurpatur,ut ait Galenus primo,de facultatibus alimentorum , capite ſecundo , & ex triticeis panibus D. S. peridoneus eſt ille , qui ex tritici ſimula conditus eſt, ſinceriſſimus enim is panis eſt , naturalia non grauitans , non flatuoſus, neque deorſum aluum replens , & peroptimè nutriens,ut ait Galenus . Sitque panis eius non admodum fermentatus, ſui enim ſuperfluente aciditate noxius eſt cerebro,& neruis. Quippe neque omnino fermento careat,

reat, ob id Galeni uerbum, primo de potentiis alimentorum capite ſecundo, ubi ait. At qui omnino fermento caret, nemini prorſus erit accommodus. Nō ſit eius panis ſalitus, quoniam ſal infenſum & noxium eſt, propter grauedinem, & potisſimum in capite, ut ait Galenus ſecundo, de compoſitione medicamentorum ſecūdum locos. Sitq; eius Panis non admodum coctus, ut qui cruda, incoctaq; interiora habet, ambuſta uerò obaridaque & cruſtacea exteriora. Ignis enim uis in totum panem nequit penetrare, ideoque illum non percoquit, maximè intimas partes. Dixit enim Galenus primo, alimentorum, capite ſecundo. Is enim deterrimus panis cenſendus eſt, & uentriculo inimicus, qui in cruſtaceis admodum aduritur, in intimis uerò incoctus relinquitur. Sit eius Panis recēs duorum dierum, neque ipſum edat calidum. Panis enim calidus non eſt apud naturam receptibilis, ſitim facit, & natat propter ſuā uaporoſam humiditatem cerebro intenſam, ut ait Princeps ſecundo, canone. DLXXIII. &c.

DE VINO.

CVm ſit omnis exceſſus fugiendus, maximè illum fugere expedit, ex quo non modo corpori, uerum etiam animo damnum accedit. Ob quam rem, cum D. S. Reuerendisſimæ corpori, & animo uini potus damnum ingerat, nedum hauſtum guſtare ſuaſerim, uerum & omnem uini potionem denegarem, eius namque corpori noxium eſt uinum. Quippe uino epoto humectante, atque calfaciēte, noxios exceſſus corpori eius conducet, ut ait Galenus primo, de tuenda ſanitate, & in libro exhortatio ad bonas artes. Cum autem repleri eius caput ſit inutile, uinum autem halitu corpus replet, ut ait Galenus, in libro, quòd animi mores ſequuntur corporis temperaturam, profecto uinum illi pernocuum erit. Vinum enim in D. S. caput replendo, catarrhum promouet, qui ad iuncturas permeans,

means,& in his firmatus,& arthritidem,& podagram pro gignit,non immeritò igitur dixit Galenus, ſexto aphoriſmorum, commento uigeſimo octauo, quod uina fortia epota cauſant podagram. Propterea igitur mihi ipſi ſuadeo. D. S. Potum peridoneum debere eſſe Idromel, decoctionis hyſſopi, & ſaluiæ. Et ſi quiſpiam Galenum, tertio de temperamentis inſpiciat, nequaquam D. S. uinum tribuendum putabit.

Sed uenirem ego interrogandus. Si Gale. quinto aphoriſmorum, commento quinto, inquit. Vinum qualitate ſua ſanare eam, quam fecit ægritudinem neruos calfaciendo, atque exſiccando, Cur D. S. Reuerendisſimæ uinum denegabis. Huic dico, quia certius eſt uinum ſuo halitu cerebrum percutere, atque grauare, cum hoc ſit ei peculiare, quàm ſua qualitate neruos calefacere, & exſiccare, tutius eſt in cerebri affectionibus, atque in his, quæ à cerebri noxis originem ſumunt, uinum denegare, quàm illis errando contribuere. Nempe ſi ei ob metum aquæ inter cutem, uel conſuetudine uel inordinata uini appetentia, uel uiolento medicorum irritatu ad uini potum cogar condonandum, ſit eius uinum album, uel coloris mediocris, & imbecillium uirium, ut caput minimè percutere ualeat, dicente Galeno primo, de tuenda ſanitate, & quinto de locis affectis, capite quinto, nam huiuſmodi uinum, ut uentriculum robuſtum efficit, ita haudquaquam tentat caput, id quod facere ſolent ea, quæ ualidiores uires obtinent. Vbi uerò D. S. ſecurius uinum bibere ualeat, ipſum præparet, coniiciendo in id, quod prædiximus uinum betonicam, atque hyſſopum. Et hoc præcepit Galenus quinto, de ſanitatis tutela, ubi ait. Vinum huiuſmodi compoſitionis maxime aptisſimum eſt his, quibus ſuſpicio eſt calculi in renibus gignendi, aut podagræ alicuius articulariſuè morbi impetus futuri, Quod ſi potens, & forte uinum, in podagricis affectionibus princeps, concedit in de cura doloris

articularis,

articularis, hoc uerum eſt in morbi declinatione manifeſta,& in pauca quantitate epotum. &c.

DE CARNIBVS.

Animalia quæcunque pedeſtria, temporis uetuſtate afficiuntur, eorum carnes D. S. cauere debet, uti bubula caro, ait enim Galenus tertio, de potentiis alimentorum, capite primo. Bubula uerò alimentum ipſa quoque non exiguum, nec diſcuſſu leue præſtat, ſed ſanguinem craſsiorem, quam par eſt progignit. Quæcunque igitur peditantia animalia temporis uetuſtate terrei alimenti naturam ſibi conceſſerint. D.S. eorum carnes obnocuæ ſunt. Quales ſunt ceruorum carnes,& capreolorum, arietumq́;, & uetuſtorum caſtratorum, illæ enim non optimi ſanguinis, ſed feculenti, & contumacis facilè ſunt progignentes, Qui omnium noſtri corporis facultatum functiones obtenebrat & lædit, curritque eodem curſu, ſuilla caro, omni enim adminiſtrationis modo ei nocua exiſtit, uentriculum enim grauat,& craſſum alimentum adgenerat, & ſui natura non facilem concoctionem admittit, ut ait Galenus, ſeptimo, methodi curatiuæ, capite ſexto.

Eligat igitur D. S. carnes ſibi utiliores, quæ ſint temperaturæ calidæ, potius ſiccæ, quàm humidæ uti ſunt omnes auiculæ ſylueſtres in arboribus degentes, ac uictum in ſiccis locis trahentes. Sunt enim D. S. peridoneæ, uti ſunt ficedulæ, turdi, merulæ, palumbi ſylueſtres, & huiuſmodi. Et ſi domeſticæ aues, atque animalia non grandiora ad minorem uergant ſiccitatem, ei erunt conuenientes, ſi condimento parentur ex hyſſopo, ſaluia, betonica, & huiuſmodi, uti ſunt capones, gallinæ, & gallinarum pulli,& columborum pulli domeſticorum,& qui in turribus habitant: eorum enim carnes puriores ſunt, & minus excrementitiæ. Faſiani quoque,& perdices, coturniceſque, & fringellæ,& iuuenes pauones, & qui ex Italia, & qui ex India originem traxerunt, D. S. optimum alimentum, & iuuamentum

mentum præſtabunt,caro quoqꝫ uituli,& præſertim unius anni,& modo ſimili caro caſtrati,& hædi, & iuuenis cuniculi,ac lepores, omnes hæ carnes D. S. Edulia ſunt aptisſima. Agninam fugiat carnem,ob id quod humidiorem alimoniam, quam par eſt progignit,ut ait Galenus, in libro de cibis boni & mali ſucci,& carnes auium, & animalium in aquis degentium, admodum ſunt D. S. rebelles, ſua enim humidiore temperatura,& natura excrementitia caput grauant, & omnia corporis noſtri membra defluxu ſuperfluitatum ad ea offendunt, & in eis dolores excitant, uti ſunt anſerum, & Anatum carnes. &c.

DE PISCIBVS.

AD hæc fugiat piſces ob frigidam temperaturam, & abundantem eorum humiditatem, Quo fit, ut ipſi ualde excrementicii fiant,ut ait Galenus ſexto, de uſu partium, capite nono, & tertio de facultatibus alimentorum, capite uigeſimo quarto. Ideo D. S. piſces denegabimus,illos maximè, qui in cænoſis,& ſordidis aquis ueſcuntur,& qui in paludibus, & ſtagnis capiuntur, eorum enim omnium caro admodum excrementitia exiſtit, atque mucoſa, auctore Galeno, tertio alimentorum, capite uigeſimo quarto.

Fluuialium uerò piſcium, non adeo ei noxia eſt caro, & tanto minus,quanto fluminis aqua rapida,& multiflua exiſtit, ipſo enim torrentis fluxu, piſces fatigantur, Quo fit,ut eorum caro minus excrementitia,atque mucoſa redditur, ut ait Galenus. Potisſimum autem eorum piſcium caro, parum ei noxia eſt,qui in puro natant mari.maximè cum uẽtorum difflatu, mare agitatum attollitur,ait enim Galenus, tertio de potentiis alimentorum, capite uigeſimo quarto.In ſilente namque mari, nulliſque agitato fluctibus,tanto piſcium caro uilior exiſtit, quãto minus exercitata. Nempe ſi D. S. Piſces admittam, uellem ad memoriam reuocare eos parari hyſſopo,ſaluia,betonica,chamæpyti;

pyti, roremarino, ipſoſque conditos paululo cinnamomi, ſalitos piſces ei non dabo. Si Galeni uerbum obſeruabo ſecundo, de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, capite. XVIII. Vbi ait, ſal noxium eſt ac moleſtum propter grauedinem, & potisſimum in capite, & eodem iudicio ſalitas carnes ei contumaces, & etiam alia cuiuſuis ſalſamenti genera nocua fore pronunciamus. &c.

DE OVIS.

OVa quæ ab animantibus naſcuntur à Galeno tertio, facultatis alimentorum, capite uigeſimo primo, inter hominum numerantur alimenta, quorum ſummam nutritionis laudem, gallinarum oua, demum faſianorum obtinuere. Porrò cum albuminis uis frigida ſit, & glutinoſa D.S. ſatis incommodat, ſolo igitur luteo oui uti eam nō ambigam. Sintque oua ex eius communi uſu recentia, & non diu aſſeruata, hæc enim recentia facilè cōcoctioni obediunt, diu uerò aſſeruata nedum concoctioni pertinacia ſunt, ſed prauorum progignentia humorum, ob quam rē dixit Galenus uerbum hoc. Recentium porro ouorum ad uetera non mediocris eſt differentia. Quippe optima ſunt recentisſima, pesſima perquandiu aſſeruata. Oua quæcūq; D. S. acceperit, in aqua cocta ſint: ob id quod in feruentibus cineribus aſſata longè tardioris ſunt meatus, & craſſioris ſucci. Quippe quæ in ſartagine condimento parantur oua, longius diſtent à communi eſu D. S. ob illud Galeni uerbum tertio, alimentorum, capite uigeſimo primo. Quæ uerò in ſartagine ad craſſitiem uſque friguntur oua, deterrimi omnino ſunt alimenti. Dum namque coquuntur nidorem, ac fumum edunt, ſuccuſque ex his prognatus, non ſolum craſſus, uerum etiam prauus, & excrementitius eſt. Idem quoque iudicabo de piſcibus, & carnibus, & aliis quibuſcunque eduliis, quæ in ſartagine friguntur, cum enim mali ſint ſucci ab his Dominatio ſua, plurimum cauere debet. Non ſint oua, quæ

D. S. largiuntur cocta, ideſt dura, ob id Galeni uerbum, ut ſupra. Cocta ſeu dura oua difficilis ſunt coctionis, & tardi tranſitus, craſſamque alimoniam corpori exhibent, quæ ſanè cerebro nocua eſt, Porrò ſint tremula atque ſorbilia, quæ ei admittimus oua, cum dixerit Galenus, tremula, molliaue oua omnium belliſsimè nutriunt. &c.

DE LACTE.

COmpertum eſt ex Galeno tertio, de facultatibus alimentorum, capite decimo quarto, & in libro de cibis boni, & mali ſucci, lac numerandum eſſe inter cibos, qui ab animalibus proficiſcuntur, Quod ſi D. S. capiti attendamus, proculdubio lac ei denegabimus. ob id Galeni uerbum, quinto aphoriſmorum, commento ſexageſimo quarto. Lac uerò quod bene concoquitur, nutrit, & bonos facit humores. Et dum cõcoquitur, his pariter attollit ilia, & tangit caput.

Vbi uero in D. S. carnis iacturam inſpiciamus, qua à timore tabis non immunis exiſtit, ductus ego hac carnis iactura, & indebita uictus ratione D. S. optimum lac admitterem, dico optimum lac, ob id, quod uitioſum lac, ut prægnantium animalium, uel ex malis cibis lac prognatum nedum abeſt, ut ad ſucci probitatem conducat, ſed ut malo etiam ſucco utentium corpora repleat, & ut ait Galenus, in libro de cibis boni & mali ſucci. Lac, quod D. S. idoneum exiſtit, id eſt, quod recenter eſt mulctum, cum enim ſimul emulctum eſt, naturæ bonitatis nihil amittit. Quo fit, ut diutino tempore emulctum naturæ bonitatis plurimum perdat. Quippe D. S. ſuadeo, lac illud quod ei admittimus, infantium more. Priſcorum iudicio ab uberibus ſugendum ſit, ut confeſtim emulctum natiuo calore ueſtitum potetur, ut ii, quibus eſt opus omnino id adſtante animali ſtatim mulctum bibant. Prius enim quam ab ambiente aere alteretur, id ſumi uoluerunt ueteres, ut ait Galenus, quinto methodi curatiuæ, capite duodecimo.

Primum

Primum lac ei conueniens eſt, muliebre. Aſininum ſecundum, tertium caprinum, quartum ouinum, quintum uacinum. Vbi uerò D. S. de carnis iactura non ambigat, ſicuti nunc temporis accurate inſpeximus nos, omnia fugiat lacticinia uſu immoderato propter id, quod caput feriunt. & cet.

DE CASEO.

DIxit Galenus tertio, de facultatibus alimentorum, capite decimo ſexto, Caſeum ex iniecto lacti coagulo formari, quippe dum formatur acrimoniam accipit, totamque humiditatem relinquit; & magis eo inueterato creſcit acrimonia, & is calidior, atque urentior redditur, concoctionique contumatior, & deterrimi alimenti procreator. Ob quam rem à tota rei natura caſeum minime dandum putamus, quippe & ſi facultatis attenuatoriæ craſſorum corporis humorum, caſeus ſit, plus porrò damni ex ſucci prauitate, & æſtuanti feruore infert, quàm craſſorum humorum attenuatio, prodeſſe poſſit. Sane cum omnium caſeorum, hoc commune uitium eſſe ſolet, D. S. omnem pernegabimus caſeum, minus tamen illi recentem caſeum denegabo, ſi modeſto uſu nonnunquam eo utatur, ob illud Galeni uerbum tertio, de potentiis alimentorum, capite decimo ſexto, ubi ait. Laudatiſsimus inter omnes caſeos recens habetur, gratiſsimus ori, ſtomachoque minimè noxius, aliiſque omnibus caſeis concoctu facilior, & commeabilior, ſucco conſtans non uitioſo, neque uſque adeò craſſo, quod omnium caſeorum comune uitium eſſe ſolet. &c.

DE BVTYRO.

CVm ex eo quod in lacte pinguiſsimum eſt butyrum progignatur, atque leniendi facultatem ſibi conducat, concoquendique & reſoluendi uim habeat, ut ait Galenus decimo, ſimplicium medicamentorum, & Auicenna ſecundo canone, capite. CXIIII. forte D. S. ab eſu butyri moderato abducerem. Quod ſi ingenti butyri deſiderio

afficeretur, butyrum aqua hyſſopi, uel ſaluiæ elotum non denegarem. &c.

DE OLERIBVS.

OLera quæcunque, quæ larga & abundanti frigiditate atque humiditate ueſtita ſunt, intentione ad cauſam mouentem in generatione podagræ, quæ plurimum in S. D. eſt ſuperaccenſa caliditas, iecinoris, quæ & capiti, & aliis corporis membris communicatur eliquans pituitam, quæ ad artus irruens, in his firmatur, & dolores excitat ſunt ei conuenientia, quoniam malam intemperiem tollunt, qua pituita paratur defluxui ad iuncturas. Qualia ſunt, lactuca, endiuia, beta, ſpinachia, & huiuſmodi. At ubi mentem quis habuerit ad cauſam præcedentem doloris articulorum, quæ eſt plenitudo ex pituita, & ad continẽtem cauſam, quæ eſt accumulata pituita in articulis, prædicta olera ſunt D.S. infeſta. Quæ uero ſunt temperaturæ calidæ, & ſiccæ, ſunt ei admodum idonea, cum à contraria temperatura operentur, & hic eſt ſcopus exquiſitæ curationis, ut ait Galenus tertio, artis medicæ. Qualia ſunt hyſſopus, menta, calaminte, petroſelinum, fœniculus, ſiſimbrium, ſaluia, betonica, & huiuſmodi, borago quoque & bugloſſa ei idonea ſunt, quoniam modeſta humiditate affecta ſunt, quo fit, ut carnis iacturam non augeant, ſicut quæ olera ſunt calida & ſicca, neque cauſam immediatiorem podagræ adaugeant, qualia erant frigida, & humida olera, igitur in comuni ſuo eſu unam alteri permiſceat, ut eorum temperaturæ, ad medium quoddam ducantur, ut nec uni nec alteri affectioni ſint nocua.

DE FVNGIS.

FVngos quouis modo condiendi paratos D. S. cauere debet, nedum enim mali ſucci ſunt, uerum & alimonia ex illis procedens pituitoſa, gelidaque eſt, os uentriculi anguſtians, quippe & id pondere afflictum ſpirandi facultatem corripit, ut ait Galenus, ſecundo alimentorum, capite

ſexa-

ſexageſimo nono. Et dixit in libro de cibis boni, & mali ſucci, fungi etiam cum ſiccari nequeant, uitium in ſe habere maximè indicant. Et Auicenna ſecundo canone, capite. CLXXIIII. ait, accidit ex fungis, qui non interficiunt, præfocatio. & cet.

DE FRVCTIBVS.

De fructibus, quibus homines ueſcuntur, hos quidem horarios priſci appellitant, qui in anni hora naſcuntur, anni quippe horam uocantes id tempus, in cuius medio canicula exoritur, auctore Galeno ſecundo, facultatis alimentorum capite ſecundo. Porro hos quidem terræ fructus nuncuparunt, quales ſunt cucurbitæ, Mellones, pepones, cucumeres, & huiuſmodi: qui cum humidæ, gelidæq; conſiſtentiæ ſint, atque larga humiditate affecti, nedum humidam progignunt alimoniam, ſed etiam exiguá, facileq; è corpore excernibilem, ut dixit Galenus, id genus omnia uitioſo ſucco notata, ob quá rem, cum ex gelida, humidaq; temperatura D.S. morbi cauſa incrementum ſuſcipiat: nõ ab re à S.D. fructus huiuſcemodi lõgè fugiẽdos crediderim Eos uerò, qui à ueteribus, arborei fructus appellantur, qui hominum cibos adiuuant, auctore Galeno, ſecundo alimentorum, capite ſeptimo, à tota ipſius rei natura, eſu, D. S. non dabimus. Ii enim quorum mollis, atque humida eſt conſiſtentia nedum tenuem, humidamque conſiſtentia ex ſe alimoniam corpori afferunt, uerũ & flatuoſam, cerebro, & neruis nocuam. Quales ſunt ficus, pira, mala, perſica, armeniaca, ceraſa, pruna, & huiuſmodi. Vbi uero, ut pueri, uoraci appetentia pulſi. D. S. quempiam horum cuperet, maturas ficus, ueluti minus nocuas ei tradere iuberem, minus namque praui ſucci adgenerant omnibus his, qui fugaces, & autumnales uocantur fructus, & ſi penitus huius uitii non immunes reddãtur ficus, ut ait Galenus ſecundo, de potentiis alimentorum, cap. VIII. Porrò arbitror, ſi ficus permaturæ ſiccitate, parentur hyſſopo, ſcilicet, &

ſampſuco

ſampſuco,& mellis paululo, in uaſculo ad hybernum tempus condiantur, recondanturque, D. S. peridoneum erit edulium, nam abſtergendi, attenuandique ui pollent, idonea neruis,& eorum affectionibus.

Cæterum poma & pira feruentibus ſub cineribus cocta, nonnunque eſitare poterit. Excalfaciens enim ignis nedũ eorum humidum nocuum minuit, uerum & flatuoſum ſpiritum ſenſim excernit, ſoluitque, quippe ſi hyſſopi pulueribus, addito zuccharo ſuperaſperſos fructus coctos edat eos, eſcam non admodum ei nocuam eſſe, nullus autumabitur. Verum cum ſolidæ conſiſtentiæ fructus adfuerint, qui adſtringente ui admodum pollent, eos certè D. S. concedere minimè auderem. Quales ſunt cydonia, meſpila, ſorba, nuces,& huiuſmodi. Ii enim nedum in tranſeũdo tardi ſunt, uerum & craſſi, atque glutinoſum, adſtringentemque ſuccum, progignunt, D. S. omnino nocuum. Atqui huius adſtrictoriæ facultatis, dulces amigdalæ nihil ſortitæ ſunt. Quippe abſtergendi, ac extenuandi ui pollent, Quo fit, ut D. S. ſufficiens eſca comprobetur, neque caput grauabunt, ſi poſt earum corticis ablationem, tribus in calida aqua horis permanſerint. Nuces uerò auellanæ adſtringentis qualitatis ui pollent, auctore Galeno ſecundo, alimentorum, capite uigeſimo octauo. Quo fit, ut nedum hæ,& iuglandes nuces, ei eſca efficiatur nocua, uerum deſtillationes deſuper mouentes, in iuncturis accumulatas arthritidem poterunt excitare.&c.

DE TERRAE BVLBIS.

TErræ bulbes nempe cauere debet, qui mordaci acrimonia prædití ſunt. Quippe caput tangunt,& neruos pungunt. Qualia ſunt cæpæ, allia, aſcaloniæ, porri, & ſimilia. Acrium igitur omnium uſus à ſua D. euitãdus eſt, quoniam facultatem quandam alẽdi corporis obſcuriſsimam habent, auctore Galeno ſecundo, ſimplicium pharmacorũ, capite ultimo,& in libro de cibis boni,& mali ſucci,&c.

LEGVMINA.

LEGVMINA.

OB id quod legumina, nulla gratia, nullaque iucunditate comendantur, quippe & flatibus uentres admodum implent, ut ait Galenus primo, de potentiis alimentorum, ea proculdubio dominationi ſuæ cuiuſuis generis paratus adfuerint, ingratas eſcas pronũtiabo, ubi autem laborantis inordinata appetentia, ad eorum eſum cogeret, quandoque cicerum rubeorum iuſculum ſorbere iuberem, quod non putamus admodum inutile præcipue ſi hyſſopi, aut ſaluiæ, uel maioranæ condiméto paretur: nempe ſic paratum iuſculum attenuádi, & abſtergendi craſſos, ac glutinoſos humores, atque eorum meatus obſtructos, aperiendi ui pollet D. S. peridoneum. &c.

MOTVS ET QVIES.

HVmani corporis excogitata dimotio non ſolum ad ſanitatis tutelam, uerum & ad bonam corporis habitudinem, neceſſariam eſſe, priſci omnes prædicarunt, auctore Galeno, libro primo, de tuenda ſanitate. Porrò igitur, ut D. S. bonam conducat ſibi ualetudinem, præcipere oportet, ut corporis motione, atque exercitatione utatur. At quoniam non leue incommodum nonnullis accidit, cum repleti cibo ſe exercent, ut ait Galenus ſexto, de tuenda ſanitate, nempe eam impleto uentre exerceri nollem, ea inquá motione, uaporibus plerumque impletur caput, fluxiones deſuper cadentes ad motionis inſtrumenta progignentibus ſuæ Dominationi noxias. Potiſsimum igitur eius exercitatio ſit ante cibum, nihil tamen, quin & poſt cibum. Quippe ante cibum, quoniam ea uirium corporis robur augere ſolet, auctore Galeno ſexto, de locis affectis capite ſexto. Quinimo & ea exiguos corporis meatus expurgat, & excrementa pellit, Et ob hoc dixit Galenus ſecũdo, de tuenda ſanitate utilius eſt ante cibum exercitationẽ adhibere. Nempe & poſt cibum, non omni tamen hora exercitationi ſubmittatur, Quoniam tempus ad exercitationem

tionem commodisſimum eſt, cum cibis externus, duplici concoctione iam prorſus ſit confectus, & ea ſcilicet, quæ in uentre, & ea, quæ in uaſis ſanguinis agitur, & iam cibandi tempus inſtet, quod ſi aut prius, aut poſterius exercitatione D. S. utatur, aut crudis humoribus implebitur, aut pallidæ bilis prouentum adaugebit, auctore Galeno ſecundo, de tuenda ſanitate.

Nempe ut ait Galenus ſexto, de tuenda ſanitate, exercitationes, quæ poſt cibum fiunt, quàm maximè eas lentas eſſe expedit, ut non celerius, quam oportet membris cibus rapiatur, illæ namque quæ ante cibum fiunt, magis citas eſſe oportet, quæ cauitates ſuperflua implent natura, exercitatione in uigore conſiſtente, ualentius deiiciantur, hoc permaximè D. S. idoneum. Quippe non has citas eſſe expedit, quales feſtinabundi uſurpamus, opere aliquo uigente, quoniam deſuper fluxioni crementum offerunt. Cæterum ad has quidem exercitationes corporis frictiones conducere ſoleo, ut leuibus quippe frictionibus, quæ extrinſecus fiũt, ea rapiant, quæ in intimis neruorum ſuperfluunt & conſiſtunt. Sciat ex dictis D. S. nimiam contumacem quietem aufugere debere, ob ea, quæ ſequi poſſunt incommoda oppoſita his, quæ ex exercitio commodis, ſequi potuere. & cet.

SOMNVS, ET VIGILIA.

SI ambo ſomnum & uigiliam, coniectari uoluero, hæc ſanè fieri ſecundum innati caloris motiones comperiam, auctore Galeno, ſecundo aphoriſmorum, commento primo, ſomnum quidem ad intima corporis, uigiliam uerò ad exteriora, natiuo calore promoto. Quam ob rem natiuo calore cum in ſomno multo ad intima uocato ex halitibus multa quantitas capiti ingeratur, quibus fluxiones ad iuncturas conducuntur, ut ait Galenus. Idcirco nollem, D. S. multo tempore gaudere ſomno, at cum ex diuturno ſomno, & incremento ſuperfluxionis, cauſa diffi-

cultatis

cultatis motionis cõcreſcat, nõ ab re ipſam diuturno ſomno ut abſtineat ſuaſerim. Porrò cũ ex uigilia ſpiritus à corde ad corporis particulas expirẽt craſſos, ac glutinoſos humores in cauitatibus artuum ingeſtos conſocio calore attenuent, atque diſrumpant, ob id maiori temporis interuallo, ipſam uigilia lætari uelim. Quo fit, ut ſi uetuſtam multi ſomni aſſuetudinem posſideret, ſenſim eam negligat, & perdat, ſeruato Galeni præcepto, ſecundo aphoriſmorum, commento quinquageſimo. &c.

GAVDIVM.

QVia nimio gaudio animata facultas ad exteriora fertur, ſi quid antea ei roboris adfuerit, dũ exteriora petit, diſcutitur, atque diſſipatur, ut nonnulli ſupramodum puſillanimes repentè moriantur, auctore Galeno ſecũdo, de ſymptomatum cauſis, propterea gaudeat D. S. moderato gaudio. Porrò eo non ita ualido motu, ac feruore animata facultas ad exteriora fertur, ut exoluatur, laxeturque, quippe ſi quid ei roboris antea fuit, id detinet, ut delegato ſpiritu à corde ad membra, calore conſocio, pituitoſas humiditates, neruorum cauitates occludentes, diſrumpat, atque exoluat, hoc enim peridoneum eſt D. S. contra uero debet mæſtitiam cauere. Nam ea reuocãte ſpiritum, & calorem ad cor, exteriora algeſcunt mẽbra quod D. S. pernocuum eſt. &c.

REPLETIO, ET EVACVATIO.

NEminem admirari uellem Reuerendisſime. D. ſi uitioſam ciborũ atq; potuum ſatietatem, & porrò malorũ ſuccorum, ſimplici uerbo, damnari quis dignoſcat. Sanè cogor ego & fateri Galeni uerbo. I. aphoriſ. com. III. ubi ait, cũ enim uaſa cibis, & potibus fuerint ſupramodũ repleta, periculum eſt, ne diſrumpãtur, aut calor natiuus ſuffocetur, & extinguatur. Quo fit, ut timor adſit ex multa ſacietate de ingenti grauitate capitis, & neruorum maiori cauitatum obſtructione adeo, ut eorum facultas motiua

perdatur,& in articulis dolor,& podagra excitentur, Proinde in uictus ratione D. S. ſeipſam parcè gubernet,ueſperi præſertim,quoniam nocte facultas concoctrix plurimũ fatigaretur in ſomno, cum in corrigendo uitioſos humores,tum in concoquendo cibi amplitudinẽ. Hortor quoq; D. S. moderatè uentres ſuos inanire,aut cibi & potus parſimonia, aut ſenſim cum purgatorii medicamenti euacuatione, quo fit,ut membra humorum abundantia non grauentur,& ſuperfluitates ad iuncturas non fluant, & in ipſis decumbant, & hoc D. S. perutile eſt, &c.

CVRATIO MORBI.

CVm iam à nobis præfinitum ſit, quali uictus ratione Reuerendisſimus D. uti debeat, alteram rem nunc aggrediar. Quam morbi profligandi facultatem libro primo, de ſanitatis tutela, Galenus appellauit. Nempe quoniam morbus eius diutinus eſt, ut & plerique morbi longi ob craſſos, lentoſque,& frigidos fiet humores, quo fit, ut non facile eius cauſa concoqui posſit, ut eſt Galeni uerbum, ſecundo aphoriſmorum, commento decimo nono. Et quoniam morbus D.S. maximè perturbans, eſt arthriticusdo lor, ad quem facile præcesſit podagra, cuius cauſam fore autumamus fluxionem à capite ad iuncturas defluentem, in eiſque dolores excitantem. Ideo uno,& eodem ſcopo,& catarrhum, & podagram curare tẽtabimus. Quippe cum humores ii, in patientibus partibus impacti ſunt, atque agglutinati, ita quod eorum diſpoſitiones, magis prædur.s tumoribus quàm inflammationibus asſimulantur,ut dixit Galenus, Idcirco curationis modus affectionum D. S. eadem die medicari non expedit: ſed non modo irrationalis, uerum & fallax,atque periculoſus eſt, auctore Galeno primo aphoriſmorum,commento uigeſimo ſecundo. Quo fit, ut ſenſim huiuſcemodi affectum medicari operepretium ſit, tum altero die, morbi cauſam concoquendo,tum concoctum deiiciendo,uti edo

cuit nos Galenus,primo aphoriſmorum,commento uige ſimo quarto,& ſecundo aphoriſmorum, commẽto nono. Sane igitur nullo ductus errore mihi ſuadeo, D. S. binis medicationibus per anni tẽporis ſpatium medicari oportere una uernali, altera uerò autumnali tempore initiantibus. Dixit enim Galenus, ſexto aphoriſmorum, quinquagesimo quinto. Podagrici dolores uere, & autumno magna ex parte mouentur, ideo his temporibus purgationes faciendæ ſunt, ut ait Galenus, ſexto aphoriſmorum, commento quadrageſimo ſeptimo. Quippe huiuſmodi medicationes præcauentes erunt morbum, qui futurus eſt,atque curantes illum, qui iam imminet, ut præcauendi, atque curandi morbum eodem amplectar ſcopo. &c.

Initio igitur ueris pereunte D. S. medicamentis purgari iubeo,porrò purgationibus peridoneum eſt id tempus auctore Galeno, in libro de miſſione ſanguinis, Verum quoniam Hippocrates nos edocuit, ſecundo aphoriſmorum,commento nono,& Galenus,primo aphoriſmorum, commento uigeſimo quarto, dicentes. Vbi quis corpora purgare uoluerit, oportet fluida facere, mihi nempe aſſuetudo eſt, fluidum in primis corpus purgandum efficere medicamento à latioribus uiis excrementa eiiciente,ne à prauis eorum flatibus principalium uires offendantur, atque hæ imbecilliores effectæ, proximam morbi cauſam conſocio adhuc calore concoquere nequeant. Cum igitur ueluti à cauſa mouente inſurgant in D.S. catarrhus,& podagrici dolores ab amara bile,quæ ex abundanti epatis caliditate oritur,& uti à cauſa continente à pituita in articulis pedum decumbente,& à cauſa præcedente à plenitudine pituitæ in toto corpore.Hortor D.S. ut mane priuſquã uentriculum impleat, quod ſequitur ingurgitet. Caſſiæ fiſtulæ recenter eductæ drachmas nouem accipiat, cui betonicæ in puluerem ductæ, drachmam mediam, & Reubarbari drachmam unam iungito, & bolum conficito. Sanè

timore habito de iactura carnis in D. S. nulla ſanguinis miſsio fiat in ipſa. Vbi uerò quædam extarent indicia mittendi ſanguinem, ei parcisſimè detrahatur, ne frigido comitante ſanguinis misſionem, adaugeretur cauſa præcedens, & continens doloris podagrici, altero nempe ſuccedente die, priuſquã ad nos ſolis ortus pertingat, potionem hanc admodum commodam, utilemue, ſeptem non intermittentibus diebus tepidam potet. Syrupi de betonica, ſyrupi de endiuia, ſyrupi roſati, mellis roſati, de quolibet horum mediam unciam accipito, aquæ betonicæ, endiuiæ, boraginis unciam unam de qualibet, cæteris miſceto, & potui dato, atq; duabus ſuperdormiat horis. Vbi uerò aluus D. S. adſtricta foret his porrò diebus, quibus morbi cauſa concoquitur, eam quippe laxam cuſtodiat, aut clyſteri, aut re alia humectam aluum faciẽte, ut pruna. Tamarindi, paſſulæ, & ex his iuſcula.

Cæterum octauo die indiciis concoctionis apparẽtibus prius quã nox è tenebris ad lucem uertatur, tali medicamento purgetur.

Mannæ Vnc.II. accipito, cui adde reubarbari drach.I. & electuarii indi, & electuarii ſucci roſarũ, cuiuslibet drach. mediã, omnia quippe hæc & mannam cum decoctione comuni cordialium fructuum.ſ.& florum diſſoluantur, & patienti dato, eo quippe die uictu regatur, uti reguntur corpora die illo, quo medicinam potauerunt, carnis uidelicet, pullinæ eſu, & eius iuſculo, decoctionis endiuiæ boraginis & betonicæ mane.ſ.& ueſperi. Sequẽti uero die, cum à matutino ſurrexerit ſomno, deuoret drac.ii. mixturæ ſequentis. Conſeruæ roſarũ, conſeruæ anthos, conſeruæ betonicæ, de quolibet Vnc.I. miſceto. Hãc quippe propinabis tribus ſeptimanæ diebus, donec ad nos æſtatis finis perueniat.

Eo quippe tempore iuberem D. S. uentriculo non pleno, & mane, in unius ſeptimanæ temporis ſpatio ſemel eius crura ſequenti lotione diluere, leui quippe utens frictione,

ctione, ne a superioribus ad crura humores poſt euacuationem derelicti conducerentur. Vini albi non admodum potentis. Siclam unam ſumito, in eo bulliant grana mirthi, & roſæ, & cytini, & ſtæcas, & betonica, ad tertiæ partis conſumptionem & reliquum uſui ſeruetur.

Vbi uerò D. S. forte fortuna eo in tempore podagra corriperetur, iubeo ipſam attenuante uti dieta, ut ait Galenus, in libro introductio, ſeu medicus. Placeat igitur D. S. per temporis ſpacium quattuor uel quinque dierum contentum eſſe tenui uictu in prandio, ueſperi uero ſolo potu iuſculi pullæ unciarum ſex. Quod ſi hoc non ſufferre ualeat, ei adde luteum oui, uino autem ex toto priuetur, ne opere medici blandientis offerentis ei uinum, podagrici dolores prolixiores fiant. Vbi uerò coacte uinum ei condonare neceſſarium foret, ſit tale, quale ſupra diximus, plurima aqua mixtum, & ſic quippe procedat, donec morbus ſui uigorẽ præterierit, & tunc uinum potens ei, tamen modicæ quantitatis condonare poterimus, ut ſi quid humoris pituitoſi in iuncturis permanſerit, quod natura diſcutere, & ſoluere nequierit, uinum ſui calore, id diſcutere atq; diſſoluere ualeret, cum hoc, quod uinum iuncturas roborabit, Et ſi forte fortuna aliqua urgẽte cauſa, ueluti eſt plenitudo totius corporis podagrici dolores incrementũ ſuſciperẽt, iuberẽ D. S. alternis diebus prope diluculum, unam de ſequentibus pillulis ingurgitare, confeſtimque ſuper eam, ſequentem ſyrupum potare. Pillularum de ermodactilis drachmam unam accipito, & ex ea cũ melle roſato pillulas quattuor conficito. Syrupus eſt, de betonica, de roſis, de endiuia, & aquæ quippe ſunt, betonicæ, endiuiæ, atq; boraginis, in his certe expertus ſum arthriticos dolores his temporibus minui, aut ex toto podagricos ſanari.

Cæterum rogabit fortaſſe, D. S. nũ. priuſquam tempus uernale terminum ſuum poſsideat, uel principii æſtatis tẽpus non peragrauerit, uel æſtatis ultima pars autum-

num.

num non tetigerit, nonnullæ apud Italiam thermæ D. S. peridoneæ ſint.Huic dicere auderem,ſi præceptis ſalutaribus Galeni & Auicennæ aſſentiri cupiam, Quæ ex naturali minera ſulphurea,aquæ ſcaturiunt,indubitatò ei peridoneæ ſunt, Sanè his exquiſitè peractis, illis uerò ſeruatis, quæ ipſi & ſimili aquæ obſeruiunt, congruuntque,Igitur intrepida fronte iubeo, priuſquàm uernale tempus à nobis effugiat, uel alterum æſtatis tempus, quæ duo conuenientia tempora à me idonea cenſentur, D.S. huiuſcemodi ſulphureas thermas aggredi debere, ob craſſos, & glutinoſos humores,in cauis neruorum occluſos,quorum exquiſitum remedium eſt,eos deſtruere, & conſumere, porrò hoc fit per attenuantia, & abſtergentia medicamenta, auctore Galeno ſeptimo,de compo. med.s.l. capite tertio. Quale eſt ſulphur,ut dixit Galenus nono, ſimpliciũ pharmacorum,ob quam rem quæ ſulphuris uires habent, D.S. peridonea ſunt. Verum & ſi thermæ aluminis atque nitri, ſaliſque quadam facultate pollerent, dum earum ſimul potentia uigeat,eas indubitatò podagricis conuenire fateor. Quibus craſſæ, & abundantis humiditatis exſiccatio, atque attenuatio, diſſolutioque ſalutare præſidium exiſtit. Quippe & hæc, exſiccante ui maximè pollent, ut ait Galenus quarto, de compoſitione medicamentorum per genera, capite primo, & tertio,capite ſecundo,& Auicenna ſecundo canone,capite quinquageſimo nono.

Nempe non dico epotam thermarum aquam, D. S. iuuamentum præſtare, quoniam ab ea fluxione à capite ad membra conducta, facile admoueretur catarrhi incrementum,quoniam ea aqua, cerebri pituitoſas humidates attenuans, eas fluxioni magis aptas parabit,quæ cauitates artuum implebunt,& artheticum dolorem excitabunt.

Verum eam aquam ad contexturam coronalem, ab alto cadentem ualentius ſuſcipere iubeo, Quo fit, ut fluxioni, & accumulandæ ſuperfluitati in iuncturis, ſalutare præ

ſidium

ſidium conducatur, eo enim aquæ occurſu, quod frigidũ eſt, calido alterabitur, & concoquetur. Quod uerò craſſum attenuabitur, atque capitis uires roboraborabuntur, ut pituitoſum humorem non progignant, & genitum reſoluant, Quo fit, ut fluxione, artus non grauentur, & in his dolores non excitentur.

Quæ autem D. S. Balnea conueniunt ſunt. Qualia ſunt Balnea apponenſia, aut Sanctæ Helenæ in comitatu Patauino. At & ibi lutoſa balnea Sancti Bartholomei. poſt duciam ualentius conferre pronuntio. Ex manifeſta enim eorum temperatura, & experientia compertum eſt, ea peridonea eſſe.

In comitatu uero Lucano, Balnea de Corſeno optima ſunt, at & apud Senarum Ciuitatem Balnea Sancti Philippi & Pitrioli mirabile induxerunt auxilium. In Romandiola uerò Balnea Sanctæ Mariæ inuenta ſunt conferre pluribus.

Ob errata, quæ in uictus ratione contingunt, non modo morbi fiunt, uerum & a temporibus, quorum naturæ, atque mutationes morborum, naturis affines ſunt, auctore Galeno tertio aphoriſmorum, commento decimo nono. Quippe cum hyberno tempore cerebri affectiones uigere ſoleant, auctore Hippocrate tertio aphoriſmorum, uigeſimo tertio, non ab re autumno præcedente, D. S. iterato purgatoriis uti medicamentis, ut ab initio curationis expoſui, facile iuberem. Quam ob rem cum autumni tempus ad nos peruenerit, eam ſeptenis inſcriptis ſorbitionibus, haudquaquam intermittente die, priuſquàm nobis ſol eluceſcat, uti uelim.

Syrupi de betonica, cum ſyrupo de endiuia, & de chamepythi, atque de oximelite pro quolibet unciam mediam accipito, Quibus aquæ betonicæ, chamæpythios, atque endiuiæ ad pondus unius unciæ pro qualibet permiſceto, & potui dato.

Cæterum

Cæterum cum concoctionis indicia apparuerint, ſic purgato. Mannæ unciam unam, diacatholiconis unciam mediam accipito, Quibus Reubarbari drachmam unam, & ſpicæ grana ſeptem, & electuarii indi drachmas duas permiſceto, at cum aqua coctionis, ſaluiæ, & hyſſopi, ac betonicæ, & omnium quattuor florum cordialium potum cōficito, & ante lucem exhibeto, ac ut parumper ſuper quieſcat iubeto.

Hyberno nempe tempore procedente, quod experientia frequentius didici, Id D. S. ſalutare præſidium eſſe non ambigo, uidelicet. Si octo dierum temporis interuallo bis terebentina, cum aqua chamæpythios, diluta, non pleno uentriculo, D. S. propinetur. Quippe aſſumptionis menſura, ſit pondus quinque drachmarum, neruos enim mundat, aluum ſoluit, & uiſcera omnia, atque iecur, lienem, renes, pulmonemque abſtergit, proinde neruorum, & artuum dolores corrigit, & emendat, auctore Galeno quinto de tuenda ſanitate.

Conſulo quoque D. S. ut ter in menſe hyberno tempore permeante, uacuo uentriculo, tribus ante quam cibum mane ingurgitet, horis, ſequentem edat bolum, Recentis, & uiridis radicis zinziberis drachmam unam. Turbith pul::erizati, ſcropulum. II. zucchari roſati drachmas duas accipito, cum zuccharo uero bolum facito, & exhibeto. &c.

Conſulo etiam D. S. ingurgitare currente hyberno tempore unam de ſequentibus pillulis, cuius pondus ſit, ſcropulus unus, Turbith, agaricum, Reubarbarum, pro quolibet drachmam unam, ſpicam, zinziber, & ſal gemma, cuiuſlibet grana quinque, Epithimum, mirabolanos citrinos, & chebulos, cuiuslibet ſcropulos quattuor. Hermodactilos ad drachmam unam & mediam, ſpecierum ieræ ſimplicis Galeni unciam mediam. Diagridium ad pondus drachmæ mediæ accipito, & omnia in ſubtilem puluerem conducito,

ducito, & cum rodomelle paſtam pillularum conficito,& pilulam unam ueſperi cum cubare uoluerit exhibeto, cæna aliqua ſuper præcedente.

Vbi uerò D. S. dolore podagrico actu corriperetur, conſulo D. S. ut inchoante morbo omnia præſidia topica aufugere conetur, niſi præ nimio dolore, timor corruptionis adeſſet naturæ membri,eo enim tempore his utatur ſolum,quæ dolorem ſoluunt,præter ullam ad locum materiæ attractionem. Qualia ſunt lac, oleum roſaceum completum,panis tritus, furfur, crocus, niſi adfuerit loci dolentis æſtuatio.

Hortor igitur D. S. cum morbus inchoauerit ſpatio trium dierum temporis, utatur attenuante dieta, carnes, atque uinum non deſideret.Veſperi non edat, ſorbitione iuſculi pullæ ſit contentus, manè uerò panem in iuſculo pulli eſitet, aquam decoctionis ſaluiæ cum modico cinnamomi potet, Quarto uerò die parum lautiori utatur dieta, potum ſequatur dictum, & pullorum alas uolantes edat, & paruorum animalium extrema, ubi uerò ad eam horam dolor increuerit, parum minus uictus rationem permutet, & die quinto prope diluculum quinque, uel ſeptem continuis diebus ſequentem ingurgitet pillulam: confeſtimque ſuper ipſam, potionem bibat ſequentem, ex ſcropulo uno pilularum de hermodactilis, fiat pilula una, qua deglutita potet, ſyrupi de betonica, & de endiuia, & roſati, cuiuslibet unciam mediam, Quibus apponito aquæ betonicæ, & iuæ, & endiuiæ cuiuslibet unciam unam, & potui dato. Certè ut ratio, & experientia dictat, ſic minuetur, ſi non ex toto dolor ſoluetur. & cet.

Poſtremo poſſet quis interrogare, ſi quippe his, quæ prædiximus,nullum aperte iuuamentum Dominationi S. ſuccedat, an aliquam ſui corporis particulam urere idoneum ſit.

KK Neminem

Neminem ambigere uellem, opus illud, quod urendo manu poſita à nobis efficitur, poſtremum medicinæ Priſci appellitant. Porrò igitur, ſi his, quæ in uictus ratione præcedente ſermone conſcripta ſunt, nullum Dominatio ſua præſidium palam adepta fuerit, minuſque his medicamentorum potionibus. Indubitato iubeo D. S. deorſum in cruribus à genu ſanè diſtanter ſpacio digitorum quattuor, in ſylueſtri parte urere debere. Nempe ea uſtione humores, qui neruoſas partes occupant, ad exteriora deriuátur, excernunturq́, ut ait Galenus, ſexto Epidimiarum, & Hippocrates, ſexto aphoriſmorum ſexageſimo. Ad illius bene merentis gloriam, qui nos regit, & cuſtodit.

Amen.

Benedictus Victorius Fauentinus theoricam Medicinæ in Doctiſſimo Gymnaſio Bononienſi edocens ſic dixit, Anno Chriſti. M. D. XLVIII. Die XIIII. Menſis Aprilis. & cet.

AD CATARRHVM CALIDVM,

Pro Domino Vlixe à Boue nobili quidem Bononienſi uerum tamen Monopoli degenti,

Conſilium XII.

NObilis uir Vlixes à boue Bononienſis, habitator Monopolis, complexionis totius billioſæ à prædominio, à ſubdominio uerò ſanguineæ, epatis calidi in actiuis, in paſſiuis uerò ad ſiccum declinantis, cerebri quidem calidi à caliditate ei comunicata uitio epatis, humidi quidem, & per eſſentiam, & per demandationem uaporum humidorum, uel humorum ab inferioribus ad ipſum, ſtomachi equidem conuenientis caliditatis, quæ cum iuuetur à caliditate ſibi uicinorum mẽbrorum epatis ſcilicet, & cordis eſt cauſa ſufficientis digeſtionis cibi in eo, & cordis calidi, tum per eſſentiam, tum caliditate ei comunicata uitio epatis, & horum omnium ſigna ſuarum naturalium complexionum ſic habentur.

Dictum eſt etenim ipſum in toto eſſe complexionis calidæ, quoniam bilioſæ à dominio, ſanguineæ uerò à ſubdominio, Dixit enim Galenus, ſecundo complexionum, ſenſum tactus regulam bonam eſſe ad iudicandum de exceſſibus naturalibus qualitatum, propter quod cum iſtius uiri corpus tangenti calidum appareat, ideo ſuam craſim excedere temperamentum in caliditate confitebimur. Et iterum quoniam eſt minus pinguedinis habens, temperatis, dicemus ipſum eſſe calidæ complexionis. Dixit etenim Auicenna ſecunda, fen. primi canonis, & Galenus loco allegato, quod caliditate reſoluitur, & conſumitur materia pinguedinis, & iterum adeſt ſignum caliditatis in eo; color ſcilicet rubeus in corpore, quia ſanguis in eo eſt calidior,

dior ex bile,& magis rubeus clarus, & iudicium noſtrum efficitur certius de dominio caliditatis in eo, quoniam capillos nigros habet,in eo etenim per caliditatem aduritur materia pilorum, & iſtudmet confirmatur, quoniam in eo uenæ amplæ ſunt Dixit enim Galenus ſecundo,de complexionibus,cuius uenæ amplæ ſunt,in ſui nã eſt calidus.

Eſt & ipſe in paſsiuis complexionis ſiccæ in toto propter illud dictum Galeni ſecundo, artis medicæ dicentis. Sicca temperatura eſt gracilior per diminutionem pinguedinis,& carnis, quia harum materia eſt pauca, in eis propter ſiccitatem eam conſumentem. Non lateat tamen nos iſtum non eſſe multæ diminutionis in carne, quoniam propter complexionem ſanguineam à ſubdominio, quæ eſt in eo non deficit multa materia generationis carnis. Quapropter & ſi ſiccus ſit in toto, non tamen ſiccitate multum excedente, quapropter ipſum tangentibus apparet ſiccum, minus tamen ſiccum, quanto ſua complexio minus per ſiccum eſt excedens tempertmentum, & quia coniuncta caliditate ſiccitatem in humoribus efficitur bilis, ideo eſt quod diximus ipſum à dominio eſſe complexionis bilioſæ, à ſubdominio uerò ſanguineæ & cet.

Et de epate diximus ipſum eſſe complexionis calidæ quam comitatur ſignum dictum à Galeno ſecundo, artis medicæ. Venarum ſcilicet amplitudo, & quia in iſto eſt uenarum extra poſitio, & manifeſtatio, ideo concludimus hoc eſſe à caliditate dominante in generatione membri, quod eſt epar: Epar enim calidum eſt, & magnum in iſto, propterea & uenæ magnæ ſunt in toto corpore, cum ſint ab eo ortæ, & ſibi deſeruientes in delatione ſanguinis, orta autem atteſtantur ſuis principiis, Adeſt etiam aliud ſignum in eo caliditatis epatis, uniuerſum etenim corpus eius calidum eſt ideo quia ad ipſum totum ſanguis calidior tranſmittitur,

ſanguis autem ab epate manat, & alia etiam ſigna atteſtantia ſupra caliditatem epatis dicta a` Galeno ſecundo, artis medicæ; Ab Auicenna tertio canone, in iſto nobili uiro reperiuntur, quibus omnino conuincimus ipſum a` dominio eſſe complexionis calidæ in actiuis, in paſſiuis uero` ſiccæ propter ſigna iam dicta cum loquebamur de complexione eius naturali in toto declinante ad ſiccum.

De cerebro autem, diximus ipſum fuiſſe complexionis calidæ, & humidæ, non multum tamen recedentis a` temperamento. Adſunt & ſigna huius in iſto nobili uiro, primum eſt Galeni, in ſecundo artis medicæ, eſt enim eius color in parte capitis clarus, non tamen bonus, ſicut in temperato, ſed ex albo, & rubeo, permixtus, non immuni ab aliquo palloris ad luteum uergentis gradu, & hoc eſt, quia in his partibus multiplicatur ſanguis bonus ſatis, & iterum dixit Galenus, quo`d & in iſto eodem reperitur ſcilicet, quod tangentibus caliditas in partibus capitis inuenitur. Et ideo, quia plus prouenit in eo ab epate ad caput de ſanguine, & ſpiritu, & iterum apparent in oculis eius uenæ magnæ. Atteſtatur autem magnitudo caliditatem dilatantem, & extenſio humiditatem, humidum enim facile extenditur, ut quarto metheororum. Adeſt & aliud ſignum dictæ complexionis cerebri, quoniam in eo ſuperfluitates ſunt plurimæ quidem non abſolute. Sed in comparatione ad cerebrum temperatum, uel ad calidum, & ſiccum, uel ad calidum tantum, uel ad ſiccum tantum, in quibus ſuperfluitates ſunt pauciores, quam in calido, & humido cerebro, quæ ſuperfluitates multæ in eis manifeſtantur magis per decurſum ad membra pectoris ſui multitudine ipſum lædentes. Adeſt & aliud ſignum, quoniam repletur eius caput, & grauatur calefacientibus, & humectantibus, cum enim humectatur ſta-

tim habet abundantiam ſuperfluitatum humiditate quidem replente, caliditate uerò eliquante, & ad earum humiditatum deſcenſum præparante, & iterum adeſt ſignũ, quoniam patiens iſte diſtemperatur in cerebro à cauſis calidis, & frigidis, à calidis humidis replentibus, & grauantibus, à frigidis uerò comprimentibus; uel à frigidis ad partes cerebri ingredientibus, per dilatatos poros capitis ipſum cerebrum lædentibus. Quare facile læditur ab utraque qualitate actiua, facile enim recipit impreſsionem utriuſque propter raritatem ob quam cito penetratur à calido, & à frigido, ideo eſt, quod patiens conqueritur de alteratione capitis proueniente & à calido, & à frigido.

De complexione autem ſtomachi, & cordis, ulterius nõ dicam, tanquam de non multum deſeruientibus propoſito noſtro, niſi quod omnia eius membra, & naturalia, & ſpiritualia ſunt à ſuo temperamento recedentia per calidum.

Patitur igitur hic uir Nobilis complexionis prædictæ diſpoſitionem præter naturam, quæ eſt catarrhus, qui eſt defluxus humiditatum à partibus ſuperioribus ad inferiora, calidus quidem catarrhus hic eſt magis ad partes pectoris ruens, quàm ad aliud membrum inferius, propter quod uirum iſtum ad aſthma diſponit non ſine timore ſputi ſanguinis, & phtiſis. Et huius catarrhi puto cauſam eſſe naturalem, & intrinſecam duplicem quidem, unã quæ eſt humiditatis præſentialiter in cerebro cõgeſtæ, per unam indigeſtionis nutrimenti ad cerebrum delati, quæ in ipſo remanens multiplicatur una uice poſt aliam. Secũda cauſa eſt uapor, & humor deriuans ab epate ad ipſum cerebrum, qui humor poſtea in ipſo remanens caliditate cerebri diſſolutus deſcendit ad membra, & uapor ſimiliter aſcendens ad cerebrum ab epate quidem facit ad eliquationem congeſtæ humiditatis in cerebro, præparans eam ad deſcenſum ad inferiora, & de prima cauſa dixit Ga

lenus

lenus quinto, de accidenti & morbo, uerbum iſtud, ſic accidit catarrhus cerebro ex defectu uirtutis concoctricis ipſius, ſicut accidit lienteria ſtomacho ex defectu ſuæ concoctionis, & hoc idem dixit Auerrois tertio, colliget per hoc uerbum operatio uirtutis digeſtiuæ in cerebro, aut diminuitur, aut corrumpitur, propter quod prouenit fluxus, uel curſus humiditatum ex cerebro ad inferiora. Non lateat tamen nos cauſam læſionis digeſtiuæ eſſe malitiam complexionis cerebri cum materia in iſto patiente, & adhuc hæc habet cauſam magis remotam quæ eſt mala complexio epatis à cauſa calida.

Quod autem hic catarrhus magis ad calidum declinet, adſunt ſigna in patiente, Primum eſt, quod dixit ſerapio in ſuo breuiario per hoc uerbum: Scimus quòd catarrhus eſt ex caliditate, cum eſt igneus rubore inficiens faciem, & nares, & caliditas uehemens, & acuitas eius quod currit, & de hoc etiam loquens Auicenna tertio canone, dixit ſigna eius caliditatis ſunt rubedo faciei, & oculorum, & mordicatio eius, & ſubtilitas eius, & caliditas tactus eius, & quandoque ſentitur acuitas in gutture eius, & ſputum ad citrinitatem quandoque declinat, & opilatio in naſo aliquando euenit, propter hæc omnia iſta magis apparentia in patiente iſto moti fuimus ad concedendum catarrhum ſuum declinare ad calidum, qui catarrhus ad membra pectoris præcipitatur, unde anhelitus, incraſſatur ex continua attractione aeris frigidi & multotiens patiētem iſtum deducit ad difficultatem anhelitus, quæ eſt quidam modus aſthmatis, Et hæc ſint de naturali complexione patientis, & de diſpoſitione præter naturam, qua moleſtatur, & de ſignis, & cauſis eius dicta.

Signa cat[illegible] cal[illegible]di.

De ſignis uero prognoſticis dicam, quæ à Doctoribus conceduntur. Dixit Galenus, de tuenda ſanitate intemperatæ naturæ capitis neceſſe eſt, ut multas ſuperfluitates generent, ex quibus fiunt nocumenta membris ſubiectis, &

Dixit,& fit catarrhus, cauſa multorum languorum & uariorum ſecundum uarietatem organorum ad quæ diſtillando prouenit, ſi enim ad uentriculos cerebri diſtillauerit epilepſiam, uel apoplexiam faciet, & ſi ad nares corizam uel polypum,& ſi ad palatum alcholam, & ſi ad gingiuam ipſam lateſcit,& corrodit, & dolorem dentium inducit, & eorum putrefactionem & caſum, & ſi ad aures, ſurditatem, & quandoque dolorem, & apoſtema facit,& ſi ad oculos dolorem eorum, uel ophthalmiam facit, & ſi ad guttur raucedinem, & anginam cauſat, & ſi ad ſtomachum nauſeam, uomitumque prouocat;dolorem, & aliquando fluxum pernitioſum, & ſi ad pulmonem tuſſim creat,& aliquando cum raucedine, aliquando cum apoſtemate,& ſi ad pectus, & ad pulmonem diſtillauerit aſthma cauſat,aut ſputum ſanguinis, aut phtiſim, aut pleuritidẽ, ſi uero ad cor diſtillauerit plerumque,& ſubito ſuffocat;& ſi in capſulam cordis paſſionem cardiacam parat, & ſi ad ſpinam,quam uocant, uertebras luxat,& gibbos facit, & ſi ad neruos paralyſim,& arthriticam paſſionem parit.Quare corpus ipſum totum diſponit ad diuerſas, & innumerabiles ægritudines.Quapropter cura catarrhi eſt ſollicitanda,& non negligenda neque a patiente, neque a medico operante,cum in breui temporis ſpatio corpus in iam dicta genera ægritudinum poſſet cadere.

Curatio igitur catarrhi huius nobilis uiri quinque remediorum generibus perficitur. Primum eſt debitum regimen in ſex rebus non naturalibus. Secundum eſt diminutio materiæ facientis catarrhum. Tertium eſt æquatio, uel digeſtio ipſius. Quartum eſt euacuatio completa ſi poſſibile fuerit materiæ facientis catarrhum.Quintum eſt corroboratio cerebri & membrorum mandantium ad ipſum,ut fumos,uel humores non recipiat, & receptos conſumat, uel exterius expellat.

Primum igitur completur in euitatione cauſarum extrinſecarum

trinſecarum catharrhum generantium,& primo in euitatione aeris exceſsiuæ caliditatis, propter quod non occurrat aeri, tempore æſtiuo, ſub radiis ſolaribus, capite denudato, neç alio non niſi neceſsitate urgente, & ſic intelligatur de aere quomodolibet exceſsiue calido, ſicut eſt aer hypocauſti, uel balnei. Et quoniam ab utraque qualitate patiens maximè alteratur, & læditur, ideo caueat ab aere exceſsiuæ frigiditatis. Quapropter ei ſtandum non eſt ſub radiis lunæ & maximè cum intrant per locum anguſtum, magis enim imprimunt, ut per feneſtram. Caueat quoque à uento meridionali calefaciente, & à boreali infrigidante quantum poſsibile eſt, ut uoluit Auicenna quinta tertii, & Meſue, capite de catarrho: Vitet quoque aerem nebuloſum humidum & frigidum, & calidum exceſsiuè. Quapropter his in aere diſpoſitionibus exiſtentibus ſi poſſibile eſt, ad eum non ſe exponat, ſed moretur tunc temporis in cubiculo quod ſitum ſit inter duo ſolaria & temperetur aer illius in actiuis, ad ſiccum tamen aliqualiter declinans & ad frigidum remiſſum. Quòd ſi fuerit tempus exceſsiuæ caliditatis, irroretur cubiculum cum aqua, & aceto, cum aqua roſata, cum aſperſione foliorum uitis, uel ſalicum, uel ponatur una de globulis infraſcriptis ſuper ignem, ut Reci. ſandalorum citrinorum, ſandalorum alborum, corallorum rub. ſem. acetoſæ, ſandaracæ. ana. dra. med. camphoræ ſcro. ii. cũ mucilagine dragaganti fiant globuli, unũ tamen aduertendo, quòd ſi tunc temporis fuerit eius capitis repletio caueat ab his aromaticis euaporatiõibus, & odoramentis, nocent enim magis replendo caput, ut uoluit Hippo. dum dixit. v. aphoriſ. XXVIII. ſuffitus aromatũ &c. & Meſue, in cap. de cura ſodæ, ſic igitur cuſtodiatur iſte patiens, maxime à contactu calidorum actu, ut ab aere calido, à mora ſub ſole, à mora prope ignem, caueat quoq; ablutiones, & emplaſtra calefacientia.

De ſomno autem, & uigilia, ſit eius ſomnus paucus,

cum enim prolongatur ſomnus humiditatibus replet caput, caueat à ſomno ſupra repletionem, quoniam eſt impedimentum digeſtionis cibi in ſtomacho, ideo tantam trahit moram cibo aſſumpto antequàm dormiat, ut conuenienter cibus deſcendat ad fundum ſtomachi, in quo perficitur digeſtio, caueat quoque à ſomno diurno. Dixit enim Auicenna prima tertii, diurnum ſomnum ad reumatiſmos præparare, & non iaceat ſupinus, quoniam tali ſitu caleſit uena chilis per ſpinam tranſiens, propter quod fit multa uaporum eleuatio ad cerebrum addendo cauſæ catarrhi, dormiat etiam ſuper latus, ut dixit haly. & non ſupinus, ne forte materia deſcendat ad pectus. Caueat quoque tempore ſomni à fumo, à uento, à radiis ſolis, & lunæ, nocent enim hæc addendo cauſæ catarrhi, & conſulo omnino, ut tempore ſomni dormiat capite ſatis cooperto, & bene eleuato membris etiam ſatis coopertis, & calefactis, quoniam frigiditas ipſorum magnum communicat nocumentum ipſi cerebro, ut fuit ſententia Ariſtot. ſecunda particula problematum, problemate uigeſimo ſexto. Caueat quoque à dormitione in locis terrenis humidis, & in antris, & in quibus aer non euentatur, eſt enim nociuum ualde.

De inanitione, & repletione, dico, quod repletio in iſto uiro eſt multum noxia, & per oppoſitum inanitio eſt utilis, & uniuerſaliter ieiunet, niſi ieiunium perducat ipſum ad inflammationem membrorum, quæ uitanda eſt in ipſo patiente & ideo dixit Auicenna prima tertii, capite de catarrho ſitiat, & famem patiatur, & uigilet quãtum poteſt.

De exercitio autem, & quiete, dico, quod motus inferiorum membrorum, qui fit per compreſſionem membrorum per fricationem ut ſpatularum brachiorum, & crurum, & cucurbitarum in ipſis appoſitio eſt ualde utilis. Dixit enim Auicenna quod motu membrorum inferiorum attrahuntur materiæ ad inferiora, propter quod

uel

uel aufertur, uel leuatur catarrhus, unum tamen aduertat, ut hæc non fiant ſuper repletionem, ſed euacuatis ſuperfluitatibus primæ, & ſecundæ digeſtionis, & maxime mane, potiuſquàm ueſperi, conſulo etiam, quod poſt exercitium inferiorum membrorum, & ſuperfluitatum emiſsionem, ut leuiter caput pectatur, uel leuiter fricetur cum pano aſpero, his enim fit reſolutio materiæ exiſtentis in capite, & cerebri robur. Caueat quoque ab omni laborioſo, & forti exercitio, & maxime membrorum ſuperiorum, ex forti enim exercitio totius corporis calefit corpus, addens ad maiorem liquefactionem materierum exiſtentiũ in cerebro, forti quoque fricatione capitis fiet maior attractio materierum ad caput, quàm ſit reſolutio materiæ præſentialiter exiſtentis in capite.

De coitu, cum etenim coitus ſit aliquale exercitium, aliquando in iſto patiente confert, ſit tamen moderatus, & non ſuperfluus, & non fiat niſi celebrata ſecunda digeſtione in epate, & pro parte tertia.

De accidentibus autem animæ, gaudeat, & lætetur, iraſci enim, & triſtari nocet, dixit enim Galenus, tertio artis medicæ loquens de paſsionibus animæ uerbum iſtud, exterminant enim hæc noſtra corpora, & eam, quæ ſecundũ naturam conſiſtentiam permutant.

De cibo autem, & potu, in quibus conſiſtit magna pars curæ, dico quod cauendum eſt ab omnibus cibis inflammabilibus, & uaporabilibus, propter quòd omnes ſpecies calidæ ſunt ei nocuæ, quæcunque adhuc multum dulcia ſunt, & pinguia, & flatuoſa ſunt ei prohibita, ut butyrum, lac, & carnes pingues. Caueat etiam à frigidis multum, & humidis, ut ſunt omnia genera fructuum, betæ, & ſpinachia, & huiuſmodi. Quòd ſi eſſet tempus æſtiuum & maxime inflammationis non dedecet aliquid de talibus ſumere.

Vitentur etiam quæcunque amara, & ſalſa ſunt, & acria

& multum acetoſa,uiſcoſa etiam,& cartilaginoſa non conueniunt,& ſic caſeus,piſces,& omnia lacticinia ſunt euitãda. Piſces tamen parui de libero mari, uel in arena habitantes,maxime in æſtate, conueniunt, omnia quoque leguminum genera ſunt ſibi prohibita,facile in flatum uertuntur, & ad caput euaporant. Panis eius conueniens ſit de flore farinæ non ſit recens, neque calidus ad minus duorum dierum ptiſana & hordeo, ex zea, uel ex frumento eſt cibus ei conueniens. Oua recentia cocta in aqua, & aliqualiter alterata cum modico cinnamomi ei conueniunt. De carnibus eius. Carnes non ſint nimium propinquæ generationi, quare nocet ei caro uituli, uel agni unius menſis, quare in hyeme conueniunt ſibi carnes caſtrati, & in æſtate carnes uituli. Carnes quoque paruarum auium montanarum, ut perdicum; & ſimilium ſibi conueniunt.Carnes quoque pullorum bene conueniunt,& turtures in hoc præcipuam habent utilitatem, uitent pipiones, quoniam ſui caliditatę euaporant ad caput ipſum replendo.

De fructibus conueniunt uuæ paſſæ, & aliquando amigdalæ & pineæ tempore hyemis concedi poſſunt, non tamen in frequenti uſu propter cauſam euaporationis comedat quandoque pira, & cocta poſt cibum,ſi enim cocta fuerint ſunt notabilis iuuamenti, ſi parcè ſumantur. Ex oleribus etenim conueniunt attriplices, maluæ, & cucurbitæ conditæ cum oleo amigdalarum dulcium,& cum iure pullorum, & aliarum bonarum auium. De uino dico, quod omne uinum potens ab eo omnino eſt dimittendum uinum etenim mediocre caput replet, quanto magis & potens. Vinum etiam mediocre addit in cauſam, caliditate epatis, tanto magis, & potens, & epatis caliditas non abſoluitur à cauſa catarrhi in patiente. Dixit enim Meſue, capite de catarrho uerbum iſtud,fiat diminutio potuum,& ciborum, ſuple tu in catarrho, & prohibi-

tio uini omnino. Et dixit Auicenna prima tertii, ut impleatur cura indigetur repulſione faſtidii, & non impleatur uenter eorum uino, ſit igitur abſolute parcitas in potu uini ſi expedit patientem ex conſuetudine bibere. Sit ipſum uinum in colore, & ſubſtantia mediocre, uel album remiſſæ uinoſitatis. Quòd ſi inueniat patiens uinum medium in colore quod ciſiolum dicitur merito conuenientis aſtrictionis magis conueniret, & ſit omne uinum quo utitur miſtum aqua plus, & minus ſecundum diuerſitatem uini, & temporis, & conſuetudinis. Caueat à potu uini poſt cibum ueſperi maxime, ipſum enim ultra hoc, quod impedit digeſtionem euaporat ad caput ipſum replendo, & hæc de primo remediorum genere conſiſtente in regimine dietæ obſeruandæ ab ipſo patiente, dicta ſint.

Secundum genus in actu curatiuo huius catarrhi eſt minoratio materiæ facientis ipſum, ne ſui abundantia, & multitudine deducat patientem ad peſſimum lapſum, ut ad ſuffocationem, uel ad aliam ægritudinem ſuperius memoratam. Cui ſuccurremus, uel cum phlebotomia, uel cum euacuatione, cum pilulis, aut alio pharmaco. Cũ phlebotomia quidem ſi fuerit expediens, ut ſi cum catarrho patiens ſentiat puncturam in mamillis, uel in coſtis, uel in lateribus ſignificans ex hoc, quod materia fluit ad illum locum, nam ubi dolor, ibi ægritudo, ideo ſuccurratur cum phlebotomia, ne ibi fiat apoſtema. Quapropter conſulo, quòd ſi patiens in aliquo tempore futuro perceperit huiuſmodi dolorem, uel in gutture, uel in locis prædictis, ad prohibitionem. Apoſtematis in eis catarrho exiſtente calido, ſicut eſt, faciat minutionem leuem ex baſilica dextri lateris, remittetur enim ſanguinis, & bilis ebulitio in epate, propter quod remittetur euaporatio calidorum ad caput, & minorabitur cauſa faciens catarrhum. Si uerò phlebotomia non fuerit

expediens,

expediens, ut nulla prædictarum conditionum ſtante, cõſulo, quod tempore in quo magis moleſtatur catarrho, aſſumat euacuationem minorantem materiam catarrhi. Vt Recip. Mannæ electæ, caſſiæ optimæ nouiter tractæ ana. drach. VI. Electuarii ſucci roſarum, electuarii de dactilis ana. drach. I. miſce, & fiat bolus cum zuccharo, quem bolum aſſumat ueſperi cum ibit dormitum præcedente leui cæna, & ſi uoluerit medicinam in forma pillularum aſſumat has pilulas eadem hora, ut Reci. pilularum aurearum, ſcropul. ii. agarici trociſcati, ſcropul. I. miſce, & cum ſyrupo uiolato fiant pilulæ numero quinque. Quantum enim ualeat agaricus capiti, & pectori omnes medici ſciunt.

Tertium completur contra operando cauſæ facienti catarrhum in iſto patiente, & quia catarrhus eſt calidus, & cauſa calida, ideo occurrendum eſt utrique cum frigidis. Quare minorata materia digeratur reſiduum materiæ remanentis cum ſyrupis ad frigidum declinantibus, & maxime in temporibus, in quibus patiens conſuetus eſt purgari, ut bis in anno ſcilicet, in uere, & autumno. Sit igitur ſyrupus talis. Recip. ſyrupi roſati infuſione roſarum ſiccarum, ſyrupi de iuiubis, mellis roſati colati, ana Vnc. med. Aquarum acetoſæ, tuſſilaginis endiuiæ. ana. Vnc. I. miſce. Vel ſic. Recip. ſyrupi de ſucco acetoſæ, ſyr. mirthini. ana Vnc. I. aquarum plantaginis, cicorii. ana. Vnc. I. & med. miſce, & continuet alterum horum ſyruporum per ſex dies, & quia patiens conqueritur moltotiens de difficili exitu ſputi à pectore ideo conſulo, ut omnibus diebus, quibus in mane aſſumit ſyrupum, aſſumat ueſperi cum ibit dormitum. Vnc. iiii. decoctionis iuiubarum, dulcis radicis raſæ, capillorum ueneris, uuarum paſſarum, cum zuccharo, & non ſolum his diebus hac decoctione utatur, quinimmo conſulo, ut omni menſe ad minus per ſex dies prædicta decoctione utatur ueſperi cum ibit dormitum.

Facta igitur digeſtione in materia cum ſyrupis & deco-

ctione

ctione prædictis ad quartum remediorū genus tranſeundum,quod eſt euacuatio completa materiæ facientis catarrhum, & hæc completur & phlebotomia, & purgatione per pharmacum, phlebotomia equidem, ſi fuerit expediens, id eſt ſi adfuerint conditiones committendæ phlæbotomiæ in catarrho datæ ab Auicenna prima tertii, & à meſue capite de catarrho, & ſit phlebotomia euacuatiua ex cephalica dextri lateris,quæ e directo euacuat à capite. Quod ſi phlebotomia non fuerit expediens exhibeatur medicina hæc reſpiciens caput,& reſpiciens pectus de quo concoqueritur, reſpiciens epar, quod maxime in cauſa catarrhi eſt, ut Recip. Diacatholiconis, mannæ electæ, ana. Vnc. med. agarici electi drach.I. zinziberis grana. VI. Reubarbari electi, drach.I.ſpicæ. grana.V. ellectuarii ſucci roſarum. drach.I. & med. Ellectuarii de dactilis. ſcropul.ii. infundatur Agaricus cum ſuo correctiuo in oximelle ſimplici per. IX. horas, deinde fiat fortis expreſsio, & omnia ſimul cum decoctione pectorali diſſoluantur, & fiat potus, non addo aliquam ſpeciem mirabulanorum, quæ in caſu conuenirent, propter lapſum pectoris, & timorem aſthmatis,& difficultatem anhelitus, de quibus conqueritur. Quòd ſi uoluerit in forma pilularum, facta digeſtione aſſumat has pilulas.Recip.pilularum aggregatiuarum ſcropul.ii.pillularum aſſaiaret.Agarici trociſcati ana.ſcropul.I. miſce cum ſyrupo uiolato fiant pilulæ numero. VII.uel Recip.pilularum aurearum, drach.I. agarici trociſcati ſcrop. I.miſce cum ſyrupo uiolato fiant pilulæ numero.VII. quas aſſumat poſt dimidium noctis,& ſuperdormiat quouſque inceperit earum operatio,uel uſque quo lux diei apparuerit. Temporibus uerò intermediis, quibus non aſſumit ordinariam purgationem,conſulo, ut ad minus in quolibet menſe ſex uicibus alternatis diebus noctu, cum ibit dormitum,aſſumat unam de infraſcriptis pilulis, ut Reci. agarici optimi,& electi,Turbith boni,& gummoſi,reubar

bari

bari optimi,maſticis.ana.drach.med. zinziberis ſpicæ.ana. grana.iii.puluerum ieræ ſimplicis. drachm.I.mirabulanorum citrinorum, ſcropul.I.Diagridii.grana.V.pulnerizantur omnia ſubtiliter cum ſyrupo roſato, fiat paſta pilularum,doſis eſt pilula numero.I.ſcropul.I.

Completa uerò euacuatione,uenit ultima intentio,quæ eſt confortatio cerebri, & membrorum mandantium ad ipſum, confortatur autem cerebrum, & epar demandans ad ipſum in cauſa calida tàm per ea,quæ intus aſſumuntur,quàm per ea,quæ exterius applicantur; per ea,quæ intus aſſumuntur, ut cum iſto electuario, in quo eſt uirtus corroborans cerebrum,& retētrix fluxus materiæ ad inferiora,& pectus largum efficiens, & ſputum ut abſque negocio educatur adiuuans, ut Recip.ſpecierum tria ſandalorum,puluerum diadraganti frigidi, puluerum diapapaueris,penidiorum.ana. Vnc. med. pulmonis uulpis puluerizati drach.I.miſce,cum zuccharo optimo quant.ſuffic. fiat electuarium,de quo aſſumat ad quantitatem caſtaneæ, cōtinuè per duas horas ante cibum, poſt cibum uerò asſidue utatur comeſtione coriandrorum præparatorum, cum uerò ibit dormitum, cottidie ueſperi retineat in ore unam de pillulis, ordinatis pro hominibus delicatis, ut Recip. ſem.papaueris albi, ſem.portulacæ,ſem.lactucæ, candi,penidiarum, dragaganti infuſi ana. drach.I. opii, croci, ana. ſcropul.I. fiant pilulæ, cum miua cydoniorum, quas non ſolum temporeſomni,quinimmo & tempore uigiliarum retineat in ore, hæ etenim ualent ad defenſionem, & ad præſeruationem partium ſubiectarum à reumate. Conſulo etiam, ut fere omni hora diei asſiduet aſſumptionem unius cochlearis infraſcripti iulep. Vt Recip. aquæ endiuiæ, aquæ acetoſæ, aquæ uiolatæ, aquæ capillorum ueneris, aquæ ungulæ caballinæ, ana.lib.med. zucchari optimi quant.ſuffic. & fiat iulep. asſidue quoque utatur retentione zucchari candi in ore, ſuccum quoque dulcis radicis

non

non negligat,per ea uerò, quæ exterius applicantur ut cũ ſacculis commiſſuræ coronali applicitis, in quibus ponantur flores camomillæ,roſæ,flores nympheæ, coralli rubei, modica quantitas ſampſuci, & flores ſtæcados arab. Et ex eiſdem poſſunt fieri pulueres apponendi commiſſuræ coronali noctu,quando ibit dormitum, & ex eiſdem poteſt fieri ebulitio in lixiuio dulci cum quo poteſt caput abluere,roboretur quoque epar cum applicatione epithematis, & inunctionis,ut Recip.Aquæ roſatæ,aquæ epaticæ, aquæ endiuiæ,aquæ abſinthi ana.Vnc.iiii. ſandalorum rubeorũ, ſandalorum alborum, corallorum rubeorum,roſarum rubearum ana.drach.I.ſpodii.drach.med. ſpice gran.VI. aceti optimi.Vnc.I. & med. miſce pro epithemate epatis, tritis terendis,facto uerò epithemate ungatur epar cum hoc unguento.Recip.unguenti ſandalini,infrigidantis Galeni.añ, Vnc.med.miſce. Epithema epatis calidi

Quòd ſi hæc non contulerint conſulò de altero trium remediorum, uel de Ducia, qua perfundatur capitis eius commiſſura,cum conuenienti aqua naturali, ut eſt balneũ de aqua, uel conſulò de cauterio facto in commiſſura coronali,laudato ab Auenzoar in libro Theiſir, uel de ueſicatione poſt aures. Et in quolibet iſtorum trium remediorum bene me reperii.Quare & cet.

FINIS.

MM

AD CATARRHVM FRIGIDVM, & affectiones, quæ ipſum catarrhum conſequuntur.

Pro nobili domino Bartholomæo Vanuglio Lucenſi,

Conſilium XIII.

COnſueui ego, uir Nobilis, in conſulendo ſuper adeptionem ſanitatis corporis ægrotantis, memorari, quæ à Galeno in prima particula de ratione uictus acutorum dicũtur: his enim fiet mens,& iudicium medici certius in pronunciãdo ueritatem de re, his quoque promouebitur infirmus erga medicum,ut obtẽperet præceptis & uoluntati ipſius medici, ut dixit Hippocra.primo prædictionum & Halyabas in principio practicæ. Tria igitur ſunt, ſuper quæ diſcurram, ut ſi deo placuerit Nobilis hic ad ſui priſtinam ſanitatem redigatur. Primum eſt naturalis complexio de genere rerum naturalium,quæ dominatur in toto, & in principalibus membris ſui corporis, propter illud uerbum Galeni primo de ratione uictus acutorum, & non intromittas te ad curam alicuius ægritudinis, niſi prius penſites complexionem ægri, facile enim poſſet error contingere in modo curæ. Secundũ eſt eſſentia ægritudinis,& eius cauſæ,& eorũ quæ annectuntur illi accidẽtiũ,iuxta proceſſum Galeni.III.artis medicæ.Tertium eſt modus curæ. Quantũ ad primum nobilis uir,complexionis calidæ eſt in actiuis. In paſſiuis uerò ſiccæ propter quod ipſum naturaliter complexionis cholericæ eſſe aſſerimus, quantumcunque fortè pedetentim facta quadam,& ſucceſsiua mutatione ex longo tempore,& forte ex uſu mali regiminis fuerint,nunc temporis in

ris in eo multiplicatæ cauſæ præter naturam contrahentes ipſum ad complexionem præter naturalem frigidam, & humidam, propter quæ aliàs tempore ſuæ pueritiæ, uel iuuentutis pronus erat magis ad ægritudines cholericas: nunc autem, & etiam aduentante ætate conſiſtentiæ, pronus eſt factus ad ægritudines phlegmaticas. Comprobamus autem naturalem eius complexionem cholericam fuiſſe, primo ex relatione ſui, & ex ſignis, quæ potui ego ex literis ſuis comprehendere: quædam etenim illius ſigna ſumuntur ab habitudine corporis: Quædam autem ab operibus, in quæ cum facilitate, & aſſuetudine quædam ipſe aptus eſt exire, ab habitudine corporis, non pinguis etenim eſt ſatis, latas habet uenas, capilli equidē ad nigredinem, uel parum ad flauum declinantes, non immunes à quadam criſpitudine, & tunc temporis color faciei rubeus erat non mundatus à quadam citrinitate, Ab operibus uerò, quoniam iracundus, ſuperbus promptus ad iram. &c. Quæ omnia declarata ſunt, in ſecundo artis medicæ à Galeno, & ab Auerroe quarto colliget. Regulor autem ego in confirmando hæc ſigna complexionis naturalis in eo propter ſigna, quæ bene præmeditaui in eius filio, nutu cuius ſupra morbum ſui Nobilis patris conſilium hoc compoſui. Quòd ſi uerum ſit, ut ſcribitur tertio artis medicæ, naturalem complexionem poſſe permutari ab eo quod fuit à primis ſpermatibus, credam dictis ſuæ nobilitatis, complexionem ſcilicet, ſuam nunc temporis eſſe à dominio phlegmaticam, cum ex uſu indebiti regiminis multiplicantis phlegma pedetentim, ſucceſſiue, & longo tempore hanc contraxerit ſibi complexionem, propter quam maiorem acquiſiuit aptitudinem ad caſum in diuerſas ægritudines à uitio phlegmatis pendentes, ſi uerò immutabilis ſit complexio naturalis ab eo quòd fuit à ſui prima generatione, Dicam ipſum accidentaliter acquiſiuiſſe ſupra complexionem naturalem ex uſu mali regiminis

in ſex rebus non naturalibus quandam complexionē præter naturam dirigentē ipſum in uarios lapſus uitio phlegmatis. Epatis uerò complexionē naturalem, ut ex relatione ſui, & medicorum ſuorum potui comprehendere, in actiuis quidem calidam, in paſſiuis uerò ſiccam naturaliter pronuntiabo credo enim in eo exiſtere ſigna talis complexionis epatis, quæ à Galeno in ſecundo artis medicæ dicũtur. Vt amplitudo uenarũ, pili in eo, qui ſub hipochōdriis ſunt multi: ſanguis paucior eſt, & craſſior, & bilis flaua in eo ſecundum plurimũ aderat, & in hora conſiſtentiæ multiplicabatur atra bilis, & uenæ non pulſatiles ſunt amplæ, & duræ, & ſimiliter eſt diſpoſitio totius corporis.

De cerebro autē, quòd ſi regulor à diſpoſitione naturali totius, & epatis, non poſſem dicere, ipſum eſſe in actiuis niſi complexionis calidæ, & ſic puto ipſum fuiſſe in ætate ſuæ adoleſcentiæ, & principio conſiſtentiæ: Cum enim tũc temporis erat eius naturalis complexio cholerica, cum caliditate epatis, ut & ipſe profitetur: cui in hoc fidem adhibeo: nō poterit eſſe quin cerebrum tanquá caminũ fumorum calidorum receptiuum caliditatem ei comunicatam, & à toto, & ab epate, recipiat. propter quam caliditatē continue agentem in humidum cerebri, ipſam eliquando, præparat eam ad deſcenſum reumatiſmi, quod Reuma forte frigidum eſt, quantumcunque motum à cauſa calida. Et quia complexio præter naturalis naturalem cōplexionem poteſt corrumpere ei contra dicens, cum ipſa ab indebito regimine in ſex rebus non naturalibus fuerit adiuta, ideo ſi uir iſte nobilis putat cerebrum ſuum eſſe complexionis frigidæ, non audeo iſtud dicere eſſe ex naturali ſui complexione, cum contrarium euenire contingat ex contra operantibus, ſed ex his, quæ præter naturaliter contingunt noſtro corpori, frigiditas quædam præternaturalis acquiſita eſt cerebro illius, quam ſenſibiliter percipit: niſi fortè hæc frigiditatis perceptio fiat ex raritate pororum cutis capi-

tis,qua facilis redditur ingreſſus aeris ad cerebrum, quantumcunque cerebrum ſit complexionis calidæ, caliditate rarefaciente etiam meatus ipſius capitis,propter quod manifeſte apparet ipſum lædi à frigidis, iuuari uerò à calidis moderato uſu.Credam igitur illi cerebrum ſuum nunc tẽporis factum eſſe complexionis frigidæ,propter quã multiplicantur per uiam reumatiſmi ſuperfluitates multæ ad inferiora ruentes, uaria ægritudinum genera cauſante frigiditatis uitio.

De cordis autem complexione non dicam, tanquã de non ſeruiente propoſito noſtro, cum per illius literas de nullo cordis lapſu torqueatur.

De ſtomacho autem cum ſit membrũ comune toti corpori deſeruiens, propter cuius prauitatem deprauatur totum corpus,& partes illius,ideo de eo dicam eſſe complexionis frigidæ in actiuis,humidæ uerò in paſsiuis,eſt enim malæ digeſtionis:celebratur autem mala digeſtio ex frigido ut diminutio.IIII.metheororũ, & credo ipſum plus appetere de cibo,quã poſsit ipſum digerere, ſufficiens quoq; ratio & eius frigiditatis,& eius diminutæ digeſtionis habetur ex decurſu ad ipſum multarũ ſuperfluitatum, per uiã reumatiſmi deuenientium,replentes enim humiditates ipſæ pituitoſæ uenictes ad ipſum ſtomachum, naturalẽ eius uirtutem obtundunt, propter quod ipſæ humiditates derelictæ ab opere naturæ putrefiũt,à quibus putrefactis inde eleuãtur mali uapores ad caput replentes ipſum, qui à frigiditate cerebri iterũ cõdẽſati cõuertũtur in aquã, quæ à ſui grauitate,& ui naturæ expulſiuæ cerebri iterũ ruit materia illa ad inferiora,malas diſpoſitiones cauſans in ipſis. Euenit aũt hoc, quòd ſtomachus ẽ cã nocumẽti cerebri,& cerebrũ eſt cã nocumẽti ſtomachi,iuxta modũ Ariſt.in poſterioribus analeticis,quòd pluuia eſt cã terræ deplutæ, & terra depluta eſt cauſa pluuiæ, & hoc de primo,& de complexione totius,& partium corporis ægrotantis.

Quantum

Quantum ad ſecundum Nobilis uir patitur principalem ſui diſpoſitionem præter naturam, quæ eſt defluxus humiditatum à cerebro ad partes ſibi ſuppoſitas, quæ ſunt oculi: ſtomachus: pectus, & iuncturæ. Et propter principalem diſpoſitionem ponimus ipſum in capitulo catarrhi. Et propter primam annexam ponimus ipſum in capitulo de imaginibus. Et propter ſecundam annexam ponimus ipſum in capitulo Aſthmatis. Et propter tertiam in capitulo debilitatis digeſtionis ſtomachi. Et propter quartam in capitulo doloris arthritici. Et dixit Galenus, in tertio artis medicæ, quod omnis ægritudo habens cauſam pendet ab eſſe cauſæ, remoueturque ex remotione cauſæ. & cet.

Primo igitur decurremus ſupra cognitionem cauſæ catarrhi in iſto nobili uiro, ſecundo uerò ſupra cognitionē cauſarum eorum, quæ annectuntur catarrho ut diſponamur ad remotionem illarum cauſarum, cum loquemur de cura diſpoſitionum præter naturalium iam dictarum. Eſt igitur catarrhi cauſa in patiente iſto duplex. Vna equidem extrinſeca, à qua mota eſt, & multiplicata humiditas in cerebro, & fuit impreſſa qualitas ab aere tranſeunte per caminum, ſub quo in ſuis conſuetis operationibus patiens multo tempore degit, & niſi fuiſſet præparatio intrinſeca propter cauſam, intrinſecam operantem præter naturaliter in cerebro ad defluxum humiditatum ab eo ad inferiora putarem huius catarrhi cauſam ſolum fuiſſe extrinſecā, ſicut & ipſe præopinatur. Sed cum ex remotione cauſæ extrinſecæ contingat effectum iu breui remoueri, ut ex tertio artis medicæ habetur, opinor cum ægritudo hæc longam temporis moram in patiente contraxerit, ipſam habuiſſe originem ab intrinſeca cauſa quam iuuit tamen in ſuo opere extrinſeca cauſa. Propter hoc igitur dico, quòd catarrhi cauſa in patiente intrinſeca fuit duplex. Vna, humiditas in cerebro congeſta per uiam indigeſtionis nutrimenti

menti ad ipſum delati: Cuius humiditatis ſuperfluitas indigeſta in ipſo remanet, & multiplicatur una uice poſt aliam. Et hoc eſt quod dixit Galenus quinto, de accidenti, & morbo, & Auerrois quarto colliget, per hoc uerbum, ſic accidit catarrhus cerebro ex defectu uirtutis digeſtiuæ ipſius, ſicut accidit lienteria ſtomacho ex defectu ſuæ digeſtionis. Congeritur enim humiditas in cerebro ex indigeſtione alimenti ad ipſum delati. Quare læſio facta in cerebro ex malitia complexionis cerebri, cum materia puto fuiſſe unam de cauſis catarrhi ipſius patientis. Cuius autem complexionis ſit materia illa congeſta in cerebro, & in actiuis,& in paſſiuis licet apud me ſit aliquale dubium, credendo tamen relationi patientis ex literis illius mihi delatis mala illa complexio peccantis materiæ in cerebro frigida,& humida eſt,adſunt autem ſigna denuntiantia frigiditatem & humiditatem materiæ catarrhalis, quia non ſentit calorem in fronte,neque in facie notabilem,&quod exit frigidum eſt craſſum,& uiſcoſum,aliquando quidem aquoſum tale factum ab expreſſione à frigido in cerebro, uel ab eleuatione caliditatis ad ſuperiora ad inferiora eliquantis,& credo illius faciem albam eſſe, & pallidam, & quod paroxiſmi defluxus materiæ catarrhalis non ita frequentantur, ſicut ſi materia calida eſſet,& alia etiam puto adeſſe ſigna frigiditatis, & humiditatis materiæ dicta tertio canone, ab Auicenna in proprio capitulo de catarrho. Et ab aliis,ut capitis grauitas,dolor grauãs, ac in facie plethorica habitudo,& maxime tempore illo, quo mouetur paroxiſmus catarrhi.Et iterum aliam puto eſſe cauſam catarrhi adiutam à prima,& primam facientem, quæ eſt,uel humor, uel uapor aſcendens ad cerebrum, aut ex toto corpore, aut ex ſtomacho,qui humor,ſi humor eſt in ipſo cerebro remanens deſcendit diſſolutus in membra. Si uero uapor ipſe aſcendens ad cerebrum non reſolutus frigiditate cerebri congelatur,& in aqueam materiam conuertitur,

titur,

titur, qui poſt congregationem eius ad inferiora deſcēdit, & iterum opinor aliam intrinſecam cauſam concurrere in genere cauſæ antecedentis, promouentem primam coniũctam, & excitantem ſecundam, quæ eſt epatis nimia calidi tas, quæ cum ſit natura leuis attingens cerebri ſubſtãtiam, diſſoluit congeſtam humiditatem in eo, & ipſam defluxui ad inferiora præparat. Et hæc de cauſis principalis ſuæ diſpoſitionis dicta ſint. &c.

Patitur quoque & idem nobilis uir apparitionem imaginum diuerſorum colorum ante oculos, quæ non ſunt operationes corruptæ uirtutis uiſiuæ, ſicut teſtatur Auer. III. colliget, cum dixit accidit ut uideatur oculus uidere omnes colores ſecundum unum modum, ſcilicet, rubeos, aut citrinos, aut aliter diſtinctos. Huius autem uiſionis imaginum cauſam puto non eſſe aquam, quoniam imaginationes, quæ ad aquam perducunt, non ſtant ſex menſibus cũ incolumitate oculi, immo non ceſſant gradari in conturbatione uiſus, donec deſcēdat aqua cum eis ſubito. Et hoc eſt ut uoluit Galenus quarto, de interioribus, & Raſis ſecũdo continentis: ſed puto apparitionem hanc, imaginum eſſe ex duabus cauſis, prima propter prauitatem complexionis oculi, ſecunda propter cõmunitatem à ſtomacho, propter cuius diminutam digeſtionem factam in cibo, uapores eleuantur ad oculum, perturbantes ipſum imaginationes illas cauſantes, & credo iſtud eſſe uerum, quia opinor in eo augmentum, & diminutionem imaginum ſecũdum additionem, & diminutionem uaporis eleuati à ſtomacho.

Et iterum ſecundo patitur diſpoſitionem annexam catarrho, quã ipſum poſuimus in capitulo aſthmatis, cauſa cuius eſt mala complexio frigida cum materia multa, maxime phlegmatica exiſtente in toto corpore, uel in aliqua parte parata fluere ad membra anhelitus, & maxime ad pulmonem. Et præcipue cum materia exiſtens in capite, ad

cuius aſthmatis paroxiſmum maxime mouetur tempore initii ueris, & principii autumni. In uere autem propter diſſolutionem factam in humiditatibus à calore eius, & impotentiam reſolutionis earum. In autumno uerò propter complexionem factam à frigiditate eius, à principali etenim diſpoſitione catarrhali materiæ idem fluentes à capite ad membra ſpiritualia, ut ad pectus, pulmonem, & ad cannam eius, ibi craſſeſcunt meatus, quæ obſtruētes difficultatem in hanelitu cauſant, tuſſimque moleſtam tandiu durantem, quouſque ab illa materia mundificata fuerint membra anhelitus.

Et iterum patitur. Tertiam diſpoſitionem annexam catarrho, qua ipſum poſuimus in capitulo debilitatis ſtomachi. Huius autem debilitatis ſtomachi cauſam puto eſſe malam complexionem frigidam cum materia, cum qua multiplicatur, phlegma uiſcoſum in orificio ſtomachi mollificans, & confundens ſtomachum ipſum replendo, & uirtutem ſenſitiuam hebetando, quæ materia phlegmatica in ſtomacho eſt, partim ex natura ſtomachi debilis uirtutis digeſtiuæ exiſtentis, partim per comunitatem à capite, à quo per uiam reumatiſmi ruunt materiæ ad ſtomachum replentes ipſum, & uirtutem ſenſitiuam obtundentes.

Et iterum patitur quartam diſpoſitionem annexam, qua poſuimus ipſum in capitulo doloris arthritici, cuius doloris cauſam puto triplicem. Prima fortitudo membri principalis ſcilicet, capitis expellentis ſuperflua ad iuncturas, quibus ſuperfluis poſuimus ipſum in capitulo de catarrho, & ſicut catarrhus eſt frigidus, ita & dolores huiuſmodi à cauſa frigida erunt, cum ſint ab eadē cauſa. Secunda cauſa eſt multiplicatio humorum frigidorum in corpore, qui humores præcipitati ad membra ignobilia triſtem ſenſationem cauſantes in eis dolorem inducunt. Tertia cauſa eſt debilitas membrorum recipientium,

uirtutis enim eorum naturalis debilitata non potens reſiſtere receptioni eorum, minimeque potens reſoluere, uel eos expellere à ſe in dolorem ueniunt. Et hæc dicta ſint de diſpoſitionibus omnibus præter naturam, quas hic nobilis Dominus patitur, ſupra quas conſulendum eſt, ut ſi deo placuerit ipſe ad ſui ſalutem reducatur.

Quantum ad tertium aſtringam me ad curam, & primo principalis diſpoſitionis, quæ eſt catarrhus, ſecundo uerò curam diſpoſitionum, quæ anneƈtũtur catarrho, quibus patiens moleſtatur. In cura igitur catarrhi non lateat nos catarrhum ipſum frigidum eſſe, quantumcunque caliditas epatis aliqualiter ſtet in cauſa. Quapropter exceſſiue calida ei applicari non conueniunt, ne tentantes exſiccationem catarrhi, adderemus in caliditate epatis, miniſtranda etiam non ſunt frigida, quoniam tentantes refrigerium epatis, adaugeremus coniunctam cauſam catarrhi: ſit igitur patiens aduertens, ne in regimine dietæ utatur multum calidis, neque multum frigidis, ab altero enim læberetur effectus, & ab altero cauſa. Sint igitur mediocria in qualitatibus ſuis, quæ applicabuntur illi in regimine dietæ, uel pharmaci, propter quod in curatione catarrhi frigidi huius nobilis uiri, quinque obſeruabo intentiones. Prima erit in debito regimine ſex rerum non naturalium: & primo de aere, cui præcipio, ut aer eligatur temperatus in actiuis maxime. In paſſiuis uerò uel formaliter, uel artificialiter inclinetur ad ſiccum, euitet igitur aerem exceſſiuæ caliditatis, quoniam ipſe liquefaciendo nocet, exceſſiuæq; frigiditatis aerem uitet, quoniam nocet frigiditas comprimendo. Et ſic quælibet qualitas in actiuis excedens præparat ad maiorem decurſum humiditatum à capite, una quidem liquefaciendo, altera uerò comprimendo. Vitet igitur aerem nebuloſum, humidum, craſſum, & frigidum, uitet uentum auſtralem caliditate ſui nocentem, uitetque borealem frigiditate ſui exprimentem conſulo igitur tũc

temporis

temporis ipſum morari in cubiculo ſuo conſtituto inter duo ſolaria, habentem feneſtram ad orientem, in qua tunc temporis rectificetur aer ad contrarium, nō cum ſuffumigiis, ut fieri ſolet, quoniam fumus in caſu eſt plurimum nocens, maxime propter diſpoſitionem, quam habet ad aſthma. Vellem igitur ipſum rectificare aerem tenendo notabilem quantitatem aromatum in cubiculo. ut cortices citrii, lignum aloes, ambram, muſcum, & ſimilia. Quòd ſi tēpus extaret, quo igne indigeret, ſit ignis clarus ex lignis ad calidum uergentibus, ut ex iunipero, ex lauro, & huiuſmodi, propter hoc enim quod alterant ad calidum reuma ipſum deſiccāt, & mēbra pectoris à proprietate corroborāt.

De motu, & quiete. Superfluus utique motus uitandus eſt, & omnis ſuperflua agitatio, ipſi equidem ſpiritus & calor ſupercalefacti liquefaciūt humiditates, propter quod parant ad maiorem catarrhi deſcenſum. Laudo igitur leue exercitium pedibus factum, non tamen ſuper inflammās, quieſcatque circiter per horam, anteaquam aſſumat prandium, prandeatq; in loco temperato & non frigido. Idem quoque intelligo ante cœnam debere fieri completa ſtomachi digeſtione. Conſulo quoque leues fieri fricationes in eo ut leuiter caput fricetur, & pectatur, ſcapulæq;, & pectus, hæc enim rarefacientis, & ad reſolutionem uaporum præparantis calorem naturalem roborant. Et panni quibus fit fricatio non ſint multum calidi, ne caliditate attrahantur materiæ ad caput, & ipſum repleant, & parent ad deſcenſum catarrhi. &c.

De ſomno, & uigilia, non obſeruet ſomnum prolixum, neque continuum per multas horas, immo non tranſeat ad plus ſpacium ſeptem horarum. Dixit enim Raſis quarto continentis, ex lōgo ſomno accidit aſthma in ſanis perſonis, quanto magis in infirmis.

De cibo autem & potu. Conſulo quod maior ſit parcitas in cœna, quam in prandio, ne ſuccedente tempore quie

tis,& ſomni,maior quantitas uaporum eleuetur ad caput, ipſum replendo, addendoque cauſæ coniunctæ catarrhi, non ſint cibaria actualiter humida humiditate quidem aquea,ſed mediocria in ſubſtantia, ſi quidem ea ſtomachus bene digerere poſſit. Conſulo etiam,quòd omnia uaporãtia calida,& acuta dimittantur, tanto magis ſi ipſa humida fuerint, & propter hoc uinum potens eſt maximi nocumenti, uitentur omnia uiſcoſa, pinguia, & unctuoſa, propter quod carnes porcinæ,uitulinæ,ſunt ei multi nocumenti, & tanto magis, quanto generationi ſuæ ſunt propinquiores: adhæreat igitur ipſe carnibus caſtratorum unius anni maxime hyeme,& hædorum in æſtate.Et de uolatilibus laudo carnes pullorum gallinarum in æſtate, & caponum,faſianorum,perdicum, & cuniculorum in hyeme. Laudo etiam carnes animalium magis degentium in montibus,quia rariores ſunt, quam carnes aliæ terreſtres: Paludoſas uerò,& aquaticas in totum abiicio niſi fuerint piſces de aquis petroſis,uel de libero mari, de aliis autem quadrupedum carnibus remitto me iudicio medicorum adſtantium in patria ſua,conſulo tamen,ut omnia cibaria ex farina & aqua conteſta dimittantur,Oua inquam recentia præcipui ſunt iuuamenti,decocta in teſta & tenera, uel elixata ut infuſa in iure, uel aqua cum butyro recenti ſine ſale.Voluit enim Auerrois ſecundo, colliget hæc eſſe in caſu præcipui iuuamenti.

De oleribus, non laudo fœniculum,uel petroſelinum, ne dilatando meatus ex cerebro materias ſubtiliando ad catarrhum nimis diſponant.Laudarem igitur in tempore hyemis aliquas betas cum hyſſopo, betonica & bugloſſo, in æſtate uerò laudarem boraginem cum aliquibus lactucis. De fructibus propter pectus prohibeo ſibi fructus omnino aſtringentes.Amigdalæ autem paſſulæ ſine granis,pineæ, piſtacia propter pectus in ſecunda menſa ſunt præcipui iuuamenti: ueſperi autem non utatur multis amigda

lis,

lis, ſua enim euaporatione multum caput replent, maxime propter unctuoſitatem eis innatam, quam unctuoſitatem conſulerem, ut ab ipſis remoueretur, ut ſecurius eis poſſet uti, ſic a cortice purgetur amigdalæ, & infundantur in aqua tepida decoctionis zucchari per tres horas deinde agitentur cum uirga, & exſiccentur cum panno lineo calefacto, & iſtis utatur, potus eius ſit uinum medii coloris mixtum copioſe cum aqua. Quod ſi tempus paroxiſmi aſthmatis adeſſet, utatur aqua zucchari cum omnimoda uini prohibitione, & in tempore quo uinum non aſſumeret, laudarem ut frequentaret decoctionem factam ex dulci radice raſa & adianto cum zuccharo.

De inanitione autem, & repletione euitet in quantum eſt poſſibile repletionem, gaudeat igitur mediocri inanitione, ex multa enim repletione opprimitur uirtus naturalis ſtomachi, ut ab ipſo, & à toto corpore eleuentur mali uapores replentes caput, euitetque nimiam inanitionem, quoniam ab ea reſoluuntur calor, & ſpiritus naturales, propter quod uirtutes deficiunt à ſuis operationibus.

De accidentibus autem animæ. Caueat ab intemperantia omnium animæ paſſionum. Dixit enim Galenus tertio artis medicæ, loquens de paſſionibus animæ uerbum iſtud, exterminant hæc enim noſtra corpora, & eam quæ ſecundum naturam conſiſtentiam permutant, lætetur igitur moderato uſu, dixit enim Auicen. in de uirtutibus cordis, ipſa enim lætitia calor roboratur, & multiplicatur, propter quod prohibetur corpus à caſu in tremore cordis, & aliorum lapſuum.

Hæc igitur ſint, quæ à nobis dicenda erant de ratione uictus in ſex rebus non naturalibus, quæ à patiente obſeruanda ſunt in omnibus ſuis lapſibus iam dictis. Reliqua ad eundem uictum attinentia relinquo iudicio Dominorum medicorum ſuorum.

Secunda intentio in actu curatiuo huius nobilis uiri eſt concoctio materiæ, quæ eſt æquatio eius ad medium, quæ materia quantumcunque actis temporibus beneficio plurium medicorum mota fuerit ad digeſtionem, ob tamen reiteratam, & continuam generationem illius materiæ, opinor ipſam præparari, & digeri debere ad minus ſemel in quolibet trium menſium, quoniam igitur materia peccãs frigida eſt, eius curatio uertitur ad contrarium, Et ideo laudarem, quod omnibus tribus menſibus digereret materiã iſto ſyrupo, in quo eſt uirtus conſumptiua materiæ catarrhalis corroboratiua cerebri, & pectoris: prohibitiuaque generationis materiæ catarrhalis in cerebro, Eſtque partim remisſiuus caliditatis epatis, à qua non de facili poteſt liquefieri materia in capite, & ad deſcenſum præparari. Et ſyrupus eſt iſte. Recip. ſyrupi de ſtæcade cum ſpeciebus, ſyrupi de endiuia, mellis roſati col. ana. Vnc. med. Aquarum betonicæ ſaluiæ, cicorii an. Vnc. I. miſce pro una uice. Quod ſi ſyrupum magiſtraliter conficere uelimus, ualentemque ferè ad omnem lapſum exiſtentem in eo, ſic fiat. Recip. ſaluiæ, ſampſuci, betonicæ, hyſſopi, ana. Manipul. med. radicũ ireos, acori, dulcis radicis raſæ, foliorum & nucum cupreſſi, paſſularum mundatarum ana. Vnc. ii. mellis deſpumati lib. I. & med. fiat ſyrupus ſecundum artem, de quo aſſumantur. Vnc. I. & med. cum aquis betonicæ, thusſilaginis, & cicorii, ſic continuando per ſex dies continuos in aurora. Conſulo etiam quod in diebus intermediis, in quibus fiet digeſtio in materia, iuuetur digeſtio, reſolutioque materiæ, & cerebri roboratio cum appoſitione ad palatum infraſcripti ellectuarii ad quantitatem bonæ fabæ. Vt Recip. conſeruæ ſtæcados, conſeruæ ſaluiæ, zucchari roſati, ana. Vnc. med. mitridati optimi drach. med. miſce, & hæc digeſtio materiæ celebretur ab eo tempore hyemis, quod ſi in æſtate fuerit, utatur iſto ſyrupo, æquante materiam facientem catarrhum, remittenteque lapſum præter naturaliter calidum

exiſtentem in epate,ut Recip.ſyrupi de ſtæcade ſine ſpeciebus,ſyrupi de ſucco acetoſæ,mellis roſati col,an.Vnc.med. Aquarum betonicæ, cicorii, acetoſæ ana. Vnc.I. miſce pro una uice.Et continuetur ſic per ſex dies admodum aſſumptionis ſyruporum.Diebus uero intermediis continuet iſtud electuarium ad modum prioris,ut Reci.diacori.Vnc. I.zucchari roſati. Vnc.med.miſce.

Tertia intentio eſt euacuatio materiæ indigeſtæ. Facta igitur digeſtione in materia cum ſyrupis præcedentibus, conſulo, ut euacuet materiam cum iſta medicina potabili ut Recip. Diacatholiconis, Vnc.med. Diaſebeſten,lenitiui. drach.iii.agarici optimi, & electi drach.I. & med. zinziberis ſalis gemmæ, ana.grana.iii.infundatur agaricus cũ ſuis correctiuis in oximelle ſimplici per octo horas,uel.x. Deinde fiat fortis expresſio,& omnia ſimul miſceantur,& cũ decoctione comuni florum & fructuum, cum qua bulliãt florum ſtæcados arab.ſampſuci.ana.drach.ii.diſſoluantur, & fiat potus, quem ſumat per horam unam cum dimidia ante lucem,apparente uero luce, ſurgat per cubiculum leuiter deambulando clauſis feneſtris. Tranſactis horis ſex ab aſſumptione medicinæ, aſſumat ius lotiuum cum zuccharo.Vt Recip.iuris pulli ſine ſale Vnc.VI. zucchari duarũ coctarum. Vnc. med. miſce deinde uero per horam ab aſſumptione lotiui aſſumat prandium ſuum mediocre,& leuis digeſtionis,& non dormiat illo die, neque exeat domum, neque ſe aeri, nec uento ſe exponat.Quod ſi medicina potabilis fuerit ei abhominabilis, aſſumat infraſcriptas pilulas eodem modo, & ordine aſſumptionis medicinæ.Vt Recip.pilularum cocchiarum ſcropu.ii.Agarici trociſcati ſcropul.I. miſce cum ſyrupo de ſtæcade fiant pilulæ numero quinque,uel Reci.pilularum aſſaiaret, pilularum cocchiarum,agarici trociſcati.ana.ſcropu.I.diagridii.gran. I. &med. miſce cum ſyrupo uiolato fiant pilulæ numero quinque. Quod ſi in forma boli ſibi non diſplicuerit, capiat

piat bolum iſtum eodem modo, ut Recip.Mannæ granatæ electæ.Vnc.I. caſsiæ nouiter tractæ.drachm.ii.ellectuarii de dactilis. Ellectuarii ſucci roſarum, ellectuarii indi.ana.dr. I.agarici trociſcati,ſcropul.I. miſce, & fiat bolus cum zucchiaro facta, uel factis euacuationibus in materia, conſiderans ego continuam regenerationem materiæ paratæ ad defluxum catarrhi, conſulo, & uolo. Quod ipſe obſeruet aſſumptionem unius pilulæ de quattuor diebus, uel de tribus in tribus diebus poſt cænam, cum ibit dormitum, quæ ſic parantur. Recip. agarici optimi,& electi, Turbith boni, & gummoſi, maſticis electi,Reubarbari optimi an. drach.med.zinziberis, ſalis gemmæ, ſpicæ. ana. grana. iii. Diagridii gran.VIII. ſpecierum ieræ ſimplicis Galeni. drac. ii. terentur ſubtiliter omnia, & cum ſyrupo de ſtæcade fiat paſta pilularum.In iſtis enim pilulis eſt uirtus euacuatiua materiæ à cerebro, & à ſtomacho, & eius reſolutiua. Et capitis, & ſtomachi corroboratiua, & pectoris mundificatiua, & membrorum anhelitus, propter quod euacuãtes catarrhum, prohibebũt caſum in paroxiſmum aſthmatis, & non lateat nos,quod & ſi phlebotomia ſub euacuatione comprehendatur, eam tamen ſub ſilentio pertranſibo, uel quia forte non conueniens in caſu iſtius nobilis uiri, in quo quantum eſt posſibile debet uitari, & ſi conueniens fuerit, puto ipſam iam locum habuiſſe ex prudentia Dominorum medicorum ſuorum.

Quarta intentio eſt diuerſio materiæ remanentis poſt euacuationes celebratas, fit autem huiuſmodi diuerſio non in tempore, quo ipſe patitur paroxiſmum aſthmatis, fricationibus,uentoſationibus in ſcapulis, & in natibus,caput purgiis, quæ fiunt per liquores attractos per nares. Conſulo igitur, ut in omni mane poſtque ſteterit deambulando per unam horam poſt exitum ſuum à lecto,fiant leues fricationes in ſcapulis, & quandoque ibidem cum leui applicatione duarum cucurbitarum, & in natibus ſimiliter.

militer. Conſulo etiam poſtquã factæ erunt euacuationes & comunes, & propriæ, utatur caput purgiis à debiliori bus quidem inchoando & ad fortiora proſequendo, & pu to iſtud eſſe conuenientisſimum, euacuata materia, quia di latando uias faciunt ad diuerſionem materiæ ex cerebro. Et quia materia eſt frigida, primum caput purgium ſit ex aqua maioranæ cum modico zucchari, attrahendo ipſam per nares ſemper in ore retinendo hauſtum aquæ frigidæ, ut caput purgium ſurſum tendat ad cerebri ſubſtantiam, & non per palati foramen ad inferiora deſcendat. Secundum ſit ex ſucco radicis betæ. Tertium ex decoctione melanthii. Quartum ex decoctione cyclamini, & ſic procedendo, ſecundum quòd in eis inueniet iuuamentum à debilioribus ad fortiora. &c.

caput purgium.

Quinta uerò, etiam ultima intentio eſt reſolutio materiæ remanentis, & roboratio cerebri, factis enim euacuationibus completur & cum iis, quæ intus aſſumuntur, & cum iis, quæ extra applicantur. Cum his, quæ intra aſſumuntur, ut cum conſerua ſtæcados, cum conſerua ſaluiæ, cum diacori, cum diamuſco dulci, cum diambra, & diagalanga, cum coriandris præparatis, cum maſtice, cum olibano. Conſulo igitur, quòd omni menſe ad minus per duodecim dies, ueſperi, cum ibit dormitum, tranſglutiat duo, uel tria grana thuris albi, uel maſticis, & in hoc multotiens bene me reperii. Sic igitur aſſumat ad quantitatem caſtaneæ de mixtione ſequenti. Recip. diacori, diambræ, conſeruæ ſtæcados. Zucchari roſati. ana. Vnc. med. miſce, & hoc etiam utatur ad minus per duas horas ante prandium, conſulo quoque, ut in nocte dormiendo, uel uigilando continue retineat in ore unam de pillulis infraſcriptis, ualent enim in catarrho frigido, & ad tusſim ex eo, ut Recip. ſtyracis calamitæ, nucis cupresſi, thuris, maſticis, ladani, ſucci glycirizæ, ambræ griſæ. ana. drachm. I. paſſularum mundatarum anucleis,

drach.I.& med.candi.drach. iii.conficiantur pilulæ cum ſyrupo de ſtæcade ad formam lupini, ea uerò, quæ exterius applicanda ſunt in roboratione cerebri,& reſolutione reſidui materiæ, eſt pomum factum ex ambra, quod continue ipſum in manibus deferendo odoret, cuius recepta eſt. Recip.nucis cupreſſi, ſtyracis calamitæ, ambræ, nucis myriſticæ, thuris, ladani. ana. drach. ii. moſchi, ligni aloes, ocimi, anā. drach.med. ex his fiat pomum. Iterum laudarem, ut quolibet mane, facta prius capitis leui fricatione, calefieret ſacculus ſuper tegulam ex floribus chamæmeli, ſtæcados arabici, roriſmarini, ſaluiæ, ſampſuci, & capiti quater uel quinquies applicetur. Iterum conſulo, ut faciat ſuffumigium, & ipſum ſumat per hos & nares. Vt Recip. ſtyracis, calamitæ, thuris, ladani, uernicis, ana. partes æquales. Iterũ conſulo, ut frequenter utatur ueſperi, quando uadit dormitum lotione calida rerum infraſcriptarum à genu infra, & à cubito ad extrema digitorum. Recip. florum chamæmeli, melliloti, florum ſtæcados arabici, ſampſuci, ſaluiæ, betonicæ, roriſmarini, roſarum rubearum ana. Mani.I. bulliant in ſuffic. quantit. aquæ ad conſumptionem tertiæ partis pro lotione, hac enim non ſolum roborantur membra capitis, ſed etiam materiæ diuertuntur ab eo.

Quòd ſi hæc non contulerint, conſulo, ut iterum digeratur materia cum iſto ſyrupo, uel melicrato Recip. Helenii, irios, paſſularum mundatarum ana. Vnc.I. Adianti recentis, Manipul.I. caricarũ numero. XII. mellis acetoſati lib.ii. fiat mellicratum ſecundum artem, de quo aſſumat. Vnc.ii. cum aqua hyſſopi, endiuiæ, & betonicæ, ana. Vnc.I. per ſex dies in aurora, mirabiliter enim confert in omni paſſiōe frigida capitis, & pectoris, & maxime in catarrho: digeſta materia euacuetur cum his pilulis. Recip. pilularũ cocchiarum ſcropul.ii. agarici trociſcati ſcropul.I. cum ſyrupo de ſtæcade fiant pilulæ numero quinque, capiat eas in medio noctis.

Euacuata

Euacuata materia conſulo ſine mora, ut ſequenti die uel altero non impedientibus particularibus, fiat cauterium in commiſſura capitis, dixit enim Auenzoar, primo cheiſir, tractatu nono, capite decimo quarto, uerbum iſtud Sed in hac ægritudine cauterizatio eſt cura utilior aliis, quia deſiccat horribilem humiditatem, & eam extrahit ad partes exteriores. Quod ſi cauterium in commiſſura coronali uidebitur ſibi moleſtum, quantumcunque utilius, ſit fiat ſine excuſatione aut cauteriū, aut laqueatio, circa primam, aut ſecundam uertebram colli uerſus nucam, & in hac cura expertus ſum pluries, & bene me reperii, & cauterio iſto facto continuet curam ſupra ordinatam, & melius & citius inueniet iuuamentum, deo uolente.

Quantum ad ſecundum, ſuccurram diſpoſitionibns præter naturam annexis catarrho, quibus hic nobilis uir moleſtatur. Et primo apparitioni imaginum ante oculos, & cura illius pendet ex cura catarrhi ut ſupra, & maxime in cauterio, & aſſumptione illarum pilularum quæ diximus in fine primæ intentionis actus curatiui aſſumendo alternatis diebus unam, quando ibit dormitum. Laudarem etiam quod ad minus ter in menſe caperet tres, aut quinque pilulas, de iera ſimplici Galeni, quæ quanti ualoris ſit in hac diſpoſitione, & in catarrho frigido, & in mala diſpoſitione ſtomachi, narrauit Auicenna tertio canone, capitulis propriis, deinde facta euacuatione utatur iſto collirio bis in die oculum immittendo. Recip. aquæ fœniculi, aquæ chelidonii, aquæ rutæ ana. lib. I. & med. aquæ roſatæ lib. med. croci. Vnc. I. aloes epatici. drach. iii. tutiæ præparatæ drach. ii. antimonii, lapidis calaminaris præparati ſicut præparatur tutia. ana. Vnc. med. margaritarum. drac. I. mellis albi. lib. med. terenda terantur, & omnia ſimul mixta diſtillentur per alembicum lento igne, & aqua ſic diſtillata uſui ſeruetur, laudo etiam ut ſit ſibi familiare, ſicut dixit Raſis, ſecundo continentis, odoramentum ſani-

pſuci, quinimmo terat ipſum, & in petia ligatum portet in manibus ipſum odorando, & nocte iuxta puluinar ipſum retineat, & odoret.

Eſt ſecunda diſpoſitio annexa, quam patitur aſthma, cuius paroxiſmus bis in anno ipſum inuadit, cui ſuccurrimus ex cura catarrhi ut ſupra. Sed ipſum conſulo de duobus, quibus præſeruabitur à futuro paroxiſmo aſthmatis, & ab eo exiſtente citius liberabitur. Primum eſt, quod per quindecim dies, cum tempus in quo patiens præſumit paroxiſmum aſthmatis debere accidere, de tribus diebus, in tribus diebus in aurora capiat. Vnc. med. terbentinæ ter lotæ cum aqua capillorum ueneris. Secundum eſt electuarium unum, in quo mirabilem habeo experientiam, quod ipſum debet continuare ad minus decem continuis diebus quolibet menſe ter in die, ſcilicet, ante prandium per duas horas ad quantitatem bonæ nucis, & ſimiliter ante cænam, & tertio quando ibit dormitum. Recip. butyri recentis nouies loti cum aqua capillorum ueneris, caricarum, paſſularum enucleatarum, ana. libr. mediam, dactilorum, granorum pini, amigdalarum amararum. ana. Vnci. unam, ſucci dulcis radicis, dragaganti, hyſſopi. ana. Vnci. mediam, irios, thimi, ſatureiæ. ana. drachmam. I. praſsii, pulegii, ſeminum urticæ, ana. drachmas duas, cinnamomi, zinziberis, piretri. ana. dracmas. iii. gariophyllorum, galangæ, piperis nigri, aniſi, carui, cardamomi. ana. drach. I. ligni aloes nucis myriſticæ. ana. ſcropul. ii. mellis, aquæ thuſſilaginis. ana. lib. I. caricas, paſſulas, & dactilos, infunde in aqua, & melle in uaſe ſtagnato bene tritas per tres dies, tertio uerò die, ea lento igne uſque ad ſpisſitudinem mellis decoque, & uice alia cola, & colaturæ miſce pineas, & amigdalas in modum electuarii tritas, deinde omnia in mortario commixta benè tueantur, & tritis terendis in ſubtilisſimum puluerem miſceantur, & ſic ea omnia diu commiſcendo electuarium confice, quo

confecto

confecto illi adde pulmonis uulpis in pollinem redacti. Vnc.ii.& in uaſe uitreo ipſum reconde,& uſui reſerua, ſecretum enim eſt,& multi iuuamenti.

Eſt & tertia diſpoſitio præter naturam annexa debilitas digeſtionis ſtomachi, & cum iam diximus illius cauſam pro maiori parte ſit copia ſuperfluitatis phlegmaticæ uia reumatis ad ipſum ſtomachum communicata. Ideo concludo curam catarrhi eſſe pro maiori parte, curam debilitatis digeſtiuæ ſtomachi, cum ex ablatione cauſæ contingat effectum remoueri, ex tertio artis medicæ. Conſulo tamen, ut frequentet hanc unctionem ad ſtomachum, ad minus ſemel in die ante prandium. Recip. olei ſpicæ, olei maſticis, olei citoniorum, ana. Vnc.mediam. gariophyllorum, macis, cinnamomi, ana. ſcropulum. I. galangæ, zedoariæ ana. ſcropulum medium, terenda terantur, & cum modico ceræ, fiat unctio mollis pro ſtomacho. Iterum laudo, ut ante prandium aſſumat unam de globulis huius confectionis, Recip. ſpecierum diagalangæ, ſpecierum aromatici roſati. ana. drachmas duas & med. puluerum diadraganti frigidi, drachmam unam, zucchari optimi diſſoluti in aquæ betonicæ quantum ſufficit, fiat confectio in rotulis pro qualibet, drachmarum duarum. Iterum laudo, quod aſſumpto cibo mane, & ueſperi utatur Daucis, & caruis conditis cum zucharo.

Eſt & quarta diſpoſitio præter naturam, quam patitur hic nobilis uir, dolor articulorum ab eadem pendens cauſa, à qua & alii lapſus pendent in eo. Ruens enim materia catarrhi ad iuncturas in eis dolorem inducit. Quare illius doloris cura erit cura ablationis catarrhi propter quod diligenter obſeruet, quæ diximus in actu curatiuo catarrhi, & ſeruabitur à dolore iuncturæ. Volo autem, ut à me habeat ſecretum in doloribus iuncturarum uehementibus, ubi

alia

unctio ſtomachi

alia non contulerint, & eſt aqua infraſcripta, cum qua tepida debet abluere locum dolentem in cauſa frigida. Recip. Aquæ diſtillationis raparum. lib.iii. aquæ diſtillationis radicum urticæ. lib.I. aquæ uitæ. lib. med. croci. Vnc. med. miſce. Et ponantur in alembico, & diſtilletur aqua & uſui ſeruetur, & eſt mirabilis, & experta. & cet.

Hæc igitur ſunt, quæ per me Benedictum Victorium Fauentinum conſulenda erant in Dipoſitione. Nobilis uiri. Quæ ſi accuratè, & cum diligentia ab eo obſeruabuntur, non dubito diuina. Cōcurrēte uoluntate ab ea, & ſibi annexis malis diſpoſitionibus ipſum leuari. Quare. & cet.

FINIS.

Laus Deo.

AD CATARRHVM ET SYMPTOMATA, quæ ipſum conſequuntur.

Pro nobili Domino Guolfgango Rollinger Germano.

Conſilium XIIII.

PEruenerunt ad manus noſtras Doctiſsime Medice ſcripta nedum iocunditate prædita, uerum & multiiuga doctrina referta, quibus abundanti certitudine cum ſpeculatione, cognouimus ea, quæ pertinent ad theoricam inquiſitionem Medicinæ, dirigentem intellectum noſtrum practicum ad quid agendum ſit in multis, atque uariis affectionibus, quibus Magnificus & Nobilis quidam Germanus XXXIIII. annorum acerbè moleſtatur. Nempe ad hoc perficiendum, ut uidelicet Magnificus ille patiens priſtinam ſui ualetudinem adipiſcatur, tria proponemus capita, quibus intellectis haud difficile erit optimum finem ſuæ anguſtiæ, ſeu moleſtiæ aſſequi, dum tamen patiens obſeruet, quod iuſſit Hippocrates in libro de inſomniis, ubi ait, diis ſupplicato, perturbatio ſiſtetur.

Primum quippe caput, affectionum eſſentias enumerabit. Secundum, illam, quam nobis introductionem tradidiſti, ut obſeruemus præceptum Galeni primo, de ratione uictus acutorum, commento tertio. Et primo artis curatiuæ, ad Glauconem, capite primo, ubi ait, quod oportet Medicum uolentem ægritudinem curare, eam exactè cognoſcere, & idem dixit Auicenna, in quarta primi. Non curabis morbum, niſi cognoueris ipſum, & quoniá morborum cognitio pendet ex cognitione cauſarum morborum, ut dixit Galenus, in eodem primo artis curatiuæ ad Glauconem.

Glauconem. Ideo primum caput cum numeratione morborum ſimul eorum cauſas diligenter inquiret. Secũdum uerò caput terminum morborum huius Nobilis uiri prædicet, propter illud dictum Galeni primo, de ratione uictus acutorum, commento tertio, ubi inquit, prædictiones magna afferre commoda ad actum curatiuum ægritudinum ex decreto Hippocratis, primo libro prædictionũ ad principium. Tertium uerò caput curationem morborum expediet, ex præcepto Galeni, in primo artis curatiuæ ad Glauconem, capite primo, ubi ait. Primum cognoſcere oportet morbum, & cauſas, & eorum tempora. Demum uerò quantam, & qualem habeat curam.

Quantum igitur ad primum caput, cum non ſit uia ad morbi cognitionem ſuarumque cauſarum, niſi præceſſerit cognitio temperaturæ totius, & omnium membrorum, maxime principalium, & illis deſeruientium, ut ſcripſit Galenus, nono methodi curatiuæ, capite decimo quinto, & in libro de diſpnoea ad principium, & in libro de cibis boni, & mali ſucci, & primo artis curatiuæ ad Glauconem capite primo, & Auicenna quarta primi, capite primo, ideo de illius uiri Nobilis temperatura primo ſermonem habebimus, ut nobis appareat, ſi morbi, quibus moleſtatur, ſint proportionales, uel diſproportionales naturæ ſui, ut uerificemus aphoriſmorum. Hippocratis ſecundæ particulæ dicentis. In morbis minus periclitantur ægrotantes & cet. Et ut uerificemus ſententiam Galeni, in primo de diſpnoea, uidelicet, ut cognoſcamus quantum complexio ægritudinalis diſtat in ægrotante à naturali ſui temperie. Quo fit, ut facilè poſſimus cognoſcere ſecundum quam temperiem medicinæ ipſæ condonandæ ſint corpori ægrotanti. Et hanc ſententiam ex Galeno ſecutus eſt Auicenna, in quarta primi, capite primo. Et etiam ut uerificemus mẽtem Galeni, in nono methodi curatiuæ cum dixit, quod tota curationis intentio eſt in conſeruatione ſanitatis, uel

in

in eius recuperatione.Hoc autem facere nemo poterit,niſi temperaturam corporis ægrotantis, uel in ſanitate conſtituti exactè dignoſcat.Sed unum annotatione dignum eſt, quod Galenus, in nono de morbis curãdis,capite decimo quinto, & in ſecundo de temperaturis, capite ſexto, licet dixerit, temperaturam ægrotantis & membrorum eius eſſe præmeditandam,tamen inquit hoc eſſe admodum difficile, cum difficilimè hominum naturales temperaturæ cognoſcantur,Et hoc ideo eſt,uel quoniam ſicut plerumq; contingit medicus neque uidit,neque cognouit corpus ægritudine affectum, ſicut mihi accidit in præſentiarum de nobili iſto patiente. Cum enim medicus artifex ſenſualis ſit,ut dixit Haly.ſecundo artis medicæ,ideo ſenſu ipſo notas ipſas debet dignoſcere manuducentes ipſum in cognitionem naturalis ſuæ temperaturæ,ſed quia neque patientem ipſum, neque indicia cognouit, ideo eſt, quod difficilimè patientis temperaturam cognoſcet. Item difficilimæ, ſunt cognitiones naturalis temperaturæ ægrotantis, quoniam indicia illius frequenter ex indiciis morborum, & morbis ipſis facile latentia occultentur, & ſi medicus ægrotantem uiderit, & cognouerit.Ob quam rem doctisſime medice me excuſatum habebis,ſi de temperatura totius corporis ægrotantis, & ſuorum membrorum non ultra ſermonem faciam, quoniam tantam excellentiæ tuæ propter inſignem doctrinam, fidem adhibeo, ut à me dicenda in propoſitis capitibus,ſtatuam ſuper ea,quæ per te dicta ſunt de temperaturis dictis,tanquam ſupra firmum, & ſtabile fundamentum.

Dicam igitur ut doctisſima tui informatio nos introduxit.

Offertur nobis nobilis quidã,& Magnificus Germanus, omni quippe uirtute præditus, præclaruſque, & in ſuis conſuetudinibus,& rebus agendis admodum celebris,ætatis.XXXIIII.annorum tẽperaturæ quippe bilioſæ,quæ & ſi

in genere, diſtemperantiam per bilem generat, ipſa tamen in latitudine temperaturæ bilioſæ non multum recedit à temperata bile, & hoc quoniam ut dicis cum bile dominante in hac Nobilis uiri temperatura, notabilis ſanguinis quantitas commiſcetur, quo fit, ut acuitas bilis ſanguinis benignitate corrigatur. Contentus uero ſum de ſignis huius temperaturæ colericæ dominantis in nobili ægrotante, quæ doctè à te recenſita fuere, & ſi ſint Galeni, in ſecundo artis medicæ. Et Auicenna in ſecunda primi Et Auerrois in quarto colliget.

Cerebrum autem eius teſtaris in actiuis calidum eſſe, & hoc fortè propter redundatam caliditatẽ ab inferioribus membris ad ipſum, cum ex natura, & cor ſpiret ſpiritum ad cerebrum, & epar uapores, ut dixit Galenus in libro de introducendis in pulſibus. In paſsiuis uerò non multum recedere à temperamento latitudinis temperantiæ cerebri, quòd ſi tamen aliqualis fuerit exceſſus in paſsiuis per humidum erit magis, quàm per ſiccum, & huius ſigna exquiſitè conduxiſti ex Galeno, in loco dicto. Cor autem eius calidum, minus tamen ſiccum, ſiccius tamen quã humidum ob Excellentia tua in tẽperatura ſui fuit collocatũ, propter ſigna, quæ mihi aperuiſti cum Gale. loco dicto.

Dixiſti uerò ſuæ nobilitatis iecur calidæ eſſe temperaturæ, ſiccæ uerò, non multum tamen à temperamento lapſum. Indicia autem iecoris calidi, & ſicci non multum poſuit Galenus, in ſecundo artis medicæ, ſecundum quòd à te etiam enarrata fuere.

De renibus autem, & teſticulis certe calidos eſſe non poſſum non confiteri, ſi uera ſint ea indicia, quæ ſuper hoc poſita ſunt à Galeno, & rectè à te ipſo memorata. Ventriculum autem poſuiſti frigidum, & humidum, cuius dicti inter alia indicia poſuiſti ſtomachum ſuæ Nobilitatis ad appetendum plurimum uigere, & in concoquendo admodum deficere, præſertim, ut tetigit Galenus, cibos illos,

qui

qui alterationem, facile non recipiunt, Sed Doctor Excellens uellem Excellentiam tuam conſiderare uerbum Galeni, ſecundo aphoriſmorum, commento uigeſimo, aſſueuerantis humiditatem frigidam in uentriculo eſſe cauſam, inappetentiæ. Dixit enim ſenum igitur corpus, cum frigidum efficiatur tantum augeri contingit in ore uentriculi frigidam humiditatem, ut appetitus deficiat. Durum igitur mihi uidetur uentriculum fore frigidum, & humidum, & quod appetitus in eo concreſcat, niſi uitioſus, & caninus fuerit ille appetitus non ſequens naturalem temperaturam ipſius uentriculi. Quòd ſi uelimus uigorem appetitus in ſui nobilitate eſſe ſecundum naturam, ſui uentriculi, non ab re erit dicere eius uentriculum abundare in paſſiuis ſicco, uel forte propter nigram bilem tranſmiſſam à ſplene ad orificium ſtomachi, qua appetitus excitatur, ut poteſt colligi ex Galeno, quarto aphoriſmorum, commento uigeſimo primo. Vbi enim eſſet dominium in uentriculo frigiditatis, & ſiccitatis, ibi erit uigor appetitus, ſicut uigor humiditatis, & frigiditatis appetitum deiicit, & cum frigiditate, & ſiccitate uentriculi ſtat appetitus, & minuitur concoctio. Sed quoniam conſidero reliqua ſigna poſita ab Excellentia tua, & ſi ſint Gale. atteſtantia uentriculum frigidum eſſe, & humidum, ideo eis aſſentio, ueluti uera, & uerè oſtendentia uentriculum ſuæ Nobilitatis frigidum eſſe, & humidum, at certe opinor frigiditatem, & humiditatem uentriculi ſuæ nobilitatis, non ſequi illius naturam, ſed ex malo regimine, & ex ægritudinibus perturbantibus uirum illum, talem complexionem fuiſſe aduentitiam. Demum confiteor ex diſcurſu facto in inquiſitione temperaturæ membrorum principalium huius nobilis uiri, iuxta præceptum Galeni, ſecundo artis medicæ, totius complexionem eius fore, ut dixiſti, cum maximè cor, & epar in temperatura eadem coeant. Hæc igitur ſint, quæ à me obiter dicenda erant de temperatura huius

nobilis patientis totius, & membrorum, fidem adhibeo his,quæ ſermone prolixo dicta ſunt ab excellentia tua.

De affectibus autem præter naturam, quibus turbatur Nobilitas ſua,alius quidem effectus iudicio meo principalis, alii uerò ſymptomatici,& accidentales ſunt, ideo puto affectum, quo eſſentialiter turbatur eſſe catarrhum, & teſtimonium habeo ex Galeno, ſecundo prædictionum, commento quadrageſimo nono. Et ſexto de morbis, & ſymptomatibus, capite quarto, ubi ait, de conſuetudine medicorum eſt nominare catarrhum humiditatem, quæ deſcendit ex palato,cum autẽ lego ſcripta excellentiæ tuæ, reperio, uirum hunc nobilem pati profluuium materiæ à capite ad pectus cum anguſtia,& pectoris ſtrictura. Quòd ſi extendamus nomen catarrhi nedum ad humiditatem deſcendentem ex palato, uerum & ad omnem humiditatem irruentem à capite ad membra inferiora, ut ex Auicẽna colligi poteſt quinta tertii.cap.ii.iudicium noſtrum efficietur certius ad confirmandum ipſum, primo catarrho laborare, quoniam dixiſti tu humiditatem à capite ad ſpinam,& uertebras deſcendere,ſicut plerumq; & ad orificiũ ſtomachi,& ad cætera membra inferiora, eandem deſcendere humiditatem,qua in ipſis quædam triſtis ſenſatio, & laſſitudo concreatur, quæ concreſcit poſt ſuos uehementes labores cum præſentia frigiditatis in eiſdem, quæ ſenſu tactus percipi uidetur, & certè ab his accidentibus tanquàm à propriis indiciis iudicabimus, uerè primam huius corporis ægritudinem eſſe catarrhum.

Qualis autem ſit catarrhus iſte,& quis ſit modus ſubſtãtiæ eiuſdem à te ipſo percipere non poſſum,tamen coniecturabor catarrhum nobilitatis ſuæ fore frigidum, tum quia ad ſpinam,& uertebras deſcendit, & hic eſt proprius locus,per quem ſecundum plurimum frigidi catarrhi ad hæc membra condeſcendunt, ſicut teſtatur Auicenna in ſecunda tertii, ubi loquitur de ægritudinibus pendentibus

à catarrho

à catarrho fluente per ſpinam, tum etiam quoniam ad pectus confluens ſua glutinoſitate,& hærentia, & crasſitie obſtruit meatus pectoris, & uias pulmonis,quo fit,ut anhelitus difficilis reddatur,& hæ diſpoſitiones catarrho contingentes ſunt,quæ frigidum catarrhum oſtendūt. Item quoniam ex illo catarrho,ut ais, fit cerebri compresſio , & ipſius capitis grauitas. Item, ut ais, ex illo catarrho ſenſibiliter in membris labore fatigatis , ultra triſtem ſenſationē, & lasſitudinem, manifeſta tactu percipitur frigiditas,quæ omnia ſatis indicant ſupra catarrhum frigidum . Modum autem ſubſtãtiæ eius opinor ego eſſe commixtum ex craſſo, & ſubtili aquoſo,ex craſſo, propter grauedinem,quam & in cerebro , ut ais , & in orificio uentriculi concreat , aquoſum autem & quid ſubtile habet, quo ad partem illã , quæ ad membra inferiora ferè omnia uſque ad pedes , ut tu dicis,condeſcendit . Vnde & ſi frigiditas in membris ſuis actu appareat , propter tamen illam , quam ei donaſti temperaturam naturalem,corpus ſuæ nobilitatis redditur raræ contexturæ,quo fit,ut facile lædatur ab utriſque qualitatibus actiuis.

Poſt autem eſſentialem , & principalem morbum, quo afficitur nobilis patiens, ſequuntur per modum ſymptomatis : accidentia ex catarrho, uidelicet , capitis grauedo, & maxime circa regionem contexturæ coronalis,& huius cauſam dicimus unam. Præſentia materiæ pituitoſæ genitæ per uiam diminutæ concoctionis , in parte illa ſatis debili. Secundam, mali fumi à uentriculo inconcocti,& nō æquati à uirtute debili ipſius concoctricis, qui eãdem grauedinem in loco illo fouent, & cuſtodiunt.Item dolor capitis adeſt non magnus & hoc , quoniam ſiue fumi ſint à uentriculo delegati ad cerebrum , ſiue præſentia materiæ in cerebro, pelliculæ ipſius cerebri extenduntur, & ſoluitur continuum , & fit dolor, & ſi non magnus.

Item dentium aduerſa ſenſatione annuatim moleſtatur ;

hoc

hoc quippe eſt, cum materia ipſa à cerebro irruat in locũ gingiuarum,& dentium, Quo fit, ut nedum dentes triſte ſentiant, uerum & parentur ad putredinem, & ad futurũ caſum. Item labili, & non firma memoria moleſtatur, & in continuo temporis prouentu ad deteriorem uidetur lapſum, in memoria labi. Hoc autem eſt, ut dixit Ariſtoteles, in de memoria & reminiſcentia, ob ſuperfluam, & abundantem humiditatem in poſteriori cerebro exiſtentem, propter continuum defluxum materiæ catarrhalis à cerebro ad ſpinam, quæ ſui præſentia afficit in poſteriori cerebro,& uitiat retentionem ſpecierum memoratarum, cum humidum fluidum ſit, & non retinens illam, quam facile recepit impresſionem,& Auicenna prima primi doctr. ſexta. Vel cauſa poteſt eſſe uitiatæ memoriæ, frequentia morborum & ſymptomatum eorum, & hanc cauſam tetigit Galenus in libro,de ſymptomatum differentiis, ex teſtimonio thucididis, ipſis enim morbis, & ſymptomatibus ſuis, animæ facultas facile uitiari poteſt, Aut in cauſa poteſt eſſe quòd propter ægritudines,& multitudinem actionum in quibus nobilis hic patiens uerſatur, tota mente non intentus fuerit,& hanc cauſam tetigit Galenus, libro ſecundo, de motu muſculorum. Item propter continuum confluxum materierum catarrhalium per ſpinam, & dorſi uertebras,& à uertebris dorſi ad omnia membra, quæ motu uoluntario mouentur, ideo ob hoc patitur brachiorum,digitorum,pedum, & muſculorum dolorem, & lasſitudinem, quippe tolerabilem. Item quoniam pars illius materiæ à cerebro defluit ad membra anhelitus, ideo plerumque patitur & ſi leuem quandam aſthmatis ſpeciẽ, & quoniam ut ais per neruos deſcendentes ad orificium ſtomachi deſcendente materia ad ipſum à cerebro uentriculus eius uitiatur,& præſertim orificium,uel dolore, uel triſti quadam ſenſatione.Et hæc ſunt ſymptomata,quibus poſt morbum principalem, & ex illo, Nobilis hic Dominus

nus moleſtatur cum ſuis cauſis præcedentibus,& continẽtibus,quæ longiori ſermone doctè ab Excellentia tua fuerunt ſatis enarratæ.

Cauſæ uerò procatharticæ, ſeù primitiuæ,& ſi morbus facile curetur ipſis amotis cauſis, ut tertio artis medicæ, colligitur ex Galeno, nihilominus, ut dicis, multa afferunt commoda ad cognoſcendas cauſas continentes, & præcedentes,& morbum ipſum,quas cauſas nunc non numerabo, ſed in ſecundo,& tertio capi.de his meminero,oſtendendo eas à ſua nobilitate fugiendas eſſe.

Nunc uerò ſolum per ea,quæ iam diximus in cognitione cauſarum, & morbi intrinſecarum, prædicam quid ſentio, de termino & ægritudinis, & ſuorum ſymptomatum in iſto nobili Domino. Dico primo, quod cum hæc ægritudo non congruat temperaturæ ſuæ nobilitatis haud facile erit ægritudinem, & ſua ſymptomata ſoluere iuxta illud Hippocratis, ſecundo aphoriſmorum,trigeſimo quarto,ubi ait. In morbis minus periclitantur,quorum naturæ aut ætati,aut habitui. &c. Dico ſecundo,ægrum iſtum nobilem cum difficultate poſſe ad priſtinam ualetudinem condeſcendere,propter illud dictum Galeni, in commento aphoriſmi, quadrageſimi, ſecundi aphoriſmorum, uidelicet, raucedines, & grauedines &c. ubi ait Galenus. Quòd quæcunque morborum genera ex frigidis humoribus ortum habent in quibuſdam iuuenibus, nedum in ſenibus difficulter concoquuntur.

Dico tertio,quòd corpora ſæpe incurrentia catarrhum, non ſunt omni periculo ſecura,immo propè naufragium ſunt conſtituta, cum dixerit princeps in quinta tertii,capite.ii.eos paratos eſſe ad omnia ægritudinum genera.

Dico quarto. Quòd catarrhus cum dolore capitis, & membrorum totius corporis difficilis eſt curæ, ut dixit Auicenna, quia multitudo materiæ, & debilitas uirtutis arguitur.

Dico

Dico quinto, quoniam catarrhus eſt in complexione calida,& in ætate ſatis calida, facile curari poterit, quia omnia iſta iuuant ad reſolutionem materiæ frigidæ facientis catarrhum.

Dico ſexto, quoniam catarrhus iſte non conducit ſymptomata ſæua, neque admodum magna, ideo læta mente dico catarrhum huius nobilis uiri benè curari poſſe.

Dico ultimo, quod cum prope ætatem iuuentutis nobilis hic Dominus conſtitutus ſit, & iuuentus magnum eſt fundamentum,& ipſius medici magna fiducia in curatione morborum. Ideo dei auxilio,& bona ſui medici prudẽtia, ſollicitudine,& cura, benè curari poterit.

Caput tertium, modum profligandi morbum,& eius ſymptomata oſtendit. Nempe habemus à Galen. in libro de partibus artis medicæ, ſumma ſecunda, capite ſecundo, & in libro experimentorum, capite ultimo, morbi curationem uno trium perfici inſtrumentorum, uel pluribus, uidelicet, uictus ratione, uel medicamentorum potione, atque manuum operatione, à quo Auicenna, edoctus in quarta primi dixit, res medicationis una trium rerum cõpletur, uidelicet. Dieta, medicinarum exhibitione,& manuali operatione. Idcirco Doctor Excellens Nobilis ægrotantis curationem omni trium inſtrumentorum exercitatione exactè perficere conabor, ut noſtris medicamentis diuino numine adiutis, eum ad illam, quam iam habuit ualetudinem conducatur, cum autem omnium eorum inſtrumentorum nobilius ſit uictus ratio, ut in libro experimentorum, capite ultimo, dixit Galenus, cui medicus inprimis debet adhærere, ut dixit Gal. ii. metho. capi. quinto. ob hoc à uictus ratione curationis methodum à principio aggrediemur.

DE AERE.

PRimum de aere dicam, cum ab aere nos ambiente corpus admodum mutetur, ut ait Galenus, tertio ar-

tis

tis medicinalis. x. & undecimo, &. III. methodi curatiuæ. capite octauo,& nono,methodi non longe a' fine, ubi ait. Ambiens uerò is eſt,ſine quo nec tolli morbus, nec teneri ſanitas poteſt, prohibeo igitur nobilitati ſuæ craſſum, & nebuloſum aerem,cluſumque, nullum recipiens perflatũ, quoniam dixit Galenus, in primo de tuenda ſanitate, nec qui ob ſtagnum,uel flumen uicinum nebuloſus eſt aer,nec qui editis undiq; in cauo loco cluſus, nullum recipit perflatum,ſuffocans enim, putriſque eſt.Proinde accuratè locum domus ſibi conducat nobilis patiens, in quo non ſit incluſus aer,perflatus defectum ſuſtinens, ob illud Galeni uerbum eodem libro ſimilis ei, qui in domibus quibuſdã eſt incluſus,in quibus ob putredinem,& perflatus defectũ plurimus aceruatur ſitus, huiuſmodi enim aer omni planè ætati eſt noxius. Proinde quoque & fumo, & puluere affectus aer prohibeatur,tum quoniam aer ille multiplicatiuus eſt ſuperfluitatum humidarum in capite, quo fit,ut ipſe per uiam reumatiſmi ad inferiora irruant,tum etiam quoniam cum membra ſpirationis intrant ſpirandi facultatem tollunt, ut uiarum ſpiritus clauſione aſthma conducant, in quam affectionem facile patiens cadere poteſt, aerem quoque humidum ualde fugiat, ſicut qui ſtagni & paludis habitu eſt infectus, & qui ex cloacis malam ſpirat auram,& qui ex animalium, aut olerum, aut leguminum putredine uitium contraxit, aut fimo coinquinatur,ſumma cum diligentia uitandus eſt aer. Cerebrũ enim lædit,& humiditatibus ipſum replet, & ſpirandi facultatẽ opprimit,ut dixit Galenus in libro primo, de tuenda ſanitate: Conducat autem nobilitas ſua, aerem purum & clarum,atque ſubtilem,ne impuritate & craſſitudine ſui uirtutes animales, & organa earum obnubilet, & ideo dixit Galenus optimum aerem cenſeo, qui prorſus ſit purus. Eius autem aer ſit calidus,& ſiccus, non admodum quidẽ, ob illud uerbum Galeni,quinto aphoriſmorum,cõ.XXIIII

frigidum partibus Thoracis inimiciſsimum eſſe, & ex capite diſtillationibus thoracem offendit, atque pulmonem, nõ ab re igitur iuberem moderato calido caput ſuum munire. Dixit enim Galenus, quinto aphoriſmorum, commẽto uigeſimo ſecundo. Calor uerò extrinſecus facit hæc omnia, quæ dicta ſunt, & in capitis diſpoſitionibus facit hæc eadem, ideſt capitis grauitates ſanat, concoquens, atque diſſoluens quæcunque moleſtant. Nempè igitur ſi natura aer calidus eo in loco quo D. ſua moram trahit non repèriatur, aut hybernum adfuerit tempus, leuibus aromatum ſuffitibus utatur. Conſidera Doctor Excellens, quod à me dicitur leuibus ſuffitibus, quoniam aer multo affectus fumo, noxius eſt capiti, & tanto plus, quanto fortes ſuffitus aromatum in eo recipiuntur. Vbi enim Nobilis Patiens ei obnocuum eſſet quod de fumo exit ab aromatibus, ſola aromatum præſentia in loco manſionis ſuæ contentus ſit, ut quod de odore ab aromatibus expirat, quæ ſua ui aperiunt, uaſorum obſerata extrema, & humorum craſsitudinem extenuant, & omnibus frigidis, & humidis diſpoſitionibus corporis proſunt, & aromata hæc ſunt. Cinnamomum, gariophyllum, macis, ambra, lignum aloes. Cortices citrii, arantiæ, & huiuſmodi. Quòd ſi eidem gratum fuerit, clarum ignem inſpicere & maximè hyberno tempore ſit ex lignis roriſmarini, iuniperi, & lauri, quippe ſi ex ligno terebinthi uel ex ligno, quod uſitato uocabulo lignum laricis dicitur, ignis exacendatur, proficuus admodum hic erit ignis, quoniam ſui natura eſt roborare caput, & membra anhelitus, ut non facile cadant in aſthma, & catarrho ſuccurritur. &c.

PANIS.

PAnis electionem ſic facito, illius enim confectio ſit ex ſolo tritico, & ſit ex ſimula, ſeu flore farinæ, puriſsimus enim panis is eſt, naturalia non grauans, non flatuoſus, neque deorſum aluum implens, & peroptimè nutritiuus, neque

neque caput grauitans. Hanc ſententiam habes à Galeno primo alimentorum capite ſecundo,& ab Auicenna ſecundo canone,capite.DLXXIII. Sitque illius Panis non admodum fermentatus,ſui enim ſuperfluente acore, & cerebro, & membris ſpirandi noxius eſt,quippe neque omnino fermento careat, quoniam nemini erit accommodus, neque eius panis ſit plurimum ſalitus propter illud uerbum Galeni ſecundo,de compo.med.s.l.capite decimo octauo,ubi ait. Sal anxiatiuum eſt propter grauedinem, & maximè in capite ſitque eius panis non admodum coctus, ut qui cruda, incoctaq; interiora habet,ambuſta uerò obarida,& cruſtacea exteriora. Ignis enim uis in totum panem nequit penetrare,ideoque illum non percoquit, ſed crudiora relinquit,maximeq; intimas partes.Is enim deterrimus panis eſt,& uentriculo inimicus,qui in cruſtaceis admodũ aduritur, in intimis uerò crudus,incoctuſque relinquitur, auctore Galeno primo alimentorum,capite ſecundo.Sitq; panis eius recens trium dierum,ſanè quidem calidus non edatur propter illud Auicennæ ſecundo canone, capite. DLXXIII. Panis enim calidus non eſt apud naturam receptibilis,ſitim facit,& natat,propter ſuam uaporoſam humiditatem,nocuam admodum cerebro.&c.

DE VINO.

CVm ſit omnis exceſſus fugiendus, maximè hunc fugere expedit,ex quo non corpori modo, uerum etiã animo damnum accedit. Quippe cum corpori D. ſuæ, & animo uini potus damnum ingerat, nedum hauſtum guſtare ſuaſerim, uerum & omnis uini potum denegarem, quippe cum repleri eius caput ſit inutile. Vinum autem halitu caput repleat, idcirco uinum illi nocuum erit, quo fit,ut ex potu uini concreſcat catarrhus,& alia uigeãt ſymptomata, quibus patiens moleſtatur. Propterea Doctor Excellens non ab re mihi ſuadeo D.ſuæ potum peridoneũ eſſe ex hydromelite, potum coctionis hyſſopi, calefacien-

tis,& exſiccantis,auctore Galeno octauo,ſimpl.pharmacorum. capit.CLII. Vbi uerò conſuetudine,uel inordinata tui Domini appetentia,uel uiolento aliorum irritatu, ad uini cogatur potionem, uina nigra illi minimè dato, ſui enim craſſitie, humores craſſos, & glutinoſos adgenerabũt,qui euaporantes ad caput grauedinem augebũt, & uiæ pulmonis obſtruentur. Quo fit, ut facile cadat, in difficilem reſpirationem.

Porrò igitur eius uinum album ſit, imbecillium uirium, ut caput minimè percutere ualeat, ait enim Galenus quinto,de locis affectis,cap.V.huiuſcemodi uinũm ut uentriculum robuſtum efficit, ita nequaquã tentat caput, id quod facere ſolent ea uina, quæ uehementes uires obtinent. &c.

DE CARNIBVS.

QVod peridoneè penſitatum eſt Doctor Excellens,à magiſtris noſtris antiquioribus, ſæpius ad tui memoriam reuocari uelim, D. tuum præter naturali diſpoſitione affectum, in ſui couſueta eduliorũ aſſumptione,eorum parſimoniæ attendere,ob multum enim alimẽtum uentriculo conceſſum, & in magna nutrientis quantitate in ſtomacho,magna eleuatur uaporum, atque fumorum quantitas ad caput,ideo & grauitas illius concreſcere poteſt & præparabitur caput ad maiorem humiditatis fluxionem deorſum,Quo fit,ut ſymptomata turbãtia D.ſuã uigeant, & admodũ noceant.Parcius autem ueſperi ex uſu ſuo comuni cibo utatur, ne calor naturalis in ſummo retractus ad interiora duplici labore fatigetur, uidelicet contra operando malis operibus intus,in corpore patiente ex ægritudinibus congregatis, & contra operando ipſi cibo, ut ipſum in nutrimentum rectè conuertat.Quòd ſi ueſperi D. ſua non capiet cænam,uel parciſſimo utatur cibo,cõfidentiam habeo ipſum debere ſanari, & à ſuo morbo, & à ſymptomatibus eius. Vetuſtorum itaque pedeſtrium animalium carnes cauere debet, ut bubula caro, de qua loquens

quens Galenus tertio, de facultatibus alimentorum. cap.I. ait bubula uerò alimentum ipſa quoq; non exiguum, nec diſcuſſu leue præſtat, ſed ſanguinem crasſiorem quàm par eſt, progignit, quæcunq; igitur peditantia animalia temporis uetuſtate terrei alimenti naturam ſibi conceſſerint, non optimi ſanguinis, ſed feculenti, animali facultati noxii, facilè, procreantia ſunt, quales ſunt ceruorum carnes, & capreoli, caprarum, arietum, & uetuſtorum caſtratorum. Caueat quoque D. ſua à ſuilla carne, compertum autem eſt ex experientia uentriculum grauare, craſſum progignere alimentum, & ſui natura non facile concoqui, ut ait Gale. VII. methodi curatiuæ. cap. VI. Ob quam rem ſuillæ carnis quâlibet adminiſtrationem D. tuum aufugere certè arbitror, cum humoris geniti crasſitia, atque adhærente uiſcoſitate cerebro noceat, & difficilem reddat anhelitum, quicquid de ſuilla carne dixerit Gale. libro tertio, de facultatibus alimentorum, cap. I. & in libro de cibis boni, & mali ſucci, & decimo ſimplicium medicamentorum. cap. III.

Tibi ex his ſuadeo ex comuni uſu, carnes D. tui quantitate minutas eſſe, ſicut & cuiuslibet alterius edulii adaucta enim quantitas eorum, uentriculū extendit, & pulſo ſepto trāſuerſo ſpiratiōis facultas grauatur, ſintq; eius carnes facilis concoctionis, & optimi alimenti, non multo humido affecti, ſint, quæ non facilem concoctionem apud uentriculum tenent, naturali facultate facta imbecilli, in ſuperfluū uertuntur, quod ad caput effumans nocuum eſt cerebro, flatuoſamq; humiditatem progignunt, ſeptum tranſuerſum pellentem, difficiliorem reddent anhelitum. Quippe ſi abundantis humiditatis carnes alimentum procrearent, ſanè pulmōis uaſa ab ea magis obſerata aſthmatis cremētum efficerentur. Sint itaq; carnes eius, ut pulli gallinarū, faſianorum, perdicum, turturum, atq; columborū, iuuenū cuniculorum, & leporū, & caro hædina, parūq; uitullina ei non denegabitur, quippe agninā carnē nō ſequatur noxia

enim

enim eſt ei ob id, quòd humidiorem alimoniam, quã par eſt progignat. Porrò ex condimento huiuſcemodi carnes, & elixas, & toſtas parari poſſunt, ſi cum his iungãtur, quæ crudos, & tenaces humores attenuant, incidunt, & concoquunt, ſicut cum hyſſopo, ſaluia, calamento, enula, & modico cinnamomi.

Conſulo quoque carnes cuiuſuis generis, quas uſitato eſu D. T. deuorat, extenuatas, atque pinguedine exiſtere nudas, pinguedo enim humida res eſt admodum ſimilis oleo uetuſtate incraſſato, ut ait Galenus tertio libro, de facultat. alimentorum. cap. decimo, hoc ſanè noxium eſt capiti, thoraci, & oſculo uentriculi, & halitu malo caput tentat. Verum medice Docte, eorum animalia quæ uolatu fidunt, carnes ob facilem concoctionem atque leuisſimi alimenti, & peroptimi, præſtantiam, præcipuam laudem in hac affectionem merentur, auctore Galeno tertio, de potentiis alimentorum, capite decimo octauo. Qualia ſunt, perdices, columbæ ſylueſtres, nam ſicciores. Carnes quoq; gallorum iuuenum gallinaceorum atque gallinarum, turdorum, turturis, faſianorum, & frigellarum optimè conueniunt, quippe ut plura uno pronunciem uerbo, & quorũ omnium uictus, atque habitatio in pratis, agris, & nemoribus reperitur, admodum enim iuuantes ſunt carnes. Suadeoque tibi ut prohibeas D. tuum à carnibus eorum animalium, quæ in ſtagnis aut paluſtribus, atque lacuſtribus degunt. Qualia ſunt, anſeres, anates, & ſimilia. Dicente Galeno, in libro de cibis boni, & mali ſucci. Præterea aues, ut ita dicam, omnes boni ſucci cenſentur, exceptis lacuſtribus, paluſtribus, & quæ in immundis fluminibus, ac turbidis degunt. Caro enim animantium, quæ uiuunt in aquis huiuſmodi deterrima eſt, ſalitas carnes omnino fugiat, propter illud Galeni ſecundo, de compo. med. s. l. capite decimo octauo. Sal moleſtiam parit propter grauedinem, & maximè in capite, &c.

DE PISCIBVS.

CVm apud Gale.ſexto de uſu partium capite nono,cõpertum ſit omnibus animantibus piſces frigidiores eſſe, namque humido abundantes: quippe uictus ratio hoc in catarrho frigido non admittit,non ab re à tota rei natura patienti piſces non concedimus, illos maximè,qui in cænoſis,& ſordidis aquis ueſcuntur.Porrò & qui in paludibus,& lacubus capiuntur,excrementitia nãque & mucoſa eſt admodum eorum omnium caro, auctore Galeno tertio,de potentiis alimentorum,capite uigeſimo quarto. Qui uerò ſaxatiles appellantur piſces, & qui in torrentibus exercitantur, & qui de libero ſunt mari, eorum caro optima eſt,& tanto melior,quanto uentorum difflatu mare agitatum fuerit, ob quam rem quanto piſcium carnes, exercitio ſubmittuntur, minus ſunt mucoſæ & excrementitiæ. De ſalitis piſcibus idem dicendum puto quòd de carnibus.

DE OVIS.

QVæ ab animantibus oua naſcuntur à Galeno tertio facultatis alimentorum, capite uigeſimo primo,in hominu m numerantur alimenta, quorum ſummam alimoniæ laudem gallinarum oua obtinent, porrò cum albuminis uis adſtringens ſit,latum anhelitum incõmodat, ſolo igitur oui luteo, hortor. D. ſuam debere uti peridoneus enim eſt oui luteus, cum optimam prognat alimoniam, ut dixit Auicenna ſecundo canone. capite. DXXVIII. ubi ait,& ſtricturæ anhelitus confert,ouum,proprie,cum ſorbetur eius luteus tepidus. Sint quidem oua recentia,& non diu aſſeruata, recentia enim facili obediũt concoctioni,diu uerò aſſeruata nedum concoctioni pertinatia ſunt, uerum prauorum progignentia ſuccorum, ut Dixit Galenus. tertio, de potentiis alimentorum, capite uigeſimo primo. Nempe oua, quæ ei eſu comuni largienda ſunt,non ſint dura,cum difficilis concoctionis, & tardi

tranſitus ſint, craſſamque alimoniam corpori exhibeant. Porrò ſint tremula, atque ſorbilia, ut ait Galenus, ut ſupra, omnium enim exactiſſimè nutriunt. Sint autem eius oua potius in aqua cocta, quoniam in feruentibus cineribus aſſata; longè tardioris ſunt meatus, & craſſioris ſucci. Quæ uerò in ſartagine oua parantur ei ſunt admodum contumacia, deterrimi enim ſunt alimenti, dum namque coquũtur, nidorem, ac fumum edunt, malorum humorum adgenerantia, omnibus nobilis patientis diſpoſitionibus nocua, non facile etiam oua cum aliis eduliis coagulata, ei cõcederem, cum dixerit Auicenna ſecundo canone, capite. DXXVIII. & melius eorum artificium eſt, ut non cum alio coagulentur.

DE LACTE.

LAc numerandum eſſe inter cibos, qui ab animalibus proficiſcuntur, compertum eſt à Galeno tertio alimẽtorum, capite. XIIII. Quippe lac optimum omnium rerũ, quas cibi cauſa capimus, optimi eſt ſucci. Dixi optimum, iuxta Galenum quoniam uitioſum lac nedum tantum abeſt, ut ad ſucci probitatem conducat, ſed ut malo etiam ſucco utentium corpora impleat, ob quam rem, niſi capitis grauitas obſtaret, optimum lac aliquando ei admitterem. Porrò recenter emulctum, quoniam ſic naturæ bonitatis, aliquid eſt, cum enim diu emulctum eſt, naturæ bonitatis non nihil amittit, Hoc dico maximè propter affectum pulmonis, & thoracis, dicente Galeno tertio, facultatis alimentorum, capite decimo quarto. Thoracis pulmoniſque partibus, omne lac utile eſt, capiti minime, niſi admodum ualenti. &cet.

DE CASEO.

CVm caſeum ex iniecto lacti coagulo formetur, quippe dum formatur acrimoniam accipit, totamque humiditatem relinquit, quippe magis eo inueterato creſcit acrimonia, & is calidior, atque urentior redditur, conco-

ctionique

ctionique contumatior,& deterrimi alimenti procreator, ob quam rem à tota rei natura caſeum D.ſuæ denegamus: Quippe etſi facultatis attenuatoriæ craſſorum corporis humorum caſeus ſit,plus porrò damni ex ſucci prauitate, & æſtuanti feruore infert,quam craſſorum attenuatio poſſit prodeſſe,auctore Galeno eodem in loco.

Vnde licet Galenus tertio, facultatis alimentorum,capite decimo ſexto , inter omnes caſeos laudet recentem caſeum,qui gratisſimus ori eſt,& ſtomacho minime noxius & concoctioni facilior,& comeabilior,ſucco conſtans non uitioſo.Non propter hoc ſuæ D.concederem caſeum,quãtumcunque recentem , cum caput grauatum hoc non admittat. & cet.

DE BVTYRO.

DOctor Excellens te ſcire uellem, cum ex eo , quod in lacte pinguisſimum eſt butyrum progignatur. Quo fit,ut liniendi facultatem ſibi conducat, atque molliendi , & concoquendi,reſoluendiq; uim habeat,auctore Gale.x. ſimplicium medicamentorum,cap.xi.ob hoc indicio ſumpto à difficultate anhelitus,quã plerumque patiens moleſtatur,ei concederem butyrũ, niſi capitis grauedo huic cõtradiceret,parce igitur in cõi ſuo eſu butyrum edat. &c.

DE OLERIBVS.

QVæ ex oleribus D. Tuus eſitare debet, porro calefacientia atq; exſiccãtia ſint.Qualia ſunt hyſſopus,mẽta, calamentũ, fœniculũ,ſiſimbriũ, ſaluia, betonica, roſmarinus, & ſimilia, ſuæ etenim D. hæc peridonea ſunt, quoniam craſſos,& hærentes ſuccos attenuant,atq; abſtergũt,quæ uerò frigidæ,& humidæ ſunt temperaturæ olera, qualia ſunt lactuca, endiuia,beta,ſpinachia, & huiuſmodi, nedum craſſos,crudoſq; ſuccos progignũt,uerũ ſui frigiditate cauſam difficilis anhelitus compingunt,& ſpirandi facultatem hebetant , ob hoc ſint procul à D. Tuo , qualia etiam eſſe debent , quæ natura frigida , & ſicca ſunt olera,

qualia plantago,acetoſa,ſolanum,& ſimilia. & cet.

Præterea terræ bulbos cauere debet,eos præcipuè, qui mordaci acrimonia, præditi ſunt,qualia cepæ,allia, aſcaloniæ, Porri,& huiuſmodi. Cum ſuo malo halitu cerebrum uitient,& obſcuriſſimam quandam alendi facultatem corporis habent,ut ait Galenus ſecundo ſimplicium pharmacorum,capite ultimo.

DE FVNGIS.

FVngos quouis modo condiendi paratos, D. tuus dubio procul fugere debet,porrò nedum mali ſucci ſunt, atque alimonia ex his procedens pituitoſa, gelidaque eſt, os uentriculi anguſtians, quippe & id pondere afflictum, conſtrictumque ſpirandi facultatem corripit,ut dixit Galenus ſecũdo alimentorum,capite ſexageſimo nono,& Auicenna ſecundo canone,capite.CCLXXIIII.ait, accidit ex fungis, qui non interficiunt, præfocatio. &c.

DE FRVCTIBVS.

DIxit Galenus ſecundo,facultatis alimentorum,capite ſecundo.Hos quidem fructus horarios eſſe, hos uerò arboreos, horarii ſunt, qui in anni hora naſcuntur, in cuius medio temporis canicula exoritur, & quidam hos terræ fructus nuncuparunt,quales ſunt cucurbitæ, mellopepones, anguriæ,cucumeres, & huiuſcemodi: qui cum humidæ ſint conſiſtentiæ, atque larga humiditate affecti, nedum humidam progignunt alimoniam ſed & exiguá, facileque è corpore excernibilem,ut Galen.dicere audeat, id genus omnia uitioſo ſucco notata, fructus uerò, quos arboreos appellitant,à tota rei natura edendos non dabimus.D.Tuo.Dixit enim Galenus, ſecundo alimentorum, capite ſeptimo. Hi enim quorum mollis, atque humida eſt conſiſtentia,nedum tenuem, humidamque ex ſe alimoniam corpori afferunt, uerum & flatuoſam ei admodum nocuam procreant: quales ſunt ficus, pira, mala, perſica, armeniaca, ceraſa,pruna,& huiuſcemodi.Atqui ſi,ut pueri,

ri,uoraci appetentia pulſi,ea quempiam horum cuperet, maturas ficus,ueluti minus nocuas ei tradere iuberem,minus namque praui ſucci adgenerant,omnibus his, qui fugaces,autumnaleſque uocantur fructus,etſi penitus huius officii non immunes reddantur ficus,ut ait Galenus,ſecundo alimentorum,capite octauo.Sed poma feruentibus cineribus cocta,& pira, & perſica eſitare poterit. Excalfaciẽs ſiquidem ignis,nedum humidum nocuum minuit, uerũ & flatuoſum ſpiritum ſenſim excernit, ſoluitque. Citonia poma caueat,& cruda,& cocta,cum à ſui natura neruis,& iuncturis noceant.Nuces auellanæ,atque iuglandes nuces, cum ui polleant adſtrictoria,auctore Galeno, ſecundo alimentorum,capite decimo octauo, eorum eſca D. Tuo nocua eſt, difficultatis ſpirandi incrementum apponentes, fluxioneſque deſuper mouentes,potẽtiam ſpirationis admodum grauant, à quarum natura non ex toto amigdalæ dulces abhorrent, minus tamen. Quo fit, ut audentius poſſimus ei eas concedere,niſi earum natura, ut multi dicunt,caput grauitet.

DE LEGVMINIBVS.

LEgumina ob hoc quod nulla gratia, nullaque iucunditate commendantur, quippe & flatibus uentres implent, ut dixit Galenus, de potentiis alimentorum, & ob hoc facultatem ſpirationis uitiant, ea proculdubio Domini tui, cuiuſuis generis paratus adfuerint, ingratas eſcas pronuntiabo: ob quã rem hortor,ut eorum fuga D.Tuus ſe muniat, niſi inordinata appetentia eorum cogeret,plerumque cicerum rubeorum iuſculum ſorbere, quod non putamus admodum inutile ſi hyſſopi,ſaluiæ,atque maioranæ condimento paretur, ſic enim attenuandi,& abſtergendi craſſos humores, & glutinoſos uirtutem tenet.

DE EXERCITIO.

POrrò ut Dominatio patientis bonam conducat ualetudinem præcipere oportet, ut corporis motione,

atque exercitatione gubernetur. At quoniam non leue incommodum nonnullis accidit, cum repleti cibo ſe exercitant, ut Galenus ſexto, de tuenda ſanitate dixit, non ab re ipſum impleto uentre exercitari nollem, ea inquam motione, uaporibus impletur caput, fluxiones deſuper cadentes adſpirationis inſtrumēta progignentibus admodum, & capiti, & thoraci noxias potiſſimum igitur eius exercitatio non ſit poſt cibum, neque ſuas conſuetudines, tempore illo curet exercere, ob dictam cauſam. Sed ante cibū, quoniam ea uirium corporis robur augeri ſolet, auctore Galeno ſexto, de locis affectis, capite ſexto. Quippe & ea exiguos meatus expurgat, & excrementa pellit, & ob id dixit Galenus ſecundo, de ſanitatis tutela, utilius eſt ante cibum exercitationem adhibere.

DE SOMNO, ET VIGILIA.

SI ambo ſomnum, uidelicet, atque uigiliam conie&ctari uoluero, hoc ſanè fieri ſecundum innati caloris motiones comperiam, ut ait Galenus, ſecundo aphoriſmorum, commento primo. Somnus quidem ad intima corporis, uigilia uerò ad exteriora calorem promouet, quam ob rē cum in ſomno multo natiuo calore ad intima uocato, exhalitibus multa quantitas capiti ingeratur, quibus fluxiones ad corporis inferiora, maximè ad cauitates thoracis, & pulmonis conducuntur, ut eodem loco dixit Galenus. Idcirco D. Tuum nollem multo gaudere ſomno, Quippe cum incremento fluxionis deſuper ex diurno ſomno cauſa difficultatis ſpirandi concreſcat, uitienturque totius corporis articuli, non ab re ipſum diurno ſomno omnino priuandum crediderim. Porrò cum in uigilia ſpiritus à corde ad membra confluant, ut in illis congeſtos humores conſocio calore attenuent, atque diſrumpant, ob id eum maiori temporis interuallo uigilia lætari uelim: Quo fit, ut ſi uetuſtam ſomni diurni aſſuetudinem habeat, ſenſim negligat, ſeruato Galeni documento ſecundo

do aphoriſmorum, commento quinquageſimo, non tamen ſuperfluè uigilet, cum uigiliæ ſuperfluæ, & ſpiritus, & natiuum calorem debilitent, Quo fit, ut eius temperatura frigeſcat, & catarrhus concreſcat, & laſsitudo triſtiſque ſenſatio in omnibus membris progignatur. &c.

DE GAVDIO, ET TRISTITIA.

CVm nimio gaudio animata facultas ad exteriora feratur, ſi quid antea ei adfuerit roboris, dum exteriora petit, diſcutitur, atque diſsipatur, ut nonnulli ſupra modum puſillanimes, repente ſint mortui, auctore Galeno ſecundo, de cauſis ſymptomatum, Propterea gaudeat D. Tuus gaudio moderato. Porrò eo non ita ualido motu, ac feruore fertur animata facultas ad exteriora, ut exoluatur, laxeturuè. Quippe ſi quid ei roboris ante fuit, id detinet, quod continget ſi D. Tuus etiam moderatum in ſuis negotiis exercitium conducat, Porrò gaudio delegato ſpiritu à corde conſocio calore ad membra facultatis ſpirandi, fit, ut pituitoſæ humiditates thoracis uias, ac pulmonis obſtructas diſrumpat, atque exoluat, & hoc difficultatis anhelitus uitium admodum emendat, & per eandem rationem, & iuncturarum laſsitudines tollit. Quippe & mœſtitiam cauere debet, ipſa reuocante ſpiritum, & calorem ad cor, quo fit, ut exteriora algeſcant membra, quod ſane nocuum eſt frigiditati, quam in exterioribus totius corporis D. Tuus percipit. & cet.

DE REPLETIONE, ET EVACVATIONE.

NOn te admirari uellem Doctor Excellens, ſi uitioſam ciborum, atque potuum impletionem, quippe & malorum ſuccorum ſimplici uerbo à me damnari dignoſces, ſane cogor id fateri, ob uerbum Galeni, primo aphoriſmorum, commento tertio, ubi ait, Cum enim uaſa cibis, ac potibus fuerint ſupra modum repleta, periculum eſt, ne diſrumpantur,

rumpantur,aut calor natiuus ſuffocetur, & extinguatur. Proinde D. Tuus uictus ratione ſeipſum parce gubernet, neque cibis, potibuſque admodum ſe repleat, cum enim ab affectione,qua laborat,quæ eſt præſentia fluxionis deorſum, a' ſuffocationis periculo,& ab impedimento motus progreſsiui nequaquam ex multo cibo,potuque tutus eſt, Idcirco parce eſitet, ſorbeatque, ne eorum præſentia, delegata tamen fluxione ad uias pulmonis, pulſis a' uentriculo, repleto ſpiritalibus membris, ſtranguletur, & ſubitaneo interitu necetur, Quo'd ſi huiuſcemodi periculum præteribit, confeſtim in malorum ſuccorum plenitatem uertetur,Quo fit.ut inſtrumenta ſpirationis & articuli omnes grauitentur, capite admodum grauato. Igitur eius uentres implere non admodum ſollicitus ſit,magisq́ immoderate' eos inanire non cogatur, aut cibi,& potus parſimonia,aut coitu ſuperfluo omnes corporis uires, & ſuorum membrorum dilaniante, ac exterminante, ut recte' dixiſti longiori ſermone,in tui mihi delata informatione, & ob hæc dicam niſi coitui parcat,certe' & ex morbo,& ex eius ſymptomatibus in ſua D. ex coitu concreſcentibus,uitam cum morte commutabit. Aut ſenſim cum purgatorii medicamenti euacuatione,moderate' euacuetur,ut poſtea dicemus.Multitudo etenim humorum euacuandorum, niſi ab illis modeſte' corpus inaniatur, omnia grauabuntur membra, & ſpirandi difficultas promouebitur. & cet.

MEDICATIO PER POTIONES.

CVm iam a' nobis oſtenſum eſt, quali uictus ratione Nobilis Dominus Tuus uti debeat, alteram rem aggrediar,quam morbi profligandi facultatem libro primo de ſanitatis tutela,Galenus appellat, nempe quoniam eius morbus diutinus eſt, ut & plerique morbi longi, ob craſſos,lentos ac frigidos fiet humores, quo fit, ut non facile

concoqui poſſint,ut Galeni uerbum eſt, ſecundò aphoriſmorum,commento decimo nono. Quippe & in patientibus partibus impacti ſunt,& conglutinati dicti humores. Ita quod eorum diſpoſitiones magis præduris tumoribus, quàm inflammationibus aſſimilantur. Idcirco curationis ſcopus affectionis Domini tui,eadem medicari die, ueluti in acutis expedit morbis,nedum irrationalis, uerũ, & fallax, atque periculoſus eſt, auctore Galeno, primo aphoriſmorum,commento uigeſimo ſecundo,quo fit, ut ſenſim huiuſmodi affectum medicari operepreciũ ſit, ueluti in præduris accidit tumoribus, Altero quippe die morbi cauſam concoquendo, altero uerò concoctum deiiciendo,ueluti edocuit nos Galenus,primo aphoriſmorũ, commento uigeſimo quarto, & ſecundo, commento nono. Sanè igitur Doctor Excellens, mihi nullo porrò ducto errore perſuadeo D. Tuum binis medicationibus per anni temporis ſpacium medicari oportere, una uernali, altera uerò autumnali tempore initiantibus. Quippe huiuſcemodi erunt medicationes præcauentes morbum,qui futurus eſt,atque curantes illum,qui iam imminet, ut præcauendi, ac curandi morbum eodem ſcopo aggrediar: uenirem igitur à te interrogandus Doctor Excellens, cum ſermo habitus eſt à Galeno, in libro introductio ſeu medicus, omnem ex plenitudine morbum, uel inedia, uel purgatione. uel uenæ ſectione curandum eſſe,quo horum trium ſcopo hiſce temporibus Dominus tuus initium curationis capere ualeat. Nempe dicerem cum ſæpe fiat, ut affectio uenæ ſectionem deſideret,auctore Galeno,in libro de ratione curandi per ſanguinis miſſionem, capite primo, & certè D. tui affectio uenæ ſectionem longè pellit, ob id quòd affectionis cauſa craſſus, atque glutinoſus, & frigidus humor exiſtit, igitur initium curationis illius à ſanguinis miſſione aſſumere nequaquam auderem, dicente Galeno nono methodi curatiuæ ad finem uerbum hoc,

cuiq;

cuiq; morborum ſua eſt curationis indicatio, quippe à ca lido indicatio eſt infrigidandi, à frigido uerò calefaciendi. Porrò indubitato ſanguinis miſſio, ut in ſe eſt, totum infrigidat corpus, auctore Galeno in libro, de uenæ ſectione, & D. Tuus non ulteriori indiget infrigidatione.

Initio igitur ueris pereunte D. Tuum medicamentis purgari iubeo. Porrò purgationibus eſt id tempus, auctore Galeno in libro, de ſanguinis miſſione admodum idoneum. Verum quoniam Hippocrat. nos edocuit, ſecundo aphoriſmorum, nono, & Gal. primo aphoriſmorum, commento uigeſimo quarto. Vbi uidelicet, quis corpora purgare uoluerit, oportet fluida facere. Mihi nempe aſſuetudo eſt fluidum in primis corpus efficere medicamento à latioribus uiis excrementa eiiciente, ne à prauis eorum flatibus principalium uires offendantur, & imbecilliores effectæ proximam morbi cauſam conſocio adhuc calore cōcoquere nequeant. Primum igitur ueſperi priuſquam uentriculum impleat, deuoret quod ſequitur, floridæ caſſiæ recentur eductæ drach. x. accipito, betonicæ in ſubtilem puluerem ductæ, drach. I. & med. ei miſceto, & bolum conficito. Altera uerò ſuccedente die priuſquam ſolis ortus ad nos pertingat, antidotum hanc D. Tuo commodam dicimus, atque ſeptem non intermittentibus diebus potandam, ac tepidam tribuas, craſſos ſanè, ac glutinoſos humores concoquit, attenuat, & diſrumpit, caputque & neruos, & totius corporis articulos admodum iuuat. Recip. Radicum acori, ſtæcados, herbæ paralyſis, ſatureiæ, maioranæ, ſaluiæ, calamenti, mentaſtri, origani, de quolibet quantum manus capere poteſt accipito, radi. endiuiæ, bugloſſi, fœniculi de qualibus. Vnc. med. ſumito, de iuiubis, & ſebeſten æqualiter numero. x. de glyciriza munda, & de paſſulis æqualiter. Vnc. med. accipito, ex his conuenienter coctis cum melle, uel zuccharo fiat ſyrupus. Demum cinnamomi, gariophyllorum, cubebarum nucis myriſticæ, ſem. pæo

niæ,

niæ, piperis nigri, piperis longi, ſpicæ, zinziberis, aniſorum de quolibet. ſcropul. I. accipito, & in ſubtilem puluerem cō ducito, & in ſyrupo ebulito in panno lineo ligato, & cola to. Eo igitur ſic utere, ſyrupi dicti. Vnc. I. oximellitis. Vnc. med. ſyrupi de glyciriza. drach. VI. accipito. Aquam betonicæ, lupulorum, & ſcabioſæ cum dictis permiſceto, & potui dato.

Cœterum octaua die indiciis quippe concoctionis apparentibus priuſquam nox è tenebris ad lucem uertatur ſequenti medicamento purgato. Recip. florum boraginis, buglosſi, ſtæcados arab. betonicæ. ana. manip. med. corticū mirabul. rub. & indorum ana. dra. iii. Agarici optimi ligati in petia. drac. ii. bulliant omnia in ſufficienti quanti. aquæ, cum qua diſſolue diaſebeſten lenitiui. Vnc. I. confect. dactilorum. drac. ii. & med. reubarbari optimi. drac. I. & med. ſpicæ. grana. VII. reubarbarum, & ſpicam ſubtiliter incide, & in puluerem uerte, & cum modico uini odoriferi ipſum irrorabis, & omnia hæc diſſolue, & fac potum, quem patienti dato. Vbi uerò medicinarum potiones guſtum D. Tui perturbarent, iuberem ipſum ſequentem bolum ingurgitare. Agaricum in oximellite paratum, pondere drac. I. Turbith boni tantundem, Reubarbari. ſcropul. iiii. ſpicæ. grana. VII. pulp. ſeb. Vnc. med. zinziberis recentis. dra. ii. accipito, omnia miſceto, & in bolum conducito. Vbi uerò liberius pillulas deglutiret, erunt D. ſuæ commodæ, & peridoneæ quæ ſequuntur pilulæ. Reci. Pilulas cochias almanſoris, pilulas de agar. meſue, pilulas aureas Nicolai, cuiuslibet pondere unius ſcrop. Reubarbari. ſcro. med. ſpicæ grana. ii. ex his cū ſyrupo de ſtæcade pilulas. v. cōficito, & dato. Vel ſic Recip. ſpecierum ieræ ſimpl. ſcro. ii. agarici præparati. drach. I. Reubarbari electi ſcrop. I. fiant pilulæ. v. cum ſucco roſarū, quas capiat poſt mediam noctem, & dormiat ad placitū, donec lux diei apparuerit. Cæterum eo temporis interuallo, quo totum uernum tempus finietur, uno cuiuslibet ſepti-

manæ die, in noctis medio iuberem D. ſuam, unam de ſequentibus pilulis deglutire. Recip. Turbith boni, agarici electi ana. drach. ii. ellebori nigri præparati, drach. I. reubarbari electi, drach. I. & med. zinziberis, ſpicæ ana. grana. X. ſem. citrii, drach. med. ſpecierum ieræ ſimpl. Galeni. Vnc. I. ex his omnibus in ſubtilem pulucrem ductis, addito elect. roſ. meſ. conducatur paſta pillularũ. Doſis eſt pilula. I. ſcropul. pro uice. Nempe ueni interrogandus ab Excellentia tua ſi priuſquam tempus uernale, terminum ſuum poſſideat, nonnullæ apud Italiam naturales thermæ ſint D. ſuæ perutiles. Huic dicere audeo, ſi præceptis ſalutaribus Galeni, & Principis aſſentire cupiam, quæ ex naturali minera ſulphurea, atque aluminoſa, nitroſaque, aquæ ſcaturiunt; indubiè ei peridoneæ ſunt. Quod ſi gallicam diſpoſitionẽ aufugerit, D. ſua, & ſemper ab ea immunis fuit, certè & ut potentur digna balnea illa eſſe conſentirem D. ſuæ. Vbi uerò D. ſua aliàs Gallica affectione fuiſſet affecta, experimẽto edoctus fui, huiuſcemodi aquas potatas admodum noxias eſſe. Vbi uerò eas aquas ad contexturam coronalem ex alto cadentes ſua D. ſuſceperit, ei inſigne præſidium aduenire ſanè nequaquàm ambigam, quippe his exquiſite peractis, illis uero ſeruatis, quæ ipſi, & ſimili aquæ cadenti obſeruiunt, congruuntque. Igitur intrepida fronte iuberẽ, priuſquam uernum tempus à nobis effugiat D. ſuam huiuſmodi ſulphureas, ac aluminoſas thermas aggredi, ob craſſos, & glutinoſos humores D. ſuæ caput tenentes, & ad inferiora membra irruentes, & ea poſſidentes uaria uitiorum genera eadem perturbant. Horum quippe capitis craſſorum humorum, & pituitoſorum, maximum remedium eſt, eos deſtruere, & conſumere. Porrò hoc fit per attenuantia, & abſtergentia medicamenta, atque exſiccantia, auctore Galeno ſeptimo, de compo. med. s. l. capite tertio. Quale eſt ſulphur, ut dixit Galenus nono, ſimplicium medicamẽtorum. Verum eam aquam ad contexturam coronalem

ab

ab alto cadentem, ualentius ſuſcipere iubeo, quo fit, ut fluxioni fouenti, quod in D. ſua iam uetuſtum eſt, ſalutare remedium conducatur, eo enim occurſu quod frigidum eſt, calido alterabitur, & concoquetur, quod craſſum attenuabitur, atque capitis uires inualeſcent, ut pituitoſum humorem non progignat, procreatumque ſoluat, quo fit, ut à fluxione animalis facultatis organa, non grauentur, conſeruabiturque memoria, ipſaque amiſſa recuperabitur. Si etiam aliquando, aqua cadens ab alto naturalis thermæ nucham percuſſerit.

Nempe thermæ conuenientes D. ſuæ, quæ apud nos, & ſuæ D. commodæ ſunt, & conuenientes, maxime ſunt quæ in comitatu Patauino ſitæ ſunt, ut abani, & ſanctæ Helenæ. In comitatu uerò Lucano Balnea ſunt de Corſena, admodum D. ſuæ idonea. In comitatu Senenſi Balnea de Pitriolo, & Sancti Philippi mirabile afferunt iuuamentum. Balnea uero porretana, quæ in comitatu Bononienſi reperiũtur, longè fugiat, quoniam expertum eſt, ea in catarrho admodum noxia eſſe, ſi in potu patienti contribuerentur, ob enim earum uigentem caliditatem eliquãt capitis materias, & inferiora membra offendunt. Neq; in his Ducia eſt conſueta propter id, quòd caput uigentis caliditatis ſuæ impreſſionem tolerare nequit.

Ob errata, quæ in uictus ratione contingunt, non modo morbi fiunt, uerùm & ab anni temporibus, quorum naturæ atque mutationes morborum naturis affines ſunt, auctore Galeno, tertio aphoriſmorum, commento decimo nono. Quippe cum hyberno tempore cerebri affectiones uigere ſolent, auctore Hippocra. tertio aphoriſmorum uigeſimo tertio, non ab re autumno procedente Dominum tuum iterato purgatoriis uti medicamentis, ut ab initio curationis expoſui facile iuberem. Quam ob rem, cum autumni tempus ad nos aderit, eam ſeptenis infraſcriptis ſorbitionibus, nequaquam intermittente die priuſquam no

bis ſol eluceſcat, uti uelim. Recip. Syrupi de ſtæcade cum ſpeciebus, ſyrupi de hyſſopo, ſyrupi roſati. ana. Vnci. med. aquæ betonicæ, ſcabioſæ lupul. ana. Vnc.I. miſce, & potui dato. Cæterum cum concoctionis indicia apparuerint, ſic purgato, Pilulas cochias almanſoris. pillulas de iera nicol. cuiuslibet ſcropulum unum accipito. Pillulæ de agarico Meſue, drachmam mediam, quibus duas unius ſcropuli partes reubarbari, miſceto, cum ſpicæ granis.ii. & pillulas quinque conficito, & ante lucem exhibeto. Hyberno uero tempore ſuccedente quod experientia frequentius didici, id D. ſuæ ſalutare præſidium eſſe non ambigo. Videlicet, ſi octo dierum temporis interuallo terebentina ſemel atque iterum non impleto uentriculo D. ſuæ propinetur. Cuius menſura ſex ſit drachmarum. Vidi hoc à Galeno libro quinto, de tuenda ſanitate, ubi ait. Similiter & terebinthi reſina ſumitur autem aliquando nucis ponticæ magnitudine, aliquando duarum triumuè, quippe non modo aluum ſoluere citra noxam poteſt, ſed etiam uiſcera omnia, iecur, lienem, renes, pulmonemque abſtergere.

Poſtremo uenirem ego interrogandus, ſi quippe his, quæ prædiximus nullum apertè iuuamentum laboranti ſuccedat, an aliquam illius corporis particulam urere idoneum ſit, Nempe neminem ambigere uellem opus illud, quodmanu poſita à nobis efficitur, poſtremum medicinæ priſci appellitant. Porrò ſi iis, quæ in uictus ratione, præcedente ſermone conſcripta ſunt, nullum Dominatio ſua præſidium palam concapeſcat, minuſque his medicamentorum potionibus, & thermarum applicationibus indubitato iubeo duas, uel alteram earum particulas urere peridoneum fore, Quippe ſit uſtio prima in contextura coronali, ut in loco opportuno, Quod ſi eam pati noluerit, dico quod à me expertum eſt, ſi deorſum in cruribus fiat, à genu diſtantior, ſpacio digitorum quattuor

inter

inter duos illius muſculos in parte ſylueſtri, inſigne iuuamentum D. ſuæ aſſociabitur, quippe & hæc uia eſt ad præſentes morbos D. ſuæ curandos, & futuros præcauendos, Nempe enim hac uſtione facta humores, qui caput, & neruoſas corporis partes occupãt ad exteriora eo foramine conducuntur, & euacuantur, auctore Galeno ſexto Epidemi, ad illius benè merentis gloriam, qui nos gubernat, & cuſtodit. &c.

FINIS.

Benedictus Victorius Fauentinus ita conſulebat dum in Gymnaſio, Patauino medicinæ theoricam, primo in loco ex ordine profitebatur.

AD MELANCHOLIAM,

Pro nobili quodam iuuene equite, cui nomen Honorius.

Conſilium XV.

NObilis quidam Eques nomine Honorius uigeſimum quintum annum ſuæ ætatis agens, mala ſui ſuccedente fortuna, corripitur melancholia cum mutationem extimationum, & cogitationum à curſu naturali patiatur, & huius melancholiæ cauſam continentem puto eſſe humorem melancholicum, uel eius fumum multum in quantitate, aut corruptum in ſubſtantia peruertentem, ac perturbantem cerebrum, & uirtutes eius à ſuis operationibus, & propter hoc credit ſe loqui cum deo, & angelis, & omnia præſcire, & credit ſe eſſe deũ, imperatorem, & regem, & multa alia, quibus mouemur ad concludendum huius melancholiæ cauſam fore ab humore melancholico, uel eius fumo recepto in media cellula cerebri, quoniam mutationem habet cogitationum, & extimationum à ſuo curſu naturali, quæ arguit uitium, & nocumentum mediæ cellulæ cerebri, & quoniam intelligo nobilitatem ſuam ante hanc ætatem bilioſæ temperaturæ fuiſſe, cum admixtione inſignis quantitatis ſanguinis, concludam melancholiam peccantem in eo fore per aduſtionem bilis, quæ ſi ſolius fuiſſet choleræ, conduxiſſet ipſum ad maniacam confidentiam, ſed quoniam benignitate ſanguinis corrigitur acuitas choleræ. Ideo eſt, quod & ſi à cholera aduſta, talis aduſtio non tanta fuit, ut excitaret ipſum ad illam maniacam confidentiam, & ſic erit ſua melancholia corruptio uirtutis animalis ex humore melancholico, uel eius fumo in cerebro dominante ſine febre

& forte cum timore aliquo.

Dum tamen audierim procatharticas aliquas cauſas præceſſiſſe, à quibus facile potuit uirtus animalis permutari in ſuis operationibus à curſu ſuo naturali, & præcipue cum multum tempus durauerit, indulgebat enim in ſui adoleſcentia amoribus, aliiſque diuinandi artibus magicis, hiſque ſcientiis, & dæmonum conuocationibus aſſiduo operam dabat. Quarum rerum fixio cogitationem permutat, & extimationem à ſuo curſu naturali, Et hoc frequenter eſt inuentum in zelotipis mulieribus, ſicut dixit Galenus primo prognoſticorum, commento nono.

Huius namque horrendæ affectionis ſalutaria remedia à nobis ſunt inquiſita. Et ut huic petitioni pro uirili ex conſcientia ſatisfaciam tria curatiua proponam inſtrumēta. Primum eſt uictus ratio, ſecundum eſt medicinarum exhibitio. Tertium eſt opus manuale. Quantum igitur ad primum inſtrumentum, dico quod auxilia maxime ei conuenientia ſunt, quæ humectant, & calefaciunt, non tamen ultima humectatione, cum qua ſtat turbulentia, & craſſities humorum, quoniam ex his calidis, & humidis multum nutrimentum adgeneratur oppoſitum morbo, qui frigidus eſt & ſiccus, ex eo quoque alimento clarificatur ſanguis, & conuenientis modi ſubſtātiæ generatur, ex quo ſpiritus ſubtiles, & clari procreantur rectè deſeruientes uirtuti animali. Et ideo laudo, quòd panis eius ſit de flore farinæ, qui ultra hoc, quod bonum generat chymum facile permeat, & non eſt flatuoſus, ſanguis enim ex eo genitus, ſubtilis, & clarus, optimè ſeruiens generationi ſpirituum debitè ſeruientium uirtuti animali pro operibus ſuis.

Vinum uerò eius non ſit ualde aquoſum, cum non deſeruiat cordi pro rectificatione ſpirituum, ſit igitur uinum album mediocris facultatis, magis tamen participās aliquo aromatico, & ſuaui ſapore, quam aquatico, & bi-

bat

bat ipſum merum non aquæ permixtum.

Carnes eius non ſint frigidæ,& ſiccæ humoris melancholici generatiuæ,neque ſint ualde humidæ neque aqu aticæ, & propter hoc non cõueniunt animalia degẽtia in aquis, & maxime in paludibus, & ſtagnis, non currentibus,quoniam eorum humidum excrementitium eſt, craſſum, & glutinoſum, & ideo non conueniunt ei anſeres, anates,& genera piſcium habitantium in uallibus.

Piſces autem de libero mari non admodum grandes, propter non eſſe admodum excrementitios ei non ſunt nocui. Caro bouilla, leporina, pecorina, eſt ei admodum contumax. Caro uerò perdicum, faſianornm, francolinorum, gallinarum oua non parientium, gallorum non coeuntium,pullorum columborum, turturum,omniumque auicularum in arboribus degentium, ſunt ei proficuæ, præcipuè, ſi condiantur cum radicibus buglosſi.

Oua ſorbilia recentia ſunt admodum ei conuenientia impinguant enim calidum,& humidum *alimentum* progignentia, & idoneum generationi ſanguinis ſubtilis, & clari, ex quo ſpiritus generantur, in quibus uirtus animalis delectatur ,& ut generaliter dicam cauenda a nobilitate ſua ſunt,quæ ad frigidum,& ſiccum declinant, de quorum proprietate eſt humorem melancholicum generare, de quibus dictum fuit à Galeno ſufficienter tertio, de locis affectis, capite octauo. Ideo uituperamus omnes carnes quadrupedum, magnorum, & antiquorum, cum temporis diuturnitate factæ pronæ ſint ad generationem humoris melancholici, & propter hoc non concedimus ei ſalitas carnes, & eodem curſu currunt ſaliti piſces, omnes ei mali ſunt,cum humorem generent melãcholicum, & hac ratione prohibemus ei oliuas,& cappares,cum ſint in extremo generationis melancholiæ.

Caſeus quoque antiquus, omnium leguminum genera, præcipue lentes ſunt ei contumaces, & hoc ideo quoniam

niam cibus ei peridoneus debet eſſe humectatiuus.

Olera uerò omnia certè ei prohibeo, præter bugloſſum, & lactucam, & præſertim, ſi cum aceto condiantur. Acetum enim contumax eſt humori melancholico. Laudo quoque quod ſi piſces comedere uoluerit, atque carnes, fugiat eas toſtas, & in patellis frixas, cum ſint ad generationem melancholiæ promptæ.

Vitet quoque Nobilitas ſua aerem frigidum, cum eius natura ſit humores corporis noſtri cogere, turbidũ quoq́, & craſſum aerem, cum hæc ducant ad humorem melancholicum generandum.

Non laudo forte exercitium, nec ſuperfluam uigiliam, & ideo plus delectetur ſomno, quàm uigilia. Superfluo etiam coitu corpora noſtra exſiccantur, laudo tamen, ut uſu moderato utatur coitu, quoniam membrorum omnium, & præcipue animalium facultates, tunc plerumque à multa materia grauantur, uel à malis fumis obleſæ, hylares & iucundæ redduntur, & ſpiritus quodam modo uiuificantur uirtuti animali debitè obedientes caueat quoq́ Nobilitas ſua repletionem, quoniam ea naturales uirtutes perturbatæ idoneum nutrimentum adgenerare nequeunt. Quo fit, ut inteſtinis repletis, & ſtomacho, ab his comunicetur materia ipſi mirach, quæ propter eſſe in loco generationis melancholiæ, facile uertetur in humorem melancholicum. Conſulo quoque, ut cum amicis ſibi familiaribus gaudeat, & lætetur, aſſiduitas enim lætandi præparat ad lætitiam, & ad fugam timoris, & melancholiæ. Et hæc de primo inſtrumento.

Secundum inſtrumentum eſt, curatio per medicinas, quæ completur triplici intentione, una generali euacuatione, quam phlebotomiam nominamus. Altera uerò cõcoctione materiæ peccantis, & abundantis, tertia uerò cum euacuatione propria, & corroboratione membrorum.

In prima intentione non laudo inciſionem ſanguinis

ex uenis ſuperioribus cubiti dextri, uel ſiniſtri, cum talis infrigidet, & exſiccet,& regimē medicinale nobilitati ſuæ debet eſſe calefactiuum,& humectatiuum,cum etiam ægri tudo facta eſt diuturna,ubi humores ad terreſtritatem uer ſi ſunt ideo prædicta phlebotomia nunc temporis non eſt bene tuta ex uenis prædictis. Vbi tamen quæreremus eua- cuationem ſanguinis turbulenti, & craſſi, uſque ad hanc horam progeniti, qua etiam nedum humores, uerum, & uapores à ſuperioribus retrahuntur, ob hoc admodum laudarem apertionem uenarum hæmorrhoidarum, pro- pter dictum illud Hippocra. Melancholicis, & nephreticis hæmorrhoides innatæ bonæ. Quòd ſi forte fortuna nobi- litas ſua admitteret appoſitionem hyrudinum hæmor- rhoidibus, præcedat eam clyſtere lenitiuum tale, uide- licet. &c.

Recip. Decoctionis hordei, betæ, maluæ, mercurialis buglosſi, polypodii, lib.I. Diaſenæ lenitiui. Vnc.I. olei uio- lati. Vnc.iii. zucchari rube. mellis roſati col. ana. Vnc.I. & med. ſalis comunis. drac.ii. uitelli oui, numero.I. & iniicia- tur clyſtere.

Facta uerò ſanguinis miſsione per hæmorrhoidas cum quiete unius diei prope diluculum, conſulo, ut ca- piat ſequentem potum more medicinarum, uidelicet.

Recip. Diaſenæ lenitiui, drachmas decem, diſſoluatur cum decoctione florum cordialium, polypodii, epithimi, & buglosſi, & exhibeatur, ſequenti uerò die laudo, ut con coquatur materia cum ſequenti ſyrupo, uidelicet.

Recip. ſyrupi de pomis, buglosſi, ſatureiæ, ana. drac.VI. aquarum buglosſi, cicorii, melliſſæ. ana. drachmas decem miſce.

Continuatis uerò per ſeptem continuos dies his ſyru- pis laudo, ſi aluus adſtricta fuerit in his diebus alternatim fiat clyſtere præſcriptum, octaua uerò die cum ſigna com- pletæ digeſtionis non eſt neceſſe in morbo ſic diuturno ce

leriter

leriter apparere. Ideo leui quodam medicamine purgetur corpus ſic uidelicet.

Recip. Diaſenæ lenitiui. Vnc.I. confectionis hamec.dra. iii.ſolue hæc cum decoctione prædicta, cui addatur aliquid epithimi.

Et quoniam in diuturnis morbis, in quibus materia unica digerentium digeſtione non digeritur complete, ideo conſulo, ut pedetentim concoquatur materia, & pedetentim euacuetur, ſemper eleuádo gradus qualitatum medicinarum. Secundum quod magis appropinquabimur digeſtioni humoris, & fortiori euacuationi illius. Iterato igitur digeratur materia, ſequenti ſyrupo, uidelicet.

Recip. Syrupi de epithimo, ſyrupi de bugloſſo, ana. Vnc.I. Aquarum bugloſsi, lupulorum, meliſſæ. ana. Vnc. unam, miſce, & aromatiza cum helleboro nigro præparato.

His aſſumptis ſyrupis per ſeptem dies, capiat ſequentes pillulas. Recip. pillularum indarum, drachm. med. de lapide lazuli, ſcrupul. ii. hellebori nigri præparati, ſcropul.med.miſce, cum ſyrupo uiolato fiant pillulæ numero quinque.

Et poſt has euacuationes, laudarem, quod omni ſeptimana per tres dies caperet infraſcriptum ſyrupum in dilu culo, uidelicet.

Recip. Syrupi de pomis compoſiti. Vnc.ii.aquæ decoctionis polypodii, & rad. bugloſsi. Vnc.iii.miſce pro una uice.

Quarta uerò die, laudarem, ut prope diluculum caperet infraſcriptum bolum. Recip. ieræ ſimpl. Galeni. Vnc. med.epithimi ſubtiliter triti. drach.ii.cum ſucco bugloſsi fiat bolus.

Conſulo quoque, quod etſi capiat omni ſeptimana dictum bolum. In omni menſe etiam, capiat ſemel illas pil-

lulas dictas,uel in minori doſi ſecundum quòd ſuo experto,& docto medico uidebitur.

Et quoniam in hac ægritudine intentio medici eſt procurare generationem ſpirituum uirtuti animali amicabilium, & recte illi deſeruientium, & cum radix & minera generationis ſpirituum ſit cor, ideo debet medicus in iſto morbo ſeruare, & gubernare facultatem cordis, ut bonos ſpiritus, & idoneos uitales poſsit cor condonare cerebro ad generationem ſpirituum animalium, & ideo laudo, quod cordis facultas roboretur ſequenti epithimate, uidelicet.

Recip. aquæ bugloſsi, boraginis,roſarum ana. lib.med. ſandalorum alborum,& rubeorum,corallorum alborum, & rubeorum,ſem.roſarum rubearum,oſsis de corde cerui ana.dra.I.croci, ſcrop.I.camphoræ,gran.ii.uini cretici,aceti optimi.ana.Vnc.ii.terenda terãtur in puluerem,miſce pro epithimate cordis.

Quòd ſi nobilis hic patiens noluerit pati tale epithima cordi,ſequens inunctio fiat.

Recip. olei nymphcæ luteæ, Vnc. iii. pulueris florum eiuſdem. drach.ii. ſandalorum rub. corallorum rubeorũ, ſem.acetoſæ.ana.ſcrop.I.margaritarum,ligni aloes,oſsis de corde cerui.ana.ſcropul.med.camphoræ grana.iii. pulueri zentur pulverizãda,& cum cæra alba lota cum aqua nymphcæ luteæ quantum ſufficit,fiat unguentum molle.

Caput quoque roboretur, cum ſit membrum receptiuum malarum impreſsionum. Igitur laudo, quod à me in conſimili caſu eſt bene expertum, quòd capite abraſo foueatur locus commiſſuræ coronalis cum ſequenti decoctione calida,mane tantum, ſi uero fuerit poſsibile mane, & ueſperi. Recip. capitum caſtratorum benè expurgatorum, & mundatorum numero. ii. Viſcerum caſtrati numero.I. roſarum rubearum, florum chamæmeli, betonicæ, maioranæ, florum ſtæcados arabici, ana. Manipu

los

los . iii . bulliant in lib. centum aquæ currentis , uſque ad conſumptionem medietatis aquæ, deinde coletur , & colatum uſui reſeruetur , renoueturque decoctio omnibus duobus diebus.

Laudo quoque, ut quotidie fiant diuerſiones , quæ per fricationes , & lotiones fiunt , lotiones autem ſint tales , & multum proficuæ . Recip. florum chamæmeli , florum anthos , florum ſtæcados arabici , roſarum rubearum , maioranæ , betonicæ , calamenti , pulegii . ana . Manipulum. ii. bulliant in ſuffic.quantit. aquæ uſque ad conſumptionem medietatis,& reſiduum ſine colatura uſui reſeruetur,balneando à genu uſq; ad pedes, & à cubito uſq; ad manus.

Laudo quoque,ut etiam per intus cor, & cerebrum roboretur,& propter hoc conſulo , ut cottidie ueſperi in ingreſſu lecti capiat ſequentem potum. Recip.ſucci radi.bugloſſi, Vnc.ii. zucchari albiſsimi.drach.ii. miſce , & potui detur. Mane uerò, & præcipue diebus illis, quibus nullam aliam cœperit medicinam,capiat ſequentem bolum. Reci. Triferæ de epithimo deſcriptionis meſuæ . In capite de melancholia, drach. ii. fiat bolus , & detur. Vbi uerò non haberetur uia , ut nobilis patiens propter amaritudinem Triferam capere noluerit , laudo , ut loco eius capiat bolum. Vnc.med. infraſcripti electuarii , quod mirabile , & in iſto caſu indubitato conferens. uidelicet.

Recip . Corticum citrii , zedoariæ , doronici , carabæ , corallorum rubeorum , ana. drachmæ . I . Serici crudi minutim inciſi been albi,& rubei folii,ſpicæ , cardamomi,gariophyllorum , anthos , calami aromatici . ana . drachmas tres , osſis de corde cerui , Margaritarum perforatarum , & non perforatarum , Rubinorum , Iacinthorum , Smaragdorum , ſem . ſampſuci , ſtæcados arabici , ana, manipulum unum, auri bractearum , ſcobis argenti. ana. drachmam mediam, floris bugloſsi, tormentillæ,ſtyracis,

racis, calamitæ, ſpodii, ſem. baſiliconum, macropiperis, ana.drach.med.Moſchi fini, ambræ optimæ. ana ſcropul.I. zucchari quant.ſuffic. fiat electuarium, & hoc de ſecundo inſtrumento.

Quantum uero ad tertium inſtrumentum, conſulo ſuper id, quod à me in conſimili caſu expertum eſt, ut omnibus prædictis obſeruatis, & præſertim quoad euacuationes fiendas, conducatur cauterium actuale in crure ſiniſtro infra genu diſtante ab eo quattuor digitis in parte ſyluestri intra duos muſculos, omnes enim humores à toto corpore mali ad prædictum cauterium conducuntur, auctore Galeno, in ſexto Epidimiarum igitur. &c.

Benedictus Victorius Fauentinus ita conſuluit M D XXXIX. in Academia Bononienſi primo loco ex ordine practicam medicinam legens.

AD MELANCHOLIAM,
Pro Docto iuuene Iacobo Marcheſello. Ariminenſi.

Conſilium XVI.

PRudens, & Doctus Iuuenis Dominus Iacobus de Marcheſellis Ariminēſis, temperaturæ melancholicæ factæ, per aduſtionem naturalis melancholiæ, ut extant ſigna ab habitudine corporis ſumpta, uidelicet liuidus color uergens in quendam nigredinis gradum. Cum pilorum nigredine, & aliquali criſpitudine ob ſiccitatem ſequentem humoris melancholici aduſtionem, pariter & bilis, à qua ſua temperatura non eſt immunis, & his copulantur indicia ab animi affectionibus ſumpta, uidelicet, cogitatio multa & fixa, cui cogitationi ſæpius nihil in re ipſa reſpondet, ex qua etiam contingit mæror, triſtitia, timor, atque ploratus, abſque manifeſta cauſa, & ubi ab hominibus corrigitur, tædio afficitur tunc temporis, licet paulo poſt mutata conſideratione ad lucidum deueniat interuallum, ob ſanguinis benignitatem remittentem gradum melancholiæ aduſtæ. Quo fit, ut doleat ipſe tali reprehenſione fuiſſe, admonitum, non potens quippe illi obtemperare, cum hac igitur temperatura Doctus hic Iuuenis corripitur melancholia morbo, orta quippe à melancholia naturali aduſta, & quoniam aduſtio naturalis melancholiæ ab epatis nimia caliditate oritur agente in humores epatis, ex qua actione eleuantur fumi ad cerebrum eliquantes humiditates cerebri, & inde irruentes ad inferna corporis, propter hoc etiam corripitur catarrho malam affectionem ſcilicet laſſitudinem, doloremque ferè in omnibus membris in-

fernis cauſante. Et his affectionibus à nobis ipſe petit ſalutaria præſidia, quibus ad ſui ſanitatem deuenire ualeat. Nos igitur honeſtæ ſuæ petitioni obtemperantes morem geremus, ut fiat ſui uoti compos.

Dico igitur ipſum debere regi uictus ratione prohibente generationem humoris melancholici, & non augente epatis caliditatem, à qua adustio in humore melancholico oritur, & fit præparatio deſcenſus materiæ à cerebro irruentis ad membra inferna, uergat igitur illius dieta magis in humidum, & ideo aer illius humidus ſit naturaliter, uel artificialiter. Et aer calidus, & ſiccus excellenter euitetur, & utatur ad nares rebus boni odoris, & non acuti, & fortis, cibi ſint humectatiui, & laudabilis nutrimenti, ut ſunt oua ſorbilia, carnes hædorum, agni, & pullorum gallinaceorum, & uituli, & caſtrati unius anni, & non ſint carnes adeo humidæ, ut illius caro tenereſcat, caro igitur animalium in paludibus, & aquis morantium euitetur. Et panis eius ſit recens duorum, uel trium dierũ, & de optimo tritico. Caueat à carnibus bubulis, & animalium ſylueſtrium, & à caſeo, à leguminibus, & caulibus, Euitet uinũ nigrum craſſum, & turbidum, & nouum, bibat uinum album, & clarum, caueat ab omnibus rebus ſalſis, & acribus, & uitet ea, in quibus ē magna aciditas, & utatur boragine ſupra oẽs herbas, & utatur aliis herbis humectatiuis. Et plus dormiat, quàm uigilet, uigiliæ tamen ſuperfluæ euitentur, & euitet exercitium ſuperfluum, & coitus ſuperfluus, & ſudor non conuenit, ſed balneum aquæ calidæ cõuenit, dum non ſudet, & delectetur audire res iucundas, ut ſonos, cantilenas, & huiuſmodi.

Item Dico, Quòd melancholia antequam confirmetur eſt facilis curæ. Ideo primo purgetur æger purgatione leui, quam minoratiuam dicimus, ſequenti medicina.

Recip. Diaſenæ lenitiui. drach. VII. confectionis hamech. drach. ii. fiat bolus cum zuccharo.

Sequenti

Sequenti die capiat per ſeptem dies continuos in dilu-culo ſequentem ſyrupum ſuperdormiendo.

Recip. ſyrupi de ſucco boraginis, ſyrupi ſabor regis, ſy-rupi uiolati, ſyrupi de betonica. ana. Vnc. med. Aquarum boraginis, uiolarum, cicorii. ana. Vnc. I. miſce.

Octaua uero die capiat ſequentem medicinam, per ho-ram ante lucem.

Recip. Diaſenæ lenitiui. Vnc. med. ſpecierum ieræ ſim-plicis, drach. I. & med. Electuarii hamech. ſcropul. iiii. Elle-ctuarii ſucci roſarum, drach. I.

Diſſoluantur omnia cum decoctione comuni florum & fructuum, cum qua bulliant folliculorum ſenæ, polypodii quercini ana. drach. ii. & fiat potus.

Purgato corpore conſulo, ut per decem dies continuos mane ante prandium per tres horas capiat, drac. ii. ſequen-tis electuarii.

Recip. Electuarii noſtri precioſi. Vnc. VI.

Poſt quam purgationem etiam laudo, ut ter in ſeptima na in aurora capiat ſequentem potum.

Recip. Epithimi in pollinem redacti. drach. ii. diſſolua-tur in aqua diſtillationis boraginis, & fiat potus. &c.

Hæc purgatio ſit tempore autumni, & ſic debet proce-dere per totum tempus hybernum, capiendo omni men-ſe per decem dies cõtinuos electuarium dictum, cum po-tu præſcripto.

Aduentante uero ueris tempore, conſulo, ut à princi-pio eius præcedente lenitione uentris cum caſſia fiſtula, ſic. &c.

Recip. Floris caſsiæ nouiter tractæ, drachmas decem, fiat bolus cum zuccharo, & ipſum capiat per horam an-te prandium. Mittatur ſanguis primo ex ſaluatel-la ſiniſtræ manus, & hinc ad duos dies aperiantur hæ-morrhoides, extractione ſanguinis quattuor unciarum. & cet.

Deinde uerò rurſus digeratur materia ſequenti ſyrupo, eo continuato per ſeptem dies.

Recip. Syrupi de lupulis, ſyrupi de fumo terræ, ſyrupi uiolati, ſyrupi de epithimo. ana. Vnc. med. Aquarum bora ginis, betonicæ, uiolarum. ana. Vnc. I. miſce.

Octaua uerò die per horam ante lucem capiat ſequentem medicinam.

Recip. Decoctionis mirabulanorum indorum, boraginis, & ſenæ, & polypodii, Vnc. iiii. cum qua diſſolue confectionis hamech. drachm. iii. epithimi redacti in puluerem, drach. I. & med. & fiat potus.

Demum uerò per totum tempus ueris omnibus tribus diebus capiat de electuario noſtro præcioſo. drach. ii. & ſu per bibat hauſtum aquæ uiolatæ.

Per totum uerò tempus æſtatis læte uiuat, & iucundæ, & omnibus duobus diebus in aurora bibat ſequentem potum.

Recip. aquæ uiolatæ, aquæ boraginis. ana. Vnc. ii. Iulep uiolati. Vnc. I. miſce.

Aliis uerò diebus, quibus non capiet potum, ſumat ſequentis mixturæ. drach. ii.

Recip. Pliris ſarcoticon, diamuſci dulcis, ana. Vnc. iii. zucchari uiolati, diaboraginati. ana. Vnc. iiii. miſce, cum ſy rupo uiolato fiat mixtura.

Caueat à Balneis thermarum mineralium, & bibendo, & balneando, cum corpus exſiccent, & ſudorem prouo cent, & debet ſudorem cauere, & ubi moleſtaretur catarrho, tunc laudo Duciam dictorum balneorum, & cauteria in cruribus, aliter in caſu ſuo ea balnea blaſphemo, & cauteria. & cet.

FINIS.

AD ASTHMA,

Pro Liuia Nobili Puella,

Ad Ferrandum Tiencum Patrem Excellentem legum profeſſorem. Nobilem Vicentinum,

Conſilium XVII.

Operæprecium eſſe duxi Doctor excellens in affectu riuulos naturæ excedēte, atq; admodū periculoſiore Filiolæ Tuæ Dilectiſſimæ uerba facere. Et in primis eius temperaturā ignaris medicis ſenſu ipſo atque ſpeculatione notam efficere: Quem ſanè modum ſeruare debere nos edocuit Galenus libro primo, de diſpnæa, ad principium, & ſecundo de temperaturis, capite ſexto, & libro primo, ad Glauconem, capite primo, & octauo methodi curatiuæ, capite nono. Quem uſum latiori ſermone expleuit Auicenna quarta primi, capite primo At quoniam ob antiquatam iam affectionem filiæ tuæ naturalis temperaturæ indicia è luce ad tenebras prodiere, auctore Galeno nono, methodi curatiuæ, capite decimo quinto. Difficultatem naturalis temperaturæ indiciorum notioni adiungente non ab re mihi ſuadeo, quæ ſunt mente repoſta, prolixiori experimento, & ratione à me comperta, atque comprobata ſilentio præterire, ne uituperonum diſpunctorio, cuſpidatoq; cauterio, ac uenenoſo aculeo præcipitanter, & inacurate perfodiar, & diſpungar. Quippe iuſsit hoc Galenus primo, de diebus decretoriis non longè à fine, ubi ait. Porrò ſi nihil in ipſo certi præſagire poſsimus, ſatius eſt tacere quàm temere pronuntiātem falli. Quippe quoniam de eius temperaturis exquiſi-

tam habeo Doctrinam, ab his filiæ tuæ affectionis methodum curatiuam aperta ratione ſic conducam.

AEGRITVDO.

EXplorato itaque illius morbo, tuam cõperii filiã Aſthmatica diſpoſitione affici. Crebro.n. anhelitu, qualis currentibus accidit, aut quouis alio modo ad uehementẽ ductis motionem laborare eam, nullus ambigere poteſt, Aſthma enim id eſt, auctore Galeno tertio aphoriſmorũ, commento uigeſimo ſexto, & ſexto aphoriſmorum, commento quadrageſimo ſexto. Dicente, cum multæ ſint ſpirandi difficultates ſolam illam Hippocrates, aſthma cõſueuit nominare, in qua contingit ſatis anhelitum crebrum fieri, & in libro de diffinitionibus medicis, ubi ait. Aſthma eſt uehemens reſpirandi difficultas, & ſeptimo, de compo. med.s.l. capite tertio, dixit Galenus. Eos qui abſque quod febriant, reſpirant frequenter, ſicut qui currunt cito, conſueuerũt nominare medici aſthmaticos, & nihil huic quod à Galeno dicitur, noui iniunxit paulus ægeneta tertio, methodi medendi, capite uigeſimo nono, ubi ait. Eos, qui ſine febre crebra reſpiratione, tanquã à citatiore curſu afflictãtur, ab eo, qui comitatur, & præſto eſt confeſtim anhelitu, & ſuſpirio aſthmaticos nuncupant. Neque aliud attulit Auicenna decima, fen. tertii, tractatu primo, capite trigeſimo octauo, ubi ait, Aſthma eſt ægritudo pulmonis, cũ quã patiẽs quieſcẽs nõ inuenit excuſationẽ ab anhelitu frequẽti, ſicut eſt anhelitus, quo laborat præfocatus & feſtinatus.

Nempe, uir docte, non latuit te puellam tuam dilectam crebro anhelitu, & ſuſpirio, diu, ferè non intermittentibus laboraſſe, ut quales currentibus accidunt. Quæ ſi ad uehementem ducatur motionem, confeſtim frequenti anhelitu, & ſuſpirio, ut in præfocato afflictatur. Quippe cum ſupina cubat, ei deterius eſt, cum autem ſedet, uel erecta ſtat, eſt ei melius. Indicia enim ex genere Aſthmatis hæc ſunt. Auctore Galeno ſeptimo, de compo. med. s.l. capite tertio.

Neque

Neque curioſiorē a me expectabis ſermonem,quo diſtant aſthma,Orthopnoea,& dyſpnœa. Clare enim hoc compertum eſt,a Galeno quarto,de locis affectis,capite octauo,& primo libro,de dyſpnœa,capite primo,& ſecundo,& ſeptimo,de comp.med.s.l.capite tertio.Quippe ſi uſitato communiter nomine uti uelimus,cumq; tres huiuſcemodi affectiones ſpirandi difficultatem non fugiant,omnes Aſthmaticos id eſt difficiles anhelationes has affectiones dicere non dubitabimus, hoc namq; modo utitur Galenus,in libro de diffinitionibus medicis, ubi ait. Aſthma eſt uehemens reſpirandi difficultas,infertque dyſpnœam,putredinemq; &c.Quod ſi de uno quoque nomine coniectari uelimus proprie,puellam hanc aſthmaticam dicemus. Crebra enim anhelatione,qualis currentibus accidit, laborat. Dixit hoc Galenus ſexto aphoriſmorum, commento quadrageſimo ſexto.Quippe eam pati orthopnoeā uolumus, cum afficiatur eo quod dixit Galen.VII.de compo.med.s.l. cap.III.ſic & Paulus.Eoſdemq; propterea quod ſtrangulari formidantes,ad reſpirationē recta ceruice, rectoq; toto pectore nitūtur, orthopnicos dicūt.Cumq; dyſpnœæ nomē a nocumento reſpirationis dicatur,ſiue ſolā ſpiritus inſpirationē,ſiue & una expirationē promat,eandem uolumus puellā dyſpnœica affectiōe moleſtari, & hoc edocuit nos Galen. primo, de dyſpnœa,cap.I.At quoniam has oēs affectiones ad unum curationis caput,& eiſdem medicamentis conduxit Gale.VII.de comp.med.s.l.cap.III.& Paulus.III. meth.cura.cap.XXIX.& Auic.X.III.tractatu.I.cap.XXXVIII. igitur de nominum diſtantiis modicam habēdo ſollicitudinem,ut iuſſit Gal.I.Terrapeut.cap.VI.&.I.de locis affectis cap.IIII.ad id,quod noſtrum eſt,me transferam. &c.

CAVSAE, ET NOTAE.

QVoniam autē affectio tollitur ex abolitione cauſæ eius,auctore Galen.III.de locis affectis. cap.I.ubi ait. Atq; ablata re,quæ nocuit,protinus conquieſcit affectio,&

eiuſdem

eiuſdem mentis eſt Galenus, undecimo methodi curatiuæ non longè à principio, & ſecundo aphoriſmorum, commento uigeſimo ſecundo, & tertio artis medicinalis non longè à principio. Ob hæc igitur initium methodi curatiuæ, erit in abolitione cauſæ, qua Aſthmatica affectiõe puella hæc laborat. At quoniam ſermo Galeni eſt primo artis curatiuæ ad Glauconem, capite primo, ubi ait. Tunc enim optime morbum curabis, cum cauſam, & eius tempora cognoſces, & idem uidebis à Galeno ſecundo, methodi curatiuæ, capite quarto, & tertio libro prædictionum, commento trigeſimo nono, ob hoc affectionis huius aſthmaticæ exquiſitè cauſas uenari non denegabo.

Non itaque latet me præſentis affectionis, & alterius conſimilis cauſas adfuiſſe tres, procatharticam ſcilicet præcedentem, atque coniunctam, ut nos Galenus edocuit in libro de Diffinitionibus medicis, & in libro de cauſis morborum non longè à principio, & in libro artis medicinalis, capite octogeſimo octauo, & primo prædictionum, cõmento tertio. At quoniam procathartica cauſa euidens eſt & extrinſecus perturbans, ut Galenus his in locis dixit. Igitur huius affectus euidentem, & primariam cauſam, ut ex patientis confeſſo accepi adfuiſſe, iniunctum impedimentum ſolitæ ſpontaneæque euacuationi, fœdæ materiæ, quæ ex cuti illius puellæ capitis expurgari diu & affixe conſueuerat, medicamentis ab Empirico inacuratè adhibitis, cũ cutim capitis aſtringentibus, tum reuellentibus ad ſpirandi particulas, materiam ad contrarium ſponte expurgari aſſuetam, propterea & ſpirationis crebra difficultas illi ingeſta eſt impletis bronchiis pulmonis, quibus idonea pulmonis dilatatio facilè impeditur. Quippe hunc curationis modum Galenus ueluti noxium corpori noſtro dãnauit, primo aphoriſmorum, commento uigeſimo primo, ubi ait. Oportet itaque medicum naturæ motum animaduertere, & ſi quidem idoneus fuerit, ei conuenit admi

niculari

niculari. Si uerò contrarius, & noxius hunc prohibere. Quippe iam dixit,& eo ducere conuenit, ad quem locum ex conferentibus uergit. Sanè Medicus hic ignarus, cum opinatus fuerit morbum ſanitati conducere, humorem noxium mouit ad utilia loca, & maius ex illo damnum ſubſecutum eſt. Præcedens uerò cauſa affectionis aſthmaticæ filiolæ tuæ,ut arbitror eſt, pituitoſi humoris abundantia,uel in toto, uel in parte corporis, apta ad inſtrumenta ſpirationis condeſcendere,uel diſpoſitio, qua natura apta eſt illum concreare humorem,& à capite permaxime.Galenus enim huius præcedentis cauſæ ſermonem habuit in libro de cauſis morborum, ubi ait, eas igitur quæ in animali ipſo conſiſtunt,ſiuè affectus ſint, ſiue motiones præter naturam,cauſas nominant morbum præcedentes,& in libro artis medicinalis, capite octogeſimo octauo, ubi ait. Prohibetur ſublata ea diſpoſitione, quam ſequi natura apta eſt. Talis uerò diſpoſitio cauſa antecedens appellatur. Sanè & hæc antecedens cauſa à capite permaximè profluit,auctore Galeno tertio aphoriſmorum,commento uigeſimo ſexto, ubi ait. Aſthma ob anguſtiam eorum, quæ ſunt in pulmone uentriculorum accidit. Hæc uerò anguſtia fit repleto uiſcere ab iis,quæ deſuper ueniunt fluxionibus, & eodem libro; commento trigeſimo primo, dixit. Aſthma uerò, hoc eſt crebri anhelitus ex capite diſtillationibus ortum habent: Indicia autem huius præcedentis cauſæ ſunt ex puellæ ipſius aſſenſu confitentis ſe à morbo leuari percipere,cum à capite profluuio pituitoſæ materiæ non occupetur, quippe eo laborante, ſputaminibus ipſis, & mucorum excretionibus admodum releuatur. Atque huius indicium uigorem capit, cum ſenſu quiſque dignoſcat, turbecula in ſubmaxillis locis puellæ ipſius apparentia,pituitoſo humore impleta,tum nuper creari, tũ creata deliteſcere. Quippe indicium huius cauſæ certius quiſque ſumet,ſi opinetur procatharticam cauſam ortum habentem

habentem ex capite præparare,& adiuuare ad hanc præcedentem cauſam,iuxta illud Galeni in libro deffinitionum medicarum.Præcedens cauſa eſt, quæ à procathartica præparatur,& adiuuatur.

Coniuncta autem huius morbi cauſa eſt, quæ cum ſit præſens, confeſtim morbus eſt, cum uero deſinit, etiam morbus euaneſcit, uerba hæc ſunt Galeni in libro deffinitionum medicarũ.Quam ob rem Aſthmatis filiæ tuæ cauſa coniuncta eſt præſentia multæ pituitæ in uiis anhelitus, & maximè pulmonis,ut eſt ſermo Galeni tertio aphoriſmorum, commento uigeſimo ſecundo, & trigeſimo primo, & ſeptimo, de compo.med.s.l. capite tertio. Quippe non inflammatio,quoniam febre non laborat, & inflammationis membrorum ſpirandi inſeparabilis caſus eſt febris, auctore Galeno quinto, de locis affeſtis,capite ſecundo,& libro introductorii medicorum, capite decimo tertio. Nempe non ſiccitas ſubſtantiæ pulmonis, quoniam omnino ſputis priuata foret, auctore Auicenna decima tertii, tractatu primo, capite trigeſimo octauo. Sanè tamen non ab re foret flatum quendam huic morbo iungi, uelut concauſam comitantem illius eſſentiam, iudicare. Debili enim calore membrorum facultatis ſpirandi, plerumque pituitæ aqueum in flatum uertitur,ut docuit nos Galenus, quinto aphoriſmorum, ſeptuageſimo ſecundo, ubi ait. Fit autem hoc ſcilicet uenti generatio nonnunquã quidem ob debilitatem, & partium ad uentrem attinentium imbecillitatem,nonnunquàm uerò ex pituitoſo, & frigido humore. Ex his igitur in unum omne genus cauſæ redigendo ſermonem, dicam. Quoniam procathartica cauſa præcedentẽ præparat,& præcedens cum figitur morbus eſt, igitur affectionis huius aſthmaticæ puellæ,tres adeſſe cauſas arbitramur. Vna quidam procathartica. abolitio ſolitæ purgationis. Altera fluctio ab his, quæ deſuper ſunt ad membra anhelitus. Tertia uerò præſentia pituitoſæ

ſæ materiæ in membris facultatis ſpirandi, & permaxime, in bronchiis, uel uenis pulmonis, cui flatus conſocia cauſa adminiculatur.

Altius autem exordiendo, cum coniuncta cauſa ſit quãdoque uitio membri laborantis, quandoque uerò per conſenſum ab altero membro, id docente Galeno tertio aphoriſmorum, commento trigeſimo primo, non mentiar ſi dixerim puellam aſthmate laborare: Tũ uitio pulmonis, tum conſenſu particulæ tribuentis. Et hanc attulit ſententiam Galenus, eo in loco, ubi ait, aſthmata uerò, hoc eſt crebri anhelitus ex his deſtillationibus ortum habent, cum alioquin, & ipſa ſpirandi inſtrumenta non rarò habeant proprium ſui algoris principium, quando & in ipſis multæ, ac craſſæ ſuperfluitates generantur.

Sed rogabis me forſitan doctor excellens, ſi inſtrumẽta ſpirandi filiæ meæ, & permaximè pulmo, uitiantur abundantia pituitoſæ materiæ, quæ in his generatur, & iterum fluctione ad ea, ab his, quæ ſunt deſuper, quonammodo ea omnino a tuſsi abſoluitur. Quippe cum à tuſsi abſoluitur, & à materia tuſsim excitante in pulmone omnino abſoluetur. Igitur huius puellæ coniuncta aſthmatis cauſa, non erit præſentia pituitoſi humoris in bronchis pulmonis, & minus fluctio materiæ à capite ad pulmonis bronchios. Quippe ſatius te dicere autumo, coniunctam cauſam affectionis filiæ meæ eſſe ſiccitatem ſubſtantiæ pulmonis, quã non comitatur tuſsis. Huic dicerem interrogationi tuſsim non eſſe de caſibus inſeparabiliter comitantibus aſthma, aperuit autem iſtud Galenus, tertio aphoriſ. com. XXVI. & XXXI. & VI. aphoriſ. XLVI. ubi loquens de aſthmate in eius exiſtentia nullum de tuſsi ſermonem habuit.

Sanè igitur dicendum puto, multam pituitam in pulmone genitam. i. in uenis pulmonis crebrum anhelitũ cõcreare. Tuſsim aũt minimè. Quoniã plerũq; accidit materiam illam ad aſperas arterias non attingere, Quo in loco

Tuſsis excitatur, auctore Galeno, libro ſecundo, de cauſis ſymptomatum, & quinto de locis affectis, capite ſecundo. Erit igitur filia tua Aſthmatica ob craſſos, & uiſcoſos humores in uenis pulmonis genitos, ubi idonea pulmonis dilatatio impeditur, anhelituſque difficilis redditur, & nō tusſiculoſa, cum illorum humorum pars non perueniant ad aſperas arterias.

Sed iterum peteret doctrina tua, ſi fluctio humorum ab his, quæ ſunt deſuper ad pulmonem eſt præcedens cauſa aſthmatis filiæ meæ, utique ea ſine tusſi ſtare non poterit, cum fluctio huiuſcemodi aſperam permeat arteriam, dico quod non debet te latere humorem aſperam arteriam permeantem, non ideo tuſsim concreare quoniam permeat, ſed quoniam mordicat, quo fit, ut uirtus ſtimulo afficiatur, & motu tusſis, ad expellendum excitetur. Et hanc attulit ſententiam Auicenna fen. quinta tertii, tractatu primo, capite undecimo, non longe à uerbis Galeni quinto, de locis affectis, capite ſecundo. Confeſſo autem habui à laborante puella fluctuantem huiuſcemodi humorem nullum mordacitatis indicium obtinere, nedum punctiones aliquas in inſtrumentis ſpirationis, Quo fit, ut quiſque iudicet humorem eam afficientem per magis quantitate, & ſubſtantia, quàm ſuæ qualitatis acumine noxium eſſe. & cet.

PRAEDICTIONES.

PRæterea quæ iam à nobis lōga ſpeculatione dicta fuere, præſentaneum eſſe duco, uir excellens. Quippe neque deſiderio tuo alienum puto ſi affectionis terminum filiæ tuæ prædicere, bonum, aut malum exactè expedierim præſertim cum ſermo apud Galenum ſit libro primo, de ratione uictus acutorum, commento tertio, ex Hippocratis teſtimonio in præfatione libri prædictionum, prænotionem ipſam ad affectionum curationes admodum commodam eſſe. In primis igitur prædicam, Aſthma filiam

tuam

tuam perturbans,curationis admodum difficilis eſſe, atq; magno, celeriquc indigere auxilio . Quoniam autem diutino tempore puella eo afflictatur morbo , ei ueluti habitus factus eſt,& ſimpliciter morbus,cuius uehementi cum difficultate abolitio erit,auctore Galeno libro primo,artis medicinalis,& in libro ad bonas artes exhortatio, dixit Galenus . Siquidem habitus eſt affectio quædam ſtabilis , ac perpetua iterum quoniam fæmellis aſthma rarò accidit , relatu quidem ad uiros,huius teſtis eſt diuinus ille Meſue. Quiete enim humorum in fœminis hi ad particulas difficulter fluctuabunt . Quippe fluctuantibus iis ad membra anhelitus aiunt quidam,Quiete conſimili ab his eos difficile mouere contingit,Quibus non aſſentiens Meſue dixit & in fœmellis facilior eſt cura,quàm in maſculis,& tu conſidera. Iterum ni fallor dixit Galenus ſecundo aphoriſmorum, capite quadrageſimo.Aſthmata, tuſſes,recuruatiões, & quæcunque alia morborum genera ex frigidis humoribus ortum habent, quæ in quibuſdam iuuenibus nedum in ſenibus difficulter coquuntur.

Nempe te meminiſſe uelim eo in tempore,quo filia tua uehemẽtius aſthmate afflictatur,omnes eius thoracis partes conſiderare . Cum itaque inſpexeris omnes moueri ſimul,ut pectus una cum ſcapulis manifeſtè ſubleuetur, tũc coniectari poteris huiuſcemodi motionẽ una trium cauſarum effici neceſſe eſſe, aut uirium imbecillitate, aut uiarum ſpiritus anguſtia, aut uehementi in corde, & pulmone calore.Quod ſi uirium imbecillitate id affuerit , indicia hæc erunt.. Virtus inquàm omnes thoracis partes ſenſim mouet, ſed neque frequentem, neque raram omnino facit actionem : proinde non ita multum omnes thoracis partes dilatare poteſt.Hoc quoque accedit,quod ſpiritus calidus, aut feruens nequaquàm exufflando producitur, proinde nulla ab ore facta exufflatione ex ſolis naribus emitti ſolet . Quod ſi per inſpirationem in filia tua nariuni pinæ

contrahi uideantur, id præ aliis, efficax proſtrati roboris indicium autumnabis. Atque ſi his uniuerſim puella affliĉtatur proximam mortem timere oportet.

Si uero ob anguſtiam ſpiritalium inſtrumentorũ aſthma fieri contingat, indicia hæc erunt. Totus quidem thorax magna ex parte,& celeriter, & frequenter dilatatur, & eam tunc non omnino exufflãtem dignoſces. Quinimmo à me compertum eſt filiam tuam fortè neque totum attollere thoracem,at neq; calidum ſpiritum exufflando,neque frigidum emittere ſolet,quo fit,ut uires robuſtæ, & conſtãtes in ea permanere poſſunt. Vnde ſperandæ ſalutis à nobis non fugiat indicium.

At ſi & anguſtia,& calor una ſimul puellæ moleſta eſſent, comperies, quod neque maxima, neque frequentiſsima, neque etiam celerrima ſpiratio ſufficere poterit, ſed ipſa labore affecta ſurgere tentabit,ſentietque hoc pacto thoracem facilius dilatari,quippe ſi ita acciderit celerrimè ſuffocari poſſet. Totus hic præcedens ſermo eſt Galeni quarto, de locis affectis.capite octauo.

At ſanè,uir docte.Cum filiam tuam exquiſitè petierim nõ omnes thoracis partes,inordinato, & celeri motu unà ſimul moueri comperii, neque potioribus ſignis aſthmatis exitialis,quorum meminit Galenus quarto, de locis affectis,capite octauo,eam affici diiudico.Quippe Iouem adiuro ſi noſtræ artis præceptis obtemperabit, nedum futuram deuitabit peripneumoniam,at & phthiſim,in quas affectiones facile timuit Galenus quinto,de locis affectis capite ſecundo,& Auicenna decima tertii,tractatu primo,capite trigeſimo octauo. Aſthma diutinum permutari poſſe: ſed luce illius fulgente,qui noſtri corporis uires gubernat, indubitatam ſalutis ſpem proculdubio adipiſcetur. Neque ſentẽtiis eorum te horrere uelim, qui filiam tuam ſolis prognoſticis reliquerunt, quoniam ad pauca penſitãtes facilè enunciarũt,auctore Gal.i. prædictionũ libro. &c.

CVRATIO.

CVRATIO.

AFfectionis aſthmaticæ curationis ſcopus,auctore Galeno in libro de partibus artis medicatiuæ,ſumma ſecunda,capite ſecundo, & in libro experimentorum,capite ultimo,uno trium perficitur inſtrumentorum , uictus ratione.Medicamentorum potatione,atque manuum operatione.Alludit autem his Auicenna quarta fen.primi, capite . I . ubi ait. Res medicationis una trium rerum complectur.Diæta, medicinarū exhibitiōe, & manuali operatione.

Idcirco doctor excellens,filiæ tuæ Aſthmate laborantis curationem, omnium trium inſtrumentorum exercitatione exactè perficere conabor , ut noſtris medicamentis ſuperiori lumine adiutis,ea ad illam,quam iam habuit ſanitatem, cōducatur . At quoniam eorum omnium nobilius inſtrumentum uictus ratio cenſetur à Galeno,in libro experimentorum , capite ultimo , cui medicus in primis debet adhærere, auctore Galeno undecimo, methodi, capite quinto . Sanè igitur à uictus ratione curationis methodum, principium aggrediendo de aere primo ſermonem faciam.

DE AERE.

ADmodum enim ab aere nos ambiente corpus mutatur,ut uoluit Galenus tertio,artis medicinalis . commento decimo,& undecimo, & tertio, methodi curatiuæ, capite octauo,& nono,methodi non longe à fine , ubi ait. Ambiens uerò is eſt, ſine quo nec tolli morbus , nec teneri ſanitas poteſt.Et primo libro , de tuenda ſanitate non modicam expedit uim Galenus ipſius tuendæ ſanitatis in boni aeris electione.

Nempe igitur puella tua longè fugiat craſſum,& nebuloſum aerem,cluſumque,nullum recipientē perflatum, iuxta illud Galeni libro primo , de tuenda ſanitate . Nec qui ob ſtagnum , uel flumen uicinum nebuloſus eſt , nec qui editis undique montibus,in cauo loco cluſus, nullum

recipit perflatum, ſuffocans enim putriſque eſt. Proinde accurate locum domus ſibi conducat,in quo non ſit incluſus aer,perflatus defectum ſuſtinens, ob illud Galeni uerbum eodem libro ſimilis ei, qui in domibus quibuſdam eſt incluſus,in quibus ob putredinem,& perflatus defectũ plurimus aceruatur ſitus: Huiuſmodi enim aer omni plane ætati eſt noxius.Proinde quoque & fumo, uel puluere affectus aer prohibeatur: Cum enim membra ſpirationis intrat, ſpirandi facultatem tollit, ut uiarum ſpiritus clauſione, aſthmaticus ſuffocari uideatur: Atque aerem humidum ualde fugiat, qui & ſtagni,& paludis halitu eſt infectus, & qui ex cloacis malam ſpirat auram: Et qui ex animalium, & olerum, aut leguminum putredine uitium contraxit,aut fimo coinquinatur, ſumma cum diligentia euitandus eſt aer,pulmones etenim lædit,& ſpirandi facultatem opprimit, auctore Galeno libro primo, de tuenda ſanitate.

Sane igitur purum aerem & clarum ſibi conducat,atq; ſubtilem,ne impuritate,& craſsitie ſpirandi uires obnubilet, auctore Galeno eodem in libro dicente.

Idem de aere iudicandum,quem optimum in pulmones trahere,omnibus ſalubre eſt, optimum aerem cenſeo, qui prorſus ſit purus.

Quippe calidus ſit,& ſiccus,non admodum quidem, edocuit enim nos Galenus, quinto aphoriſmorum, commento uigeſimo quarto, frigidum partibus thoracis inimiciſsimum eſſe,& ex capite diſtillationibus thoracem offendit,atque pulmonem. Non ab re igitur iuberem moderato calido caput ſuum munire,atque thoracem. Cum dixerit Galenus,quinto aphoriſmorum, commento uigeſimo ſecundo. Calor uero extrinſecus facit hæc omnia,quæ dicta ſunt, & in capitis diſpoſitionibus facit hæc eadem, id eſt capitis grauitates ſanat, concoquens, atque diſſoluens quæcunque moleſtant, & non ſit aer ultimo ſiccus.

Aſthmatis

Aſthmatis enim prohibet curationem, auctore Galeno ſeptimo, de compo. med. s. l. capite tertio. Eius inquàm curatio eſt ſputi facilitas, quæ ab immoderato ſicco abolitur. Nempe igitur ſi natura aer calidus, ſiccuſque defecerit eo in loco, quo puella morám trahit, aut hybernum adfuerit tempus, leuibus aromatum ſuffitibus utatur, dum capitis grauitas puellæ moleſta non fuerit dicente Galeno primo aphoriſmorum, commento uigeſimo octauo, illius aphoriſmi. Suffitus aromatum muliebria ducit &c. Quod uerò omnia aromata natura apta ſint facere capitis grauitates, & experientia oſtendit, & ratio docet, &c. Conſiderabis quod à me dicitur leuibus ſuffitibus, quippe cum aer multo affectus fumo Aſthmaticis noxius ſit, à fortibus cauendum eſt aromatum ſuffitibus, namque ſi ei nocuum erit, quod de fumo ab aromatibus exit. Sola aromatum præſentia in loco manſionis ſuæ contenta ſit, ut quod de odore ab aromatibus expirat, quæ ſua ui aperiunt uaſorum obſerata extrema, & humorum craſsitudinem extenuant, & omnibus frigidis & humidis diſpoſitionibus corporis proſunt, auctore Galeno eodem in loco. At aromata hæc ſunt, cinnamomum, gariophyllorum, Macis: ambra: lignum aloes: cortices citrii, arantiæ, & huiuſcemodi. Quod ſi eidem pergratum fuerit clarum ignem inſpicere, & permaximè hyberno tẽpore, ſit ex lignis roriſmarini, iuniperi, lauri, quippe ſi ex ligno terebinthi, & ſeu terebentinam concreante, uel ex illo, quod uſitato uocabulo lignum laricis appellitant, ignis exacendatur, proficuus admodum hic erit ignis, quoniam ſui natura aptus eſt membra thoracis, & anhelitus ad rectitudinem naturæ conducere, auctore Auicenna ſecundo canone, capite. CCCX.

DE PANE.

PAnis electionem ſic habeto. Porrò ſi uerbum Galeni primo, de alimentorum facultatibus inſpexerimus, ca

pite

pite ſecundo, illius panis confectio ex ſolo tritico habeatur. Ipſum enim nedum apud omnes nationes frequentiſſime, immo ſumma cum utilitate uſurpatur, auctore Galeno ut ſupra. Longe igitur fugiat panem ex hordeo confectum, Quoniam aſthmaticus affectus, cum calido aperiente, & ſpirandi facultatem facilem reddente, tum pituitoſum ad intra bronchios pulmonis humorem obſerantem facile ſoluente, eget, hoc ſane compertum eſt denegari ab hordeo, primo de facultatibus alimentorum, capite ſexto, dum dixit Galenus uerbum hoc, nulla igitur apparandi ratione hordeum unquã calefacit, ſed uariè pro modo præparationis nunc humectat, nunc deſiccat. Quippe ſi ex hordeis panis noxius ſit, indubitanter ex aliis granis panis cõfectus, denegabitur, ſoli enim tritico ex granis natura calida, temperies uerò in humiditate, & ſiccitate debetur. Quã ob rem exigua mole corpus ualentiſsime nutrit, auctore Galeno in libro alimentorum, capite ſecundo, & Auicenna ſecundo canone, capite. CCL. ubi dixit, frumentum corporis magis eſt nutritiuum, omnibus granis. Quippe cum minus flatuoſus ſit triticeus panis, atque ipſius alui excrementa minus eiiciat, ut Galenus eodem in loco. Quod ſane aſthmaticis permaxime opitulatur igitur & ipſis triticeum panem conuenire dicimus, ex aliis confectum granis denegantes. Ex triticeis namque panibus puellæ tuæ peridoneus eſt ille, qui ex tritici ſimila cõditus eſt, ſinceriſſimus enim panis eſt, naturalia non grauitans: non flatuoſus, neque deorſum aluum implens, & peroptime nutriens, auctore Galeno ut ſupra. Et Auicenna, ubi his uerbis ait ſecundo canone. capite. DLXXIII. Et panis de ſimila eſt melior eo, qui eſt de farina, atque paululum poſt ait. Panis de ſimila magis nutrit, quàm alius & eius nutrimentum eſt melius.

Sitque panis non admodum fermentatus, ſui enim ſuperfluente aciditate membris ſpirandi noxius eſt, Quippe

neque omninò fermento careat ob id Galeni uerbum primo, de potentiis alimentorum capite ſecundo. At qui omnino fermento caret, nemini prorſus erit accommodus. Quòd ſi à medio fermẽtationis exierit, minus ſanè nocuus aſthmaticis erit, ſi plus fermenti illius confectio obtinuerit, auctore Auicenna ſecundo canone, capite. CCLXXXV. ubi ait. Et in eo eſt uirtus refrigerans propter ſuum acorẽ attrahentem materias profundas ad exteriora corporis, & reſoluit, hoc inquam aſthmatico peridoneum eſt.

Panis namque quo comunĩ utitur eſu non plurimum ſalitus ſit, ſanè quidem ſalitus ſit, ob id Auicennæ dictum ſecundo canone, capite. CCCCCCXXIIII. & reliquæ ſpecies ſalis incidunt phlegma uiſcoſum in pectore, non admodum ſaliatur. Porrò cum id de humido, quod exſiccatione meretur, exſiccatum fuerit, quod demum remanet confeſtim unit, atque fortius comprimit, auctore Auicenna eodem in loco.

Sitque eius panis non admodum coctus, ut qui cruda, incoctaque interiora habeat, ambuſta uerò, obarida, & cruſtacea exteriora. Ignis enim uis in totum panem nequit penetrare, ideoque illum non percoquit ſed crudiorem relinquit, maximèque intimas partes. Is enim deterrimus panis cenſendus eſt, & uentriculo inimicus, qui in cruſtaceis admodum aduritur, in intimis uerò incoctus relinquitur, auctore Galeno primo alimentorum ſecundo.

Sit panis recens trium dierum. Sanè quidem calidus nõ edatur, propter illud Auicennæ. ii. canone, cap. DLXXIII. Panis enim calidus non eſt apud naturam receptibilis, ſitim facit & natat propter ſuam uaporoſam humiditatem. Nocuus igitur aſthmaticis eſt.

DE VINO.

CVm autẽ ſit omnis exceſſus fugiendus, maxime hunc fugere expedit, ex quo nõ corpori modo, uerum etiã

animo damnum accedit. Quippe cum filiolæ tuæ corpori, & animo uini potus damnum ingerat, nedum hauſtum guſtare ſuaſerim, uerum & omnem uini potionem denegarem, eius namque corpori noxium eſt uinum, cum ipſa calidæ, & humidæ ſit temperaturæ. Vino quidem ab ea potato humectante atque calefaciente, exceſſus corpori noxius conducetur. Is autem fugiendus eſt, auctore Galeno, primo de tuenda ſanitate, & in libro exhortatio ad bonas artes. Quippe cum repleri eius caput ſit inutile. Vinum autem halitu caput replet, idcirco uinum illi nocuum erit. Porrò cum capitis conſenſu aſthmate puella hæc afficiatur, Quippe cum uirtus noſtrum corpus gubernans, aſthma ſiccando ipſum regat, Vinum autem humectatiuum admodum ſit, ut Galenus primo, de tuenda ſanitate dixit. Igitur illi uinum denegandum ſuadeo. Propterea, Doctor Excellens, non ab re mihi perſuadeo filiæ tuæ potum peridoneum eſſe debere, ex hydromelite potum coctionis hyſſopi calefacientis, & exſiccantis, auctore Galeno, octauo ſimplicium pharmacorum, capite. CLII. hæc inquàm forma curationis eſt aſthmatis, ut dixit Galenus ſeptimo, de compo. med. s. l. capite tertio. Quod ſi puellæ conſuetudine, uel inordinata illius appetentia, uel uiolento medicorum irritatu ad uini cogaris potum tribuẽdum, uina nigra illi minime dato. Sane aſthmatis correctio, tum ſcreatum facilè ducentibus, tum pulmonis uias eget dilatantibus, hoc autem à uino nigro amouens Galenus, de albo apertè ſenſit, quinto de locis affectis, capite quinto, ubi ait, ſi uerò ſiti cruciaretur ex uino madido, & quidem albo, atque modicè aſtringente. Porrò igitur eius uinum album ſit, imbecillium uirium, ut caput minimè percutere ualeat, ait enim Galenus eodem in loco. Nam huiuſmodi uinum ut uentriculum robuſtum efficit, ita haudquaquàm tentat caput, id quod facere ſolent ea, quæ uehementes uires obtinent. &c.

Neque

Neque eidem uinum craſſum, atque ponticum, & acetoſum exhibeto, iuxta illud Galeni, in libro de ſubtiliante diæta, ubi ait. Et his id eſt cæteris uinis magis euidenter inutilia ſunt in thoracis, & pulmonis affectionibus, Quæcun que uina pontica ſunt.

Nequaquàm porrò ei uinum nigrum, dulce, & a uſterũ, at minus turbidum uinum, & nouum dato. Hæc namque craſsitie ſua pulmonis uias obſerantia libere anhelandi facultati noxia ſunt, dicente Galeno in libro de ratione uictus attenuante. Nigrum uinum, ſimul dulce, & auſterum inutile eſt eis, quæ ſecundum thoracem, & pulmonem affe ctionibus chronicis.

Cæterum ſi potionis dandæ indicium, ab eo quod de pi tuita, craſſum, & hærens pulmonis bronchios obſeran s ac cipitur, non ab re ſuaderem ei potandum dari, uinum tenue album mediocriter dulce, atq; odoriferum, eius enim eſt uis concoctrix crudi, & glutinoſi in corpore conſi ſtentis humoris, auctore Galen. quarto, de tuenda ſanitate, ubi ait. Nec tamen à uino eum abſtinemus, concoquit enim & id ſemicrudos humores, quantum aliud quid uis. Et idem in de tuenda ſanitate quarto, dixit, Quod ſi crudos iam ſuc cos ſatis attenuatos ſperas, uinum dabis, quod & ſubſtantia ſit tenue, & colore fuluum, albumùe, hoc & ad ſucci bonitatem, & concoctionem facit. Quippe dixit Galenus, in libro de cibis boni, & mali ſucci uerbum hoc. Eamque ob cauſam, qui indigent refectione, ut dulce uinum potẽt, ſuadendi ſunt: ac tum præcipuè, cum horum iecur, lienq;, & renes uitio carent, ut indubie Galenus, uinum dulce innoxium thoraci, & pulmoni aſſeueret. Et hoc ſanè in libro de ratione uictus attenuante, Galenus his aſſequitur uerbis. Quæcunque ſecundum thoracem, & pulmonem ſine febre affectiones ſunt chronicæ, iuuantur à uinis mediæ cõ ſiſtentiæ dulcibus, & lucidis, Apertius autem Galenus in aſthmate, & orthopnæa iuſsit uinum non modo dandum

uerum & multa potatum quantitate,ait ſeptimo,de compo.med.s.l.capite tertio,uini ſubtilis potatio multa eſſe debet his, quibus pulmonis bronchia uiſcoſis, atque craſsis obſerata ſunt humoribus.

Verum ſi uini potionis indicia in aſthmate,uel orthopnæa ortum trahant,ab eo,qui ſui fluxione catarrho ad thoracem,& pulmonem præcipitanter ruat,dubio procul huiuſcemodi uini,& cuiuſuis alterius potum,à Galeno negatum fore. Compertum eſt in libro de cibis boni, & mali ſucci. Quippe dixit Galenus eodem in loco,quod de puella tua dicendum cenſeo.His ergo.qui natura,aut ætate calido admodum ſunt temperamento, aquæ potus longè accomodatior uino.Hanc ob rem filiam tuam admoneo, ut uini potum è comuni uſu à ſe elonget.Mulſam autem coctam ei dato, plerumque his ei iunctis, quæ in bronchiis pulmonis humores crudos,ac tenaces incidunt,attenuant, concoquuntque. Quippe & eadem capiti innoxia erunt. Qualia ſunt cinnamomum,ſemen fœniculi,ſiſimbrium,calamentum,hyſſopus,ſaluia,& ſimilia.

Potum igitur talem facito. Aquam lucidam non ſtantē ponderis ſex,lib.accipito, cui mellis albi uncias quattuor, & cinnamomi electi,drachmas duas,& hyſſopi,drachmas tres aponito, ebulitionem illius exprimito quo ad totius commixti quartum ſolutum ſit,reliquumque potui ſeruato.Peridoneus enim hic potus eſt,ſanè innoxius capiti cō coctionem celerem eorum facit, quæ in thorace,& pulmone crudorum humorum adſunt, facilem reddit ſcreatum. Quippe abſtergendo pulmonis uias,ab his mundat, quæ craſsitudine ipſius uaſa obſtruebant. &c.

DE CARNIBVS.

QVod peridonee penſitatum eſt Doctor Excellens à magiſtris noſtris antiquioribus, ſæpius ad tui memoriam reuocari uelim. Puellam tuam aſthmatica diſpoſitione affectam, in conſueta eduliorum aſſumptione

eorum

eorũ parſimoniæ attendere,ut circa carnis,adipiſq; cremẽtum ſolicita minime ſit.Hoc ſanè ſpirandi facultatem lacerat,ob multum enim alimentum uentriculo cõceſſum,ſuperius pulſo ad ſpirationis inſtrumenta compreſſa,difficilem reddit anhelitũ, Porrò hanc ob cauſam flatuoſa quæcunq; edulia ei noxia ſunt,ut poſt dicemus. &c.

Vetuſtorum itaque pedeſtrium animantium carnes debet cauere,ut bubula caro, auctore Gale.iii. de facultatibus alimentorum,capi.I. ubi ait, Bubula uerò alimentum ipſa quoq; non exiguum,nec diſcuſſu leue præſtat. Sed ſanguinem craſsiorem,quã par eſt progignit.Quæcunque igitur peditantia animalia temporis uetuſtate terrei alimenti naturam ſibi conceſſerint,non optimi ſanguinis,ſed fœculenti, facultatique ſpirandi noxii facile procreantia ſunt,quales etiám ſunt ceruorum carnes, & capreolorum, caprarũ, arietumque, & uetuſtorum caſtratorum , auctore Galeno tertio de potentiis alimentorum,aſſeueret autem quod ſibi libuerit Auicenna de cerui,atque capreoli carne.

Nempe quod experientia nos edocet , id admodum ſequi oportere opinor. Dixit enim Galenus decimo ſimplicium medicamentorum, capite ſecundo, ſolam experientiam fidem facere , compertum autem experimento iám eſt,ſuillam carnem uentriculum grauando, craſſum progignere alimentum,& ſui natura non facile concoqui,auctore Galeno ſeptimo,methodi curatiuæ,capite ſexto. Quam ob rem ſuillæ carnis quamlibet adminiſtrationem filiam tuam ut aufugiat ſanè laudo , cum humoris geniti craſsitie,atque adhærente uiſcoſitate crebrum,& difficilem efficiat anhelitum.Quidquid de ſuilla carne decantauerit Galenus libro tertio,de facultatibus alimentorum,capite primo,& in libro de cibis boni,& mali ſucci,& decimo ſimplicium medicamentorum,capite ſecundo.

Tibi ex his ſuadeo ex communi uſu carnes filiæ tuæ, quantitate minutas, ne earum adaucta quantitate uentriculum

triculum extendente pulſo ſepto tranſuerſo ſpirationis facultas grauitetur. Sintque facilis concoctionis carnes, & peroptimi alimenti,non admodum humido affecti, Sanè quæ non facilem concoctionem apud uentriculum tenēt, naturali facultate imbecilli facta, flatuoſam humiditatem gignente,ſeptum tranſuerſum pellētem,difficiliorem reddunt anhelitum,auctore Galeno ſecundo, facultatum naturalium.Quippe ſi abundantis humiditatis carnes alimētum procrearent,ſanè pulmonis uaſa ab ea magis obſerata aſthmatis crementum propinarent. Sint itaque carnes, ut pulli gallinarum,faſianorum,perdicum,turturum, atq; columborum,iuuenum cuniculorum,leporum,& caro hædina, parumque uitulina ei nō denegabitur. Quippe agninam carnem non ſequetur, noxia ſane eſt ei, ob id quod humidiorem alimoniam quàm par eſt progignit.Quò fit, ut pulmonis humidum obſerans foueatur,& ſpirandi difficultas augeatur.Horum omnium, auctor eſt Galenus tertio alimentorum primo,& libro de cibis boni,& mali ſucci. Porrò ex condimento huiuſcemodi carnes elixas,ſaniuſque toſtas comuni eſu ſequatur.Toſta enim, atque frixa admodum adſtringentia ſunt noxia facili anhelitui. Porrò ſi huiuſcemodi carnes iunctis his, quæ crudos, & tenaces humores attenuant, incidunt,& concoquūt elixatione conducantur.Qualia ſunt, cinnamomum, gariophyllum, hyſſopus, calamentum,helenium, & ſimilia, præſtantius, & celerius in ratione uictus illius iuuamentum apparebit. Quippe non te lateat edulia quæcunque cuiuſuis generis ſint prædictis aromatum uiribus parare,ſi ex ratiōe uictus filiæ tuæ ſanitatem propinare autumabis. Nempe te certiorem reddo,ſi crebra aſſuetudine filia tua, edulium mox dicendum paret,edatque admodum ſanitati ſuæ commodum præſtabit.

Pulmonem uulpis recenter euiſceratæ accipito,ipſumq; uino albo aromatico ter abluito,& in aqua lucida peridoneæ

neæ quantitatis in uaſe ponito,cui hyſſopi drachmas duas calamenti drachmam unam,fuſtorum cinnamomi drachmam unam apponito,& uſque ad completam coctionem ebulire ſinito.Demum uero iuſculum colato, & uitellum oui recentis ſolutum adhibeto, inciſoque per fruſtra uulpis pulmone eidem iuſculo immittito,ipſumque una ebulitione ebulire ſinito. Poſtremo uero ipſum cum zucchаro eſui commendato.

Non ab re tibi ſuadere uelim carnes cuiuſuis generis, quas uſitato eſu filia tua deuorat extenuatas eſſe debere, atque pinguedine nudas, pinguedo namque humida quæpiam res eſt, admodum ſimilis oleo, uetuſtate incraſſato, auctore Galeno tertio libro, de facultatibus alimentorum capite decimo.Hoc ſane noxium thoraci, atque uentriculi oſculo,& halitu malo caput tentat.

Verum uir docte, eorum animantium,quæ uolatu fidunt,carnes ob facilem concoctionem, atque leuiſsimi alimenti, & peroptimi præſtantiam, præcipuam laudem in hac affectione mærentur, auctore Galeno tertio,de potentiis alimentorum,capite decimo octauo. Qualia utique ſunt, perdices, columbæ permagis ſylueſtres, ſane natura ſicciores ſunt,atque aſthmati utiliores, gallorum gallinaceorum,atque gallinarum carnes,Turdorum, turturis, faſiani,Quippe,ut plura uno pronuntiem uerbo,& quorum omnium uictus,atque habitatio in pratis,agris & nemoribus reperitur,admodum iuuantes ſunt.

Nolo tamen te latere huiuſcemodi animantia condimento aſſa, poſſe aſthmati conuenire, quippe capto indicio a morbi cauſa, ſicciora enim ſunt aſſa, quàm in aqua dulci elixa,auctore Ariſtotile quarto,metheororum.Et Galeno tertio,facultatum alimentorum, capite decimo octauo, Aſthmatis autem correctio ex natura ſiccis perfectionem capit, ut dixit Galenus ſeptimo, de compo. med.s.l. capite tertio.Verum cum adſtringentia ſint ſicca admodũ,

facultati

facultati ſpirationis noxia, ut Galenus eodem in loco. Soleo in huiuſcemodi affectionis methodo curatiuæ, in aqua dulci elixis per magis, atque fidentius uti. Præcipue ſi aromatum uirtus condimento elixa gubernet, ut iam dictum eſt, Nempe elixationis humidum facilem reddit ſcreatum. Aromatū uero uiribus, affectionis cauſam tollimus. Quippe aſthmatis curatio nullum horum ſpernit, auctore Galeno eodem in loco.

Porrò ſi animantium, quæ uolatu magis nituntur ab ætate rationem uictus affectionis aſthmaticæ conſpicaberis, nuperrimè nata ei noxia comperies ob id Galeni uerbum tertio alimentorum, decimo octauo, & in libro de cibis boni, & mali ſucci. Noxia uerò eſt admodum nouellorum caro, mucoſa enim, & excrementis plena, at leuius per aluum ducens, igitur excrementorum plenitate humiditatum copiam ad ſpiritalia conducit. Hoc ſane noxium ſpirandi facultati, ob id uerò, quod facilem aluum reddit, aſthmaticis non innocua eſt, quibus ad ſuperiora deiectio ex ſcreatu congruit ob id Hippocratis, & galeni quarto aphoriſmorum, commento decimo octauo, ſupra præcordia, dolores purgatione indigere per ſuperiora ſignificant.

Quæ uerò iam ætate declinant uolatilia, ſi eam, quam petit concoctionem aſthmatica hæc affectio ſpeculaberis, ea ſanè non conuenire autumabis. Etenim horum dura ſicca, atque mucoſa eſt caro, ideoque & concoqui contumacior, auctore Galeno libro tertio, de potentiis alimentorū capite decimo octauo, at quoniam coniectari oportet affectionis illius cauſam, calfaciētibus, & exſiccantibus egere, quorum natura ſunt, quæ nitro participant, ut ſenſit Galenus ſeptimo, de compo. med. s. l. tertio non ab re ſuadeo animantium uolitantium quorumdam carnem peridoneā eſſe, Qualia ſunt galli, capones, faſiani, & ſimilia ad magis ueterem ætatem conducta.

Parare igitur caponem ætate declinantem iunctis his, quæ

quæ aſthmati peridonea ſunt, præſtantius concipies iuuamentum. Euiſceratum igitur uetuſtum accipito caponem atque uino albo odore redolente lauato, ſalitoque, ipſius uentri, hyſſopum, ſaluiam, cinnamomum, & crocum, apponito, & in dulci, atque perlucida aqua decoquito, & cum eſu carnium iuſculum bibito.

Propterea cum animalium carnes aſthmati idoneæ, & ſiccæ, & excrementis uacuæ ſunt, tibi ſuadeo cauere, quæ in ſtagnis animalia, aut paluſtribus, atque lacuſtribus degunt qualia anſeres, anates & ſimilia, dicente Galeno, in libro de cibis boni & mali ſucci, præterea aues ut ita dicam, omnes boni ſucci cenſentur, exceptis lacuſtribus, paluſtribus, & quæ in immundis fluminibus, ac turbidis degunt. Caro enim animantium, quæ uiuunt in aquis eiuſmodi deterrima eſt. Poſtremo igitur te ad memoriam reuocare uelim, ea quæ in montibus animãtia, aut ſiccis locis degunt, quorum carnes ſiccæ & excrementis uacuæ, ac concoctu faciles filiæ tuæ aſthmaticæ, peridoneæ ſunt. Quæ uerò eorum humidæ, & excrementitiæ carnes concoctuque difficiles, nocuæ, auctore Galeno tertio, de facultatibus alimentorũ, capite decimo octauo.

DE PISCIBVS.

CVm apud Galenum ſexto, de uſu partiũ capite nono, compertum ſit, omnibus animantibus piſces frigidiores eſſe, naturaque humido abundantes. Quippe uictus ratio hoc in aſthmaticis non admittit, ut & idem ſenſit Galenus ſeptimo, de compo. med. s. l. cap. iii. non ab re à tota rei natura filiæ tuæ piſces non cõcedimus, illos ſanè maximè, qui in cænoſis, & ſordidis aquis ueſcuntur.

Porro & qui in paludibus, & lacubus capiuntur, excrementitia namque & mucoſa eſt admodum eorũ omnium caro, auctore Gale. iii. de potentiis alimẽtorum. cap. XXIIII. Excrementitiam autem carnem dixit Galenus. iii. facultatum alimentorum, capite. XXXX. Quæ pituitoſam humi-

ditatem in ſe reſperſam continet, admodum ſane aſthmaticis nocuam, fluuialium namque piſcium caro, non adeo ei noxia eſt, & tanto minus, quanto fluminis aqua rapida, & multiflua eſt, ut ipſius torrentis fluxu piſces admodum fatigentur, quo fit, ut eorum caro minus excrementitia, atque mucoſa reddatur, aſthmatis minus nocua. Omnium uero piſcium caro optima eſt, qui in puro natant mari, maxime cum uentorum difflatu agitatum attollitur, auctore Galeno tertio, facultatis alimẽtorum, uigeſimo quarto, ubi ſermonem ſuum ſequens ait. In ſilente namque mari, nulliſque agitato fluctibus, tanto piſcium caro uilior eſt quanto minus exercitata. Quam ob rem quanto piſcium carnes exercitio minus mucoſæ, & excrementitiæ redduntur, tanto plus aſthmaticis peridoneæ ſunt, qui igitur in ſtagnis ueſcuntur piſces mali ſunt, & inſalubres, magiſque aſthmaticum lædunt. Qui uero ſaxatiles appellantur piſces non admodum aſthmaticis noxii ſunt, ob id quod minus excrementitiæ, atque mucoſæ ſunt eorum carnes. Quippe de his, qui in ſaxoſis aquis piſcibus ueſcuntur loquens Galenus tertio facultatis alimentorum, capite uigeſimo ſeptimo, ait. Eorum porro alimonia non modo concoctu facilis eſt, uerum etiam hominum corporibus ſaluberrima, ut quæ mediæ conſtitutionis ſanguinem procreet. Medium autem uoco ſanguinem, qui neque tenuis eſt, neque aquoſus, neque impendio craſſus & ideo aſthmaticis peridoneus.

Nempe uir docte, ſi puellæ tuæ ad ſtrictus, cogaris piſces minus nocuos cõcedere, te ad memoriam reuocare uelim ut eos pares his, quæ permaxime aſthmaticis opitulantur, ſaluia, hyſſopo, menta, croco, cinnamomo, gariophyllis, & ſimilibus, eoſque elixos, aut craticula decoctos, aut toſtos, nulla namque adminiſtratione in patellis frixos, concedere audeto.

Porro non te latere uelim ſalitos ei non admittere pi-

ſces.

ſces.Si dicto Galeni ſecundo,de compo. med.s.l. capite decimo octauo, fidem adhibebis, ubi ait ſal moleſtum eſt, propter grauedinem,& maxime in capite,at ſi uerbum Galeni ſeruabis tertio,de potentiis alimentorum capite quadrageſimo, non admodum errore culpaberis, ſi eidem ſalitos piſces,eſu moderato conſenties,ubi ait.Salis namque facultas,uti in opere de ſimplicibus medicamentis demõſtrauimus, compoſita eſt nimirum ſimul diſcutiens, incidenſque corporis,cui applicatur, ſuperfluas humiditates, & corpus ipſum in ſe colligens,ac cogens.Quod ſi non admodum duræ carnis piſces,& neruoſæ,& membranoſæ,corioque ſimilis,eſu dabis.Craſſos,ac glutinoſos ſuccos attenuabis,auctore Galeno eodem in loco.Hoc autem aſthmaticis idoneum eſt,ut Galenus ſenſit ſeptimo,de cõpo.med. s.l. capite tertio,quales ſunt ſardæ ſalitæ, ut Galenus dixit tertio alimentorum, capite quadrageſimo, ob hanc rem forte non admiratur meſue aſthmaticis oua Tarachi,quas populari uocabulo Botargas appellitant, audacter tribuere. & cet.

DE OVIS.

QVæ ab animantibus oua naſcuntur,à Galeno tertio facultatis alimentorum,capite uigeſimo primo, inter hominum numerantur alimenta,quorum ſummam, alitionis laudem gallinarum oua, demum faſianorum obtinuere.Porrò cum albuminis uis adſtringens ſit, quod admodum aſthmaticum incommodat,puellam tuá ſolo oui uitello accommodatam fore nõ ambigam, Nam ſpirandi facultati peridoneus eſt oui uitellus, auctore Auicenna ſecundo canone, capite.DXXVIII. ubi ait & ſtricturæ anhelitus confert ouum,proprie,cum ſorbetur eius uitellus tepidus.

Sint quidem oua recentia,& non diu aſſeruata,hæc ſanè recentia facili obediunt concoctioni. Diu uerò aſſeruata, nedum concoctioni pertinacia ſunt, ſed prauorum progi-

gnentia ſuccorum, ob quam rem dixit Galenus tertio, potentiæ alimentorum libro, capite uigeſimo primo, uerbũ hoc. Recentium porrò ouorum ad uetera non mediocris eſt differentia, quippe optima ſunt recentisſima, peſsima perquandiu aſſeruata.

Non ſint oua, quæ ei ad edendum largimur, cocta, ſeu dura, ob id Galeni uerbum eodem in loco, cum ait, cocta, ſeu dura difficilis ſunt coctionis, & tardi trãſitus craſſamq; alimoniam corpori exhibent. Quæ ſanè ſpirationis difficilis cauſam, ad crementum ducũt. Porrò ſint tremula, atq; ſorbilia, quæ ei concedimus oua, auctore Galeno tertio alimentorum, capite uigeſimo primo, ubi ait, tremula, mollia ue omnium bellisſime nutriunt, ſorbilia minus id præſtant, ſed expeditius deſcendunt, ac gutturis ſcabritiem leuigant.

Nempe in aqua decocta ſint, quæ acceperit oua, ob id quod in feruentibus cineribus aſſata longe tardioris ſunt tranſitus, & craſsioris ſucci. Quippe quæ in ſartagine oua condimento parantur, longius diſtent à comuni uſu filiæ tuæ, ob id uerbum Galeni eodem in loco. Quæ uerò in ſartagine ad craſsitiem, uſque friguntur, deterrimi omnino ſunt alimenti, dum namque concoquuntur nidorem ac fumum edunt, ſuccuſque ex his prognatus, non ſolum craſſus, uerum etiam, prauus, & excrementitius eſt, Qui quantum aſthmati noxius ſit, non te latere debet. Porro cum aliis coagulatis eduliis uti ouis nequaquã iubeo. Nempe cum his cocta, ſeu dura ducũtur prauorum gignentia ſuccorum, & facultati ſpirandi noxia, auctore Auicenna ſecũdo canone, capite. DXXVIII. ubi ait, & melius eorum artificium eſt, ut non cum alio coagulentur. &c.

DE LACTE, CASEO, ET BVTYRO.

LAc numerandum eſſe inter cibos, qui ab animalibus proficiſcuntur, compertum eſt à Galeno libro tertio, de

de facultatibus alimentorum, capite decimo quarto,& in libro de cibis boni & mali ſucci.Quippe lac optimum omnium rerum,quas cibi cauſa capimus optimi eſt ſucci,optimum namque dixit Galenus ob id,ut uitioſum lac,nedũ tantum abeſt,ut ad ſucci probitatem conducat, ſed ut malo etiam ſucco utentium corpora impleat, ob quam rem uictus ratione ducti, optimum lac filiæ tuæ admittimus, porro recenter emulctum. Cum enim ſimul emulctum eſt,natiuæ bonitatis nihil amittit,ut dixit Galenus in libro de cibis boni uel mali ſucci, Quo fit, ut diutino tempore emulctum, natiuæ bonitatis plurimum perdat, non omnino innocuum thoracis,atque pulmonis affectibus.Quippe tibi ſuadeo, ut id quod ei admittimus lac, infantium more,priſcorum iudicio ab uberibus ſugendum ſit, uel cõfeſtim emulctum, natiuo calore affectum potet. Quippe priuſquam ab ambiente refrigeretur, id ſumi uoluerunt ueteres. Quippe ut ii, quibus eo eſt opus, omnino id adſtante animali ſtatim mulctum bibant, auctore Galeno quinto methodi curatiuæ, capite decimo ſecundo, nempe igitur lactis potionem in hunc modum filiæ tuæ largiendum cenſeo, atque uacuo exiſtente uentriculo, quoniam his, qui thoracis, & pulmonis affectibus laborant, peridoneum eſt, dicente Galeno tertio, facultatis alimentorum, capite decimo quarto, thoracis,pulmoniſque partibus omne lac utile eſt,capiti minime,niſi admodum ualenti. & cet.

Nempe niſi cordis tremore filia tua affecta fuerit idonei illius lactis potum concedam quod minori pinguedine, maiorique nitri natura participat, quale camelarum lac celebratur,demum aſininum,poſtremo caprillum,atq; ouillum ſequens,ob quam rem dixit Auicenna.ii. canone cap.CCCCXLIII.uerbũ hoc.Et lac quidem camelorum noui ter fœtarum confert aſthmati,& ſtomacho.Quippe cũ nullius animantis natura ſimilis magis ſit camello,quã recen

ter

ter fœtæ aſinæ, non ab re filiæ tuæ aſinarum lac peridoneũ puto. Porrò ſi id autumni, atque ueris initio ei diebus quindecim continuatè propinabis. Quippe cibis uentriculo non grauato præſtantiſsimum iuuamentum reperies. & cet.

DE CASEO.

SErmo eſt Galeni tertio, de potentiis alimentorum capite decimo ſexto. Caſeum ex iniecto lacti coagulo formari. Quippe dum formatur acrimoniam capit, totamque humiditatem relinquit, quippe magis eo inueterato creſcit acrimonia, & is calidior, atque urentior redditur, concoctionique contumacior, & deterrimi alimenti procreator, quam ob rem à tota rei natura filiæ tuæ caſeum minimè dandum putamus. Quippe & ſi facultatis attenuatoriæ, craſſorum corporis humorum caſeus ſit, quo fit, ut aſthmatis cauſæ non noxius ſit. Plus porrò damni ex ſucci prauitate, & æſtuanti feruore infert, quam craſſorum attenuatio poſsit prodeſſe, auctore Galeno eodem in loco. Sanè cum omnium caſeorum hoc commune uitium eſſe ſoleat, igitur & omnibus qui thoracis, & pulmonis uitio laborant omnem pernegabimus caſeum. Sanè forſitan non admodum errore ducta, ſi recentis caſei nonnũquàm modeſto utatur eſu, ob id Galeni uerbum tertio, facultatis alimentorum, capite decimo ſexto, ubi ait laudatiſsimus inter omnes caſeos, recens habetur; gratiſsimus ori, & ſtomacho minimè noxius, aliiſque omnibus caſeis, concoctu facilior, & commeabilior, ſucco conſtans non uitioſò, neque uſque adeo craſſo, quod omnium tamen caſeorum cõmune uitium eſſe ſolet,

BVTYRVM,

POſtremo te ſcire uellem doctor Excellens, cum ex eo quod in lacte pinguiſsimum eſt, butyrum progignatur, quo fit, ut leniendi facultatem ſibi conducat, atque molliendi, & concoquendi, reſoluendique uim habeat, au-

ctore Galeno decimo, ſimplicium medicamentorum facultatis, capite undecimo, & Auicenna ſecundo canone, capite. CXIIII. indubitato filiam tuam à butyri eſu moderato non abſoluam. Cum me ad hoc adſtringat Galenus eodem in loco, ubi ait. Sed & in uentrem deuoratum butyrum, & ex eo diſtributum magnificè confert expuitionibus ex pulmone, idque in pleuriticis, & peripneumonicis affectibus, cum hoc quod eos etiam concoquat, & Auicenna inquit, & ſputum facit facile, & maturat. Quippe ſi edulium condimento iſto propinetur apertum ſibi conducit iuuamentum.

Butyri recenter confecti lib. unam, amigdalarum dulcium lactis emulſi libr. mediam accipito, his autem quod expedit de zuccharo adhibeto, & ad ignem completa coctione conducito, ipſumque eſui ſeruato.

DE OLERIBVS.

QVæ ex oleribus eſitare debet, porro excalfacientia atque exſiccantia ſint, Qualia ſunt hyſſopus, menta, calamentum fœniculus, ſiſimbrium, ſaluia, betonica, & ſimilia, quippe ſi his iuncta ſint, quæ emolliendi uim quandam habeantꝗ, aſthmati peridonea ſunt, hæc faciles quidam ſcreatus reddendo. Illa uerò craſſos, & hærentes ſuccos attenuando, atque abſtergendo. Quippe ſi edulio iſto plerumque ueſcatur, confeſtim ei iuuamentum apparebit hyſſopum, ſaluiam, fœniculum, ſiſimbrium, quantum manus amplecti poſsit, boraginis, bugloſsi, tantundem accipito, illa ſicca, hæc uerò modeſta humiditate affecta ſunt, auctore Galeno libro ſexto, ſimplicium medicamentorum, emulſi lactis amigdalarum, & butyri recenter facti lib. mediam aſſumito. In primis olera, ebulito quo ad concocta fuerint.

Poſtremo & zuccharum, & crocum addito, & eſui dato. Nempe te certum facio ſi ſequens edulium puellæ amicabile, atque delectabile effici poterit, nedum innocuum, at

& preſtan-

& præſtantiſsimum largietur iuuamentum, ſucci *linguæ* bouis, lib. mediam, atque amaræ amigdalæ, lactis em*ulſi* uncias duas,& butyri recēter facti uncias quattuor,& dulcis amigdalæ ſucci uncias tres accipito,coquitoque, poſtremo uero & zuccharum & penidium,& crocum addito,& eſui ſeruato.&c.

Sint porro procul ab ea, quæ ſunt frigidæ, & humidæ temperaturæ olera,qualia ſunt lactuca,endiuia,beta,ſpinachia,& huiuſcemodi,nedum enim frigido, aſthmatis cauſam compingunt, & ſpirandi facultatem hebetant, ſed & craſſos,crudoſque ſuccos progignentia.Nempe quæ natura frigida,& ſicca ſunt olera,longe fugiat. Quippe cum ad ſtringentia ſint ſpirationis facultati admodum noxia ſunt qualia plantago,acetoſa,ſolatrum,& ſimilia.

Terræ uero bulbos cauere debet,qui mordaci acrimonia præditi ſunt. Qualia cæpæ,allia, aſcaloniæ, & huiuſcemodi,acrium porro omnium aſsiduus uſus ab ea eſt euitandus, cum facultatem quandam alendi corporis obſcuriſsimam habeant, auctore Galeno ſecundo, ſimplicium pharmacorum capite ultimo,& in libro, de cibis boni, & mali ſucci, ſed ſane uenirem interrogandus.Quippe cum acria omnia admodum facultate prædita ſint,ut corpus excalfaciant,& craſſos in eo humores extenuent,glutinoſoſque incidant,ut eſt Galeni ſermo eodem in loco iudubitato ea innocua aſthmati cenſendum uidetur. Niſi eſſet ea ſui mordaci acrimonia, & alimoniæ obſcuritate plus corpori noxia eſſe, quam eidem imperio facultatis attenuandi,atque incidendi,excalfaciendique poſſe prodeſſe.

Verum te non latere uelim huiuſcemodi acria ſui ipſius condimento, aliquantiſper elixata, facultati ſpirandi innocua eſſe, cum ſui elixatione ſanitati accommoda fiūt, quod obſtructa ſoluere, & diſcutere poſsint, tum quod eadem elixata acritudinem abiiciant ut uiribus ſuis imbecilliora fiant.Quippe praui ſucci notam deſerunt,auctore galeno

leno libro ſecundo, ſimplicium medicamentorum,capite ultimo.

Nempe igitur ſi elixatum porrum cum melle eſitet,uel ſub ferueſcentibus cineribus aſſatum , proculdubio ei innocuum erit, quippe,& eiuſdem ſententiæ fuimus,ſi de alliis,& cæpis,eadem efficiantur condimenta.

Verum ſi ſequenti edulio comuni eſu utatur, admodum ei utilitatem præſtare adinueniet, porrum minutatim ſectum,& hyſſopum,& boraginem accipito,eaque in perlucida aqua coquito. Demum butyrum recenter factum, uitellum oui nouiter nati, emulſi lactis amigdalarum dulcium,& zuccharum, & quantum ſalis expedit apponito, unicaque id ebulitione conducito,& eſui dato, iunctoque croci paululo, &c.

Porrò domeſticum,atq; familiare ei edulium ſit helenium,quippe & in ſolo illius eſu,& omne,quo utitur condimentum uiribus helenii præditum eſſe,admodum gaudere debet,eam certe adſtringens,Galenus ſexto ſimpliciũ medicamentorum ubi ait. Quapropter eligmatis,quæ faciunt ad educẽdos ex pectore,pulmoneq; craſſos, lentoſq; humores,idoneè commiſcetur.Et Auicenna.ii.canone,capite. CCXL. ubi ait, & eſt bonæ operationis quando admiſcetur cum electuariis mundificantibus pectus. &c.

DE FVNGIS.

FVngos quouis modo condiẽdi paratos ſanè cauere debet,porro nedum mali ſucci ſunt,atque alimonia ex iis procedens,pituitoſa,gelidaque eſt,os uentriculi anguſtiás. Quippe & id pondere afflictum,conſtrictumque ſpirandi facultatem corripit,auctore Galeno libro ſecundo,facultatis alimentorum, cap.LXIX. atque dixit Galenus in libro, de cibis boni & mali ſucci.Fungi etiam cum ſiccari nequeant,uitium in ſe habere maximè indicant.Et Auicenna.ii. canone, capit.CCLXXIIII.ubi ait, accidit ex fungis,qui non interficiunt,præfocatio. &c.

CONSILIVM DE FRVCTIBVS.

DE fructibus,quibus homines ueſcuntur,te non latere debet.Hos quidem horarios priſci appellitant,qui in anni hora naſcũtur,Quippe anni horam uocantes id tempus,in cuius medio canicula exoritur , auctore Galeno ſecundo facultatis alimentorum,capite ſecundo.Porrò hos quidam terræ fructus nuncuparunt. Quales ſunt cucurbitæ,mellopepones,anguriæ,cucumeres,& huiuſcemodi,qui cum humidæ ſint conſiſtentiæ, atque larga humiditate affecti, nedum humidam progignunt alimoniam,at exiguã facileq́ue corpore excernibilem, ut Galenus dicere audeat, id genus omnia uitioſo ſucco notata. Quam ob rem cum aſthmatis cauſa ab humido incrementũ ſuſcipiat , non ab re fructus huiuſcemodi à filia tua longe diſtare putarem. Quippe & ii , qui eo ſuccedunt curſu , quales ſunt perſica, & mora matura,eam eodem afficient uitio , ſua ſane frigida temperatura membris ſpirationis obſunt, humido uerò incrementum cauſæ difficilis ſpirationis adſunt.

Eos uerò,quos arboreos fructus appellitant,qui hominum cibos adiuuant , auctore Galeno ſecundo alimentorum,capite ſeptimo,à tota rei ipſius natura eſui non dabimus.Hienim, quorum mollis,atque humida eſt conſiſtentia,nedum tenuem,humidamque ex ſe alimoniam corpori afferunt,uerum & flatuoſam facultati ſpirandi nocuam procreant, quales ſunt,ficus,pira,mala,perſica,armeniaca, ceraſa,pruna,& huiuſcemodi.Nempe ſi,ut pueri,uoraci appetẽtia pulſi,ea quempiam horum cuperet,maturas ficus, ueluti minus nocuas, ei tradere iuberem , minus namque praui ſucci adgenerant,omnibus his,qui fugaces, & autũnales uocantur fructus,& ſi penitus huius uitii non immunes reddantur ficus, auctore Galeno ſecundo alimentorũ, capite octauo . Quippe & ipſæ uentrem flatibus implent , quò fit, ut aſthmati noxiæ ſint,hinc ſanè non mediocrem ingerendo moleſtiam inſtrumentis ſpirationis, uentriculi

pulſu

pulſu in ea propugnante, at quoniam his è uentriculo celer deſcenſus occurrit, quippe neque in uentribus multi temporis interuallum trahunt, ut in his inflare ſinantur. Quo fit, ut ait Galenus eodem in loco, cæteris autumni fructibus innocentiores eſſe conſueuere.

Te tamen ſcire uelim, ſi ficus permaturæ ſiccitate parentur, atque hyſſopo recente in iuſculo ad hybernum tempus condiantur, recondianturque, idoneum ſanè eduliũ aſthmaticis erit, Nam leniendi, abſtergendique, & attenuãdi ui pollent, ſpirandi porrò facultati peridoneæ, ut ait Galenus ſeptimo, de compo.med.s.l.capi.iii.

Nempe poma feruentibus cineribus cocta nonnunquã eſitare poterit. Excalfaciens certe ignis, nedum humidum nocuum minuit, uerum & flatuoſum ſpiritum ſenſim excernit, ſoluitque. Quippe ſi hyſſopi pulueribus ſuperaſperſum coctum edatur pomum, eſcam aſthmaticis peridoneam eſſe, nullus ambigere debet, cũ ipſius dulcedine ſpirandi uias leniat, atque ductu ſcreatus reddat faciles. Tum quoniam hyſſopi ui craſſos attenuat, diſrumpitque thoracis, & pulmonis humores, qui prauo ſubſtantiæ eorum uitio, ſpirandi difficultati obſeruiebãt auctore Galeno quarto aphoriſmorum. XXXIIII.

Verum enimuerò, cum ſolidæ conſiſtentiæ fructus adfuerint, qui adſtringente ui admodum pollent, eos certè puellæ tuæ concedere minimè auderem. Quales ſunt citonia, pira, punica, meſpila, ſorba, nuces, & huiuſcemodi naturæ, ii porro nedum in tranſeundo celeres ſunt, uerum craſſum, glutinoſumque, & adſtringentem ſuccũ progignunt facultati ſpirandi noxium.

Nempe huius adſtrictoriæ facultatis dulces amigdalæ nihil ſortitæ ſunt. Quippe abſtergendi, & extenuandi ui pollent, quo fit, ut idonea eſca aſthmaticis comprobetur, dicente Galeno ſecundo facultatis alimentorum, capite uigeſimo nono. Amigdalæ uiſcera expurgant, humorumq́;

 è pulmone,

è pulmone, ac thorace excreatus moliuntur, ac promouent. Quippe quaſdam compertum eſt eſſe amigdalas, ut cibo prorſum propter amaritudinem ſint ineptæ, quæ tam exuperantem craſſorum, ac glutinoſorum humorum incidendi uim habent, ut indubitato ſi amaritudine quiſpiam non territus, illis accomodaretur, peridoneum aſthmaticis efficeretur edulium, auctore Galeno ſexto, facultatis ſimplicium medicamentorum, & Auicenna ſecundo canone. cap. LVIII.

Nuces auellanæ porro adſtringentis qualitatis ui pollent, auctore Galeno ſecundo alimentorum, capite uigeſimo octauo, quo fit, ut nedum hæ, & iuglandes nuces, ui adſtrictoria, ei eſca efficiantur nocua difficultati ſpirandi incrementum apponentes, uerum fluctiones deſuper mouentes potentiam ſpirationis admodum grauitant. Niſi nuces auellanas huiuſcemodi condimento paratas ad edēdum conceſſeris.

Nuces auellanas ab omni cortice mundas, paſſas uuas, atque mel accipito, & in lucida aqua ebullito, & colato, eſitet porrò auellanas paſsis commixtas. Edulium certè aſthmati peridoneum inueniet. Quippe ſi pineæ atq; piſtacia eodem parentur condimento, idem ſpirandi difficultati afferri iuuamentum apertè dignoſces.

DE LEGVMINIBVS.

CAeterum ob id quod legumina nulla gratia, nullaque iucunditate commendantur. Quippe & flatibus uentres admodum implent, auctore Galeno libro primo, de potentiis alimentorum, & hæc porrò facultati ſpirationis pernocuum, ea proculdubio filiæ tuæ cuiuſuis generis paratus adfuerint ingratas eſcas pronuntiabo, ob quam rem ut eorum granorum fuga ſe muniat, aperta fronte iuberē, niſi laborantis inordinata appetentia cogeret, plerumque cicerum rubeorum iuſculū præbere, quod haud putamus admodum inutile præcipue, ſi hyſſopi, ſaluiæ, atque maio-

ranæ

ranæ condimento paretur, nempe ſic paratum iuſculum attenuandi,& abſtergendi craſſos,ac glutinoſos humores, atque eorum uias ob ſtructas aperiendi ui pollet,aſthmati cis certè peridonea.

DE EXERCITIO.

HVmani corporis excogitata dimotio, non ſolum ad ſanitatis tutelam,uerum & ad bonam corporis habitudinem,neceſſariam eſſe priſci omnes prædicarunt,aucto re Galeno libro primo, de tuenda ſanitate. Porrò igitur ut filia tua bonam conducat ualetudinem præcipere oportet, ut corporis motione,atque exercitatione gubernetur, at quoniam non leue incommodum nonnullis accidit,cũ repleti cibo ſe exercent,ut Galenus ſexto, de tuenda ſanitate prædixit, non ab re eam impleto uentre exercitari nollem. Ea enim motione, uaporibus plerumque impletur caput,fluxiones deſuper cadentes ad ſpirationis inſtrumenta progignentibus admodum aſthmaticis noxias. Potiſsimum igitur eius exercitatio ſit ante cibum, nihil tamen, quin, & poſt cibum, quippe ante cibum, quoniam ea uirium corporis robur augere ſolet, auctore Galeno ſexto, de locis affectis, capite ſexto. Quippe & ea exiguos meatus expurgat, & excrementa pellit, at ob id dixit Galenus ſecundo, de ſanitatis tutela uerbum hoc, utilius eſt antequam comedas exercitationem adhiberi. Nempe & poſt cibum non omni hora exercitationi ſubmittatur,quoniam tempus ad exercitationem commodiſſimum, dixit Galenus ſecundo,de tuenda ſanitate,eſt cum externus cibus duplici concoctione iam prorſus ſit confectus, & ea, quæ in uentre,& ea,quæ in uaſis ſanguinis agitur, ac iam denuo cibandi tempus inſtet. Quod ſi aut prius,aut poſterius exercitatione utere, aut crudis hominem impleueris, aut pallidæ bilis prouentum auxeris.

Nempe

Nempe ut Galenus ſexto, de tuenda ſanitate ait, exercitationes, quæ poſt cibum fiunt, quam maximè eas lentas eſſe expedit, ut haud celerius, quàm oportet, membris cibus rapiatur, illas namq;, quæ ante cibum fiunt, magis citas eſſe oportet, ut quæ cauitates ſuperflua implent natura, exercitatione in uigore conſiſtente ualentius deiiciantur, hoc permaximè aſthmati idoneum. Quippe non has citas eſſe expedit, quales feſtinabundi uſurpamus, opere aliquo uigente quoniá difficultati ſpirationis crementum afferunt auctore Galeno ſeptimo, de compo.med.s.l. capite tertio, & cerebro, fluxionique ab eo nocumentum ingerunt.

Cæterum ad has quidem exercitationes corporis frictiones, atque altas uociferationes conducere ſoleo, ut frictionibus, quæ extrinſecus ſunt, ea rapiant, quæ in intimis ſpiritalium ſuperfluentia conſiſtunt. Altis uerò uociferationibus, quæ apud pulmonis uias, craſſorum, atque glutinoſorum humorum cõgeſta ſunt ad modum pulſi aeris uiolentia, diſrumpantur, & uaſa mundentur, quod permaximè aſthmati utile cenſetur. Et hic eſt Galeni ſermo de ſanitate tuenda libro ſecundo. &c.

DE SOMNO.

SI ambo uidelicet ſomnum, atque uigiliam coniectari uoluero, hæc ſane fieri ſecundum innati caloris motiones comperiam, auctore Galeno ſecundo aphoriſmorum primo, ſomnum quidem ad intima corporis, uigiliam uero ad exteriora natiuo calore promoto. Quam ob rem cũ ĩn ſomno multo, natiuo calore ad intima uocato, ex halitibus multa quátitas capiti ingeratur, quibus fluctiones ad cauitates thoracis, & pulmonis conducuntur, ut Galenus eodem in loco ſenſit. Idcirco puellam tuam nollem multo gaudere ſomno, quippe cum incremento deſuper fluctionis ex diurno ſomno cauſa difficultatis ſpirandi concreſcat,

creſcat non ab re ipſam diurno ſomno priuandam omnino crediderim. Porro cum in uigilia ſpiritus à corde ad pulmonem diſlent, craſſos, ac glutinoſos humores in brōchiis pulmonis ingeſtos, conſocio calore attenuant, atque diſrumpunt, ob id eam maiori temporis interuallo, uigilia lætari uelim, quo fit, ut uetuſtam multi ſomni aſſuetudinem, quam modo poſsidet, ſenſim negligat, & perdat, ſeruato Galeni documento ſecundo aphoriſmorum quinquageſimo.

DE GAVDIO.

CVm nimio gaudio animata facultas ad exteriora feratur ſi quid antea ei adfuerit roboris, dum exteriora petit, diſcutitur, atque diſsipatur, ut nonnulli ſupra modum puſillanimes repente ſunt mortui, auctore Galeno ſecundo, de cauſis ſymptomatum libro. Propterea gaudeat filia tua gaudio moderato. Porrò eo non ita ualido motu, ac feruore fertur animata facultas ad exteriora ut exoluatur, laxeturque. Quippe ſi quid ei roboris antea fuit, id detinet. porro delegato ſpiritu à corde conſocio calore ad membra facultatis ſpirandi, quo fit, ut pituitoſæ humiditates thoracis uias, ac pulmonis obſerãtes diſrumpat, atq; exoluat, quod & aſthmatis uitium admodum emendat. Quippe, contra, mœſtitiam præcauere debet, nam ea reuocante ſpiritum & calorem ad cor, fit ut exteriora algeſcãt membra, quod ſane aſthmati noxium cenſeri oportet. & cet.

DE REPLETIONE.

DOctor Excellens non te admirari uelim, ſi uitioſam ciborum atque potuum ſatietatem, quippe & malorum ſuccorum ſimplici uerbo à me damnari dignoſces. Sane cogor id fateri uerbo Galèni primo aphoriſmorum, commento tertio, ubi ait. Cum enim uaſa cibis, ac potibus fuerint ſupra modum repleta, periculum eſt, ne diſrumpantur,

pantur,aut calor natiuus ſuffocetur,& extinguatur. Proinde filia tua uictus ratione ſeipſam parce gubernet, atque non cibis,potibuſque admodum ſe repleat. Cum enim affectione, qua laborat, à ſuffocationis periculo nequaquá tuta ſit,idcirco parce eſitet,ſorbeatque, ne eorum præſentia pulſis à uentriculo ſpiritalibus membris ſtranguletur, & ſubitaneo interitu necetur,porrò ſi periculum huiuſcemodi præteribit, confeſtim in malorum ſuccorum plenitudinem uertetur, quo fit, ut ea inſtrumenta ſpirationis grauentur,quod pernocuum aſthmaticis indubitatò iudicatur, igitur eius uentres implere non admodum ſollicita ſit,magiſque moderatè eos inanire cogatur, aut cibi & potus parſimonia,aut ſenſim cum purgatorii medicamenti purgatione, ut poſtea dicemus, unde fiet, ut ſpirandi membra humorum abundantia non grauitentur,& ſpirádi facilitas promoueatur. &c.

MEDICATIO PER POTIONEM.

CVm iam à nobis oſtenſum eſt, quali uictus ratione nobilis puella aſthmate laborans uti debeat, alteram rem aggrediar,quam morbi profligandi facultatem libro primo, de ſanitatis tutela Galenus appellitat, uerũ de hac procedente ſermone accurate dicetur.

Nempe quoniam eius morbus diutinus eſt,ut & pleriq; morbi longi, ob craſſos, lentos, ac frigidos fiet humores, quo fit,ut non facile concoqui poſsint, ut Galeni uerbum eſt, ſecundo aphoriſmorum libro,commento decimo nono,quippe,& in patientibus partibus impacti ſunt, atque agglutinati,ita quod eorum diſpoſitiones, magis præ duris tumoribus, quam inflammationibus aſsimilentur, ut Galenus eodem ſenſit in loco. Idcirco curationis ſcopus affectionis filiæ tuæ eadem medicari die uelutiin acutis expedit morbis,nedum irrationalis,uerum & fallax,atq; periculoſus,

riculoſus,auctore Galeno primo aphoriſmorum, commẽto uigeſimo ſecundo,quo fit, ut ſenſim huiuſcemodi affectum medicari operepręcium ſit, ueluti in præduris accidit tumoribus. Tum altero die morbi cauſam concoquendo,tum concoctum deiiciẽdo,ueluti edocuit nos Galenus primo aphoriſmorum uigeſimo quarto,& ſecundo,commento nono,& primo,artis curatiuæ ad glauconem.

Sanè igitur doctor excellens, mihi nullo porro ductus errore perſuadeo filiam tuam binis medicationibus per anni temporis ſpatium,medicari oportere: una uernali,altera uerò autumnali tempore initiantibus. Quippe huiuſcemodi erunt medicationes præcauentes morbum,qui futurus eſt,atque curantes illum,qui iam imminet, ut præcauendi,ac curandi morbum eodem ſcopo amplectar.

Venirem ſanè à te interrogandus. Cum ſermo habitus eſt à Galeno in libro introductio ſeu medicus,omnem ex plenitudine morbum uel inedia, uel purgatione, uel uenæ ſectione curãdum eſſe. Quo horum trium ſcopo hiſce temporibus puella mea initium curationis capere ualeat: Nempe dicerem,cum ſæpe fiat,ut affectio,uenæ ſectionem deſideret,auctore Galeno, in libro de ratione curandi per ſanguinis miſsionem capite primo, & certè puellæ tuæ affectio uenæ ſectionem longe pellit,ob id porrò,quod affectionis cauſa,craſſus atque glutinoſus, & frigidus humor exiſtit,initium curationis illius à ſanguinis miſsione aſſumere,nequaquã auderem,dicente Gal.ix.methodi curatiuæ ad finẽ uerbum hoc, cuiq; morborũ ſua eſt curationis indicatio.Quippe à calido indicatio eſt refrigerandi,à frigido calefaciendi.Porrò indubitato ſanguinis miſsio ut in ſe totum refrigerat corpus,auctore Galeno,in libro de uenæ ſectione. Neminem autem latere uelim, ſi aſſueta muliebria filiæ tuæ uiolentia quadam cohiberentur, quo fiet, ut pulmo, & thorax grauentur, & ſpirandi difficultas concreſceret. Proculdubio è uena in dorſum

in tibiis ſanguinem mitterem, iuxta id Galeni in libro de ſanguinis miſsione ubi ait, nam plenitudines à ſuppreſsis menſibus ortas omnino per crura euacuabis, ſiue uenam ſecare oporteat, ſiue ſcarificare, porrò ubi graui, atque uiolenta tuſsi ſanguis ex pectore reiiceretur, in præſens quidem curata, cæterum cum ſortita ſit corporis ſtricturam in thoracis, pulmoniſque partibus, uerè ſanguinem mittere oportet, ſermonem iſtum habeo à Galeno eodem in loco. At quoniam neque iſto, uel altero ſymptomatum genere affecta eſt, quibus ad ſanguinis miſsionem accuratè me uertere cogar. Initium curationis affectionis aſthmaticæ filiæ tuæ à ſanguinis miſsione minime exordiar.

Verum ſi ea noſtris ſalutaribus præceptis obſequetur, cum his, quæ de uictus ratione conſcripſimus, tum aliis, quæ per medicamenta procedente ſermone edocemus, ſummoperè profuturum, neminem ambigere puto. &c.

Initio igitur ueris pereunte, eam medicamento purgari iubeo, porro purgationibus peridoneum eſt id tempus, auctore galeno in libro de ſanguinis miſsione: uerum quoniam Hippocrates nos edocuit, ſecundo aphoriſmorum, nono, atque Galenus primo aphoriſmorum, commento uigeſimo quarto. Vbi uidelicet quis corpora purgare uoluerit, oportet fluida facere. Mihi nempe aſſuetudo eſt, fluidum corpus facere medicamento in primis à latioribus uiis excrementa deiiciente, ne à prauis eorum flatibus ſpiritalium uires offendantur, atque hæ imbecilliores effectæ proximã aſthmatis cauſam concoquere nequeant. Demũ & id quotidianis ſorbitionibus exequor, quibus difficilis ſpirationis materia concoquitur, atque ſpiritalia membra reficiuntur, quippe & faciles parantur ſcreatus, quibus, in omnibus aſthmaticis admodum lætatur, auctore Gale. VII. de compo. med. s. l. capite tertio.

Primum igitur deuoret filia tua, una hora priuſquã uentriculum impleat id quod ſequitur.

Floridæ

Floridæ caſsiæ recenter eductæ, unciam unam & mediam, dulcis radicis in ſubtilem puluerem cõductæ drachmas duas accipito, in bolum redigito, & uorandum dato.

Eo porro die uictu regatur, madidi panis in puellæ iuſculo. Decoctionis hyſſopi, & helenii, minimum quiddam pullæ carnis eſitando mane, atque ueſperi.

Altero nempe ſuccedente die priuſquam ſolis ortus ad nos pertingat, antidotum hanc admodum commodam, àtque ſeptem non intermittentibus diebus epotam, ac tepidam ſorbeat, craſſos nempe, ac glutinoſos, frigidoſque thoracis, & pulmonis humores concoquit, attenuat, & diſrumpit. Quippe & obſerata uaſorum orificia aperit, atque faciles ſcreatus conducit, quæ ſpirandi facultatem admodum iuuant.

Helenii radicis, Vnc.iii. hyſſopi, praſsii, ſaluiæ, mundæ glycirizæ, cuiuslibet unciam unam accipito. Aniſorum, maratri drachmas duas his admiſceto, gummi arabici, draganti, de quolibet drachmam unam apponito, quibus penidiarum. Vnc.I. permiſceto, & hæc in perlucida aqua quoad eius medietas euaneſcat, ebullito. Quippe ſuppreſsis his decoctionem colato, & ſpumato melle addito, & iterum ebullito, quoad perfecte coquatur.

Porrò huius decocti uncias duas, oximelitis. Vnc.I. accipito, quibus aquæ thuſsilaginis uncias tres, admiſceto, & potui dato.

Vbi uero Aluus adſtricta eſſet, his diebus, quibus aſthmatis cauſa concoquitur quotidiano utatur clyſteri, non repleto uentriculo. Quippe affectione aſthmatica actu nõ affligante. Vbi enim in affectionis naufragio merſa foret, certè longe uetare debet, quæ ſpiritalia exagitantia ſunt membra, his enim ſpirandi difficultas ualde concreſcit, ut maximè ſunt exacutis clyſteria.

Mercurialis, uiolariæ, altheæ, maluæ, chamæmeli, aniſorum, craſsi furfuris, cuiuslibet quantũ manus una præhen-

dere poteſt accipito, atque ebullito quo ad aquæ media pars ſoluta fuerit, & eius colatæ aquæ libram unam accipito, olei rutæ, Vnc.ii. olei uiolarum. Vnc.I. uitellum oui unũ zucchari unciam unam & mediam, caſsiæ. Vnc.I. mellis roſati. Vnc.ii. & ſalis comunis drachmas duas imponito, & utere. &c.

Quippe & eiſdem diebus iubeo ut ſenſim lambendo ore modicum quid dicendi conditi crebro detineat.

Hyſſopi pulueris unciam mediam, pulmonis uulpis ſicci non marcidi pulueris, drachmas duas, penidiarum, uncias duas accipito, & melle ſpumato addito conditum facito, eique oximellitis unciam unam apponito, & linctui ſeruato.

Cæterum octauo die ſane indiciis concoctionis apparentibus priuſquàm nox è tenebris ad lucem uertatur, tali purgetur medicamento.

Mannæ electæ. Vnc.I. Diaſebeſten lenientis. drach. VI. agarici merſi in oxymelite ſcrop.iiii. addito paululo zinziberis, temporis interuallo horarum decem accipito, conditi de dactilis drachmas duas apponito, & cum thoracis idonea, atque comuni ebulitione eliquato, & ſuccedente paululo ſomno ſorbitioni dato, eo quippe die parcè uescatur, ne cibis natura occupata medicamenti purgatio pereat. Nonnunquàm porro accidit in aluo medicamenti portiũculam relinqui, quo fit, ut ad aluum materiæ ducantur ſymptomata, ſpirandi facultati noxia progignentes, ob id iubeo altero ſuccedente die clyſteri utatur, aluum non impleto uentriculo abluente, quale eſt confectum ex iuſculo hordeaceo, zuccharo, & oui uitello.

Huius namque medicamenti opere exacto, confeſtim eo quod mihi admodum domeſticum eſt, medicamento, filiam tuam uti hortarer, uidelicet, Vetuſti galli iuſculum potum, atque ità paratum.

Gallum antiquum uolatu atque flagello feſſum, & decollatum,

collatum, immadidumque depilatum, quippe euiſceratũ, & uino albo aromatico peroptimè dilutum, atque modeſtè ſalitum accipito, cuius uacuam aluum his paululum contuſis impleto, hyſſopo uidelicet, ſaluia, ſampſuco, ſiſimbrio, enula, iuiubis, ſebeſten, abraſa glyciriza de quolibet unciam mediam accipito, cum his aniſos, cartamum, fœniculum miſceto, quantum minori pugillo capere poteris, gummi arabici, dragaganti drachmas duas, penidiarum unc.iii. apponito, ſingulorũ omnia in galli aluo ſuito, & in perlucida aqua expedientis ſemel quãtitatis, quo ad galli carnes ab oſsibus ſeparentur, coquito. Quippe preſſo gallo atq; eiecto, iuſculum colato, & ipſum ita potandum dato.

Iuſculi galli uetuſti uncias ſeptem accipito, eiq; oximelitis. Vnc.i. miſceto, & priuſquã omnino lux è nocte exeat, ipſum potui tepidum exhibeto. Quippe nullum intermittes diẽ, quoad ſeptimus finierit dies, porrò ubi his diebus aluus adſtricta eſſet ex iuſculo, ſale, uitello oui, & Galeni iera, atque rutaceo oleo & zucchāro clyſtere immittito.

Octauo uerò die purgatorio medicamento utere, ex cochiis ſcropulos duos ſummito, ex agarico parato ſcropulum unum, cum melle roſato pillulas conficito.

Poſtremo eo temporis interuallo, quo totum uernale, atq; æſtiuum tempus finietur, duobus cuiuslibet ſeptimanæ diebus iubere uellem, priuſquã cibis uentrem impleat ſuccedentis antidoti, drachmas ſex deuoret, floris caſsiæ, unciam mediam, mannæ unciam unam, puluerum condi ti, de trachacantha, drach.iii. penidiarum, Vnc.ii. pulueris thimi, hyſſopi, cuiuslibet, drach.i. pulmonis uulpis, in ſubtiliſsimum puluerem deducti unciam mediam, de zucchāro quantum expedit. & antidotum formato.

Eo quippe tempore ea tedio non afficiatur, crebris, atq; quotidianis linctibus ſuccedente uti liquore.

Hyſſopum, mentã, thimũ, bugloſsũ, boraginẽ, thuſsilaginem, quantum manu capere poſsis accipito, glycirizam,

caricas,zizipha,ſebeſten, de quolibet unciam mediam ſumito, atque in perlucida aqua ebullito, & colato, cui drachacantam,gummi arabicum pondere duarum drachmarum, penidiarum uncias duas apponito,rurſuſque ebullito, cui colato tantum zucchari permiſceto, quantum expedit, ut ſolidi liquoris eſſentia conducatur.

Vnum te non latere uelim,quod aſthmati peridoneum eſt,porrò cum filia tua nocturno præparabitur ſomno,ore formula hac detenta ſenſim deorſum lambendo, tum lenitione thoracis,atque pulmonis meatuum,tum attenuatione craſſorum humorum, & glutinoſorum inciſione ſcreatus facile deiiciet,quo fit,ut inſtrumẽtis ſpirandi euacuatis,facilis ſpiratio conducatur,hyſſopi,thimi pulueres, pondere, drach.ii. gummi arabici drachacanti cuiuslibet, drach.I. ſucci glyciriz. drach.I.& med. penidiarum. Vnc. med. accipito. Quippe his quantum mellis uiolati expedit iungito,& formulas lupinis adſimiles conficito.

Porrò iubere uellem, eam quotidiana hac uti unctione qua thoracis coſtas extrinſecus illinẽdo dilatationi totus thorax obediat,atque ipſius interna emollita,& in uigore adaucta faciles deiiciant ſcreatus.

Hyſſopi olei, unciam unam, dulcium amigdalarum, atque uiolati,& candidorum liliorum olei, cuiuslibet unciam mediam accipito, butyri, atque altheæ ſucci,cuiuslibet, drachmas ſex, croci drachmam mediam, his complicato, & ceræ quantum expedit, unguentum molle fabricato.

Nempe cum nocturno ſomno cubare uoluerit, coronalem iuberem contexturam ſubſcribendo puluere ſuperaſpergere, quo ſit, ut fluctio eorũ,quæ deſuper ad thoracem,& pulmonem confluunt,corrigatur.

Hyſſopum, ſampſucum, betonicam,roſas rubeas chamæmelum,de quolibet drachmam unam capito, ſandarachæ,maſticis,thuris,corallorum drachmam mediam, hæc

in

in ſubtiliſsimum puluerem ducito, & uſui ſeruato.

Cæterum ſi ſpirandi facultas adeo laboret, ut ſuffocationis timor repentè filiæ tuæ accidat, eo in tempore, quo uehementi labore infeſtatur, altera ſubſcripta antidoto ſenſim lambendo utatur. Quo fit, ut craſsi humores attenuentur, & glutinoſi incidantur. Quippe & uaſorum pulmonis obſerata orificia aperiantur, humido ſiccato. Sulphuris uiui in ſubtilem puluerem reducti, atque in thuſsilaginis aqua per diem naturalem fuſi, unciam unam accipito. Cui ſucci pomorum dulcium uncias duas, & mediam, penidiarum uncias duas permiſceto, & cum zuccharo quantum expedit conditum conficito primum.

Alterum eſt oximellitis uncias duas ſumito, cui armoniaci guttas tres permiſceto, & potui dato.

Vellem autem te ſcire æſtiuo currente tempore, nulla adhuc neceſsitatis ſpirationis indigentia opportuna, domeſtico die, noctuque filiam tuam ſubſcribendo uti debere condimento aſthmaticis peridoneo. Butyrum in hyſſopi aqua lotum unciarum pondere quattuor, ſucci granatorum dulcium Vnc.ii. penidiarum. Vnc.iii. ſulphuris uiui ut dictum eſt parati, drachmas duas, recentiſsimi olei amigdalarum dulcium, Vnc.med. accipito, & cum zuccharo quantum expedit conditum expedito.

Quod ſi deſuper ad inferna ſpiritalia fluctitet materia, quippe ſpirandi uires thoracis atque pulmonis grauitâs, aſthmaticis admodum nocua iuberem ego, huiuſmodi capitis lotionem, quam modo dicimus puellam tuam ſibi indubitato uendicare.

Thimum, ſtæcadem, maioranam, hyſſopum, chamæmelum, roſas rubeas accipito, eaque in aqua cineris non admodum leui ebullito, quoad tertia ſoluatur pars, & caput abluito.

Nempe Doctor Excellens uenirem interrogandus, ſi priuſquàm tempus uernale terminum ſuum poſsideat

nonnullæ

nonnullæ apud Italiam thermarum aquæ filiæ tuæ ſint offerendæ.

Tibi dicere auderem, ſi præceptis ſalutaribus Galeni atq; Auicennæ ſubſcribere cupiam. Quæ ex naturali minera ſulphurea aquæ ſcaturiunt, indubitato ei, peridoneæ ſunt potionis. Quippe his exquiſite peractis: illis uerò ſeruatis, quæ ipſius & ſimilis aquæ potui obſeruiunt, & congruunt.

Igitur intrepida fronte iubeo, priuſquam uernale tempus è nobis effugerit, filiam tuam huiuſcemodi ſulphureas thermas adire, ibique potationi aquæ operam dare. Sanè huius iudicii teſtis eſt Galenus ſeptimo, de compo. med. s. l. capite tertio. Cum in affectu difficultatis ſpirandi ob craſſos, & glutinoſos humores in bronchiis pulmonis obſeratos, non paucis utatur antidotis, & ui, & eſſentia ſulphuris uiui munitis, quippe cum omnis ſpirandi difficultatis commune auxilium ſit; ſuperfluentem humiditatem, quæ affectum generat, deſtruere, atque conſumere. Cumq; hoc fiat per attenuantia & abſtergentia medicamenta, atq; exſiccantia, auctore Galeno eodem in loco, quale eſt ſulphur, ut dixit Galenus nono, de facultatibus ſimplicium medicamentorum, non ab re, quæ ſulphuris uires ſapiunt medicamenta, aſthmaticis peridonea eſſe non ambigo, uerùm & ſi huiuſcemodi aquæ aluminis, atque nitri, ſaliſq;, quadam facultate pollerent. Dum eorum ſulphuris potentia uigeret; eas indubitato aſthmaticis conuenire fateor, quibus craſſæ, atque abundantis humiditatis exſiccatio ſalutare remedium exiſtit, auctore Galeno ſeptimo, de compo. med. s. l. capite tertio, quippe & hæc adſiccante ui maximè pollent, ex Galeno quarto libro, de compoſitione medicamentorum per genera, capite primo & tertio capite ſecundo, & Auicenna ſecundo canone, capite quinquageſimo nono.

Cæterum poſſet quis interrogare, cum mineralia hæc adſtrictoria

adſtrictoria uigent facultate, ut eiſdem in locis, à Galeno compertum eſt. Quæ cum ſpirandi potentiæ noxia ſit, porrò & aſthmaticis admodum nocua erit.

Huic dicere auderem, neminem ſolis his affectui aſthmatico uti debere, quemadmodum neque ulcera medicari ipſis ſolis conuenit, eorum enim adſtrictoria ui, ad cicatricem ducendis ulceribus hæc non admodum commoda ſunt, auctore Galeno libro quarto, de compoſitione medicamentorum per genera, capite primo. Quippe hæc elota utilia magis ſunt, minus enim lota, quàm uſta deſiccant.

Tum longè meliora ſunt, minuſque mordacia, ſicut ait Galenus. Cum igitur mineralia hæc elota morſum remittunt, atque minus ſiccant, magiſque utilia ſunt, pluris certè utilitatis, & nullius incommodi aſthmaticis exiſtere opinor, ſi eorum facultas eſſentiæ aquæ, & præſentis eius humiditatis commiſcetur, ut in dictis thermarum aquis fieri contingit. Nempe eorum uis adſtrictoria, atque exſiccatio tepeſcunt; humidi præſentia contra operantis, quo fit, ut opportunè exſiccando ſpirationis uias non admodum adſtringant.

Verum enimuero, ſi huiuſcemodi thermarum aquæ uis exſiccandi, quicquàm incommodum qualitate adſtrictoria ſpirandi uiis intulerit, ut abſque terrore laborans, eam ſorbere ualeat, iubeo ipſum ſubſcriptæ antidoti hauſtum, crebro eadem in die ſenſim exhaurire ſorbereque.

Zizipha, ſebeſten, paſſulas, glycirizam, radices altheæ, & hordeum, de quolibet unciam unam accipito, & in perlucida aqua ebullito, atque colato, & zuccharum addito quantum expedit, ut iulep breue conficiatur.

Vbi uerò faſtidio laborans in ſorbendo afficeretur, die noctuque, & candos, uel eas, quas uſitato uerbo bichichias pillulas appellitant lambendo in ore detineat.

CCC Nequaquàm

Nequaquàm adhuc te turbari uelim obiiciendo, filiam tuam, hanc non debere potare aquam, ob id quod fluctione deſuper ſpiritalia grauitentur membra, quippe ea aqua cerebri pituitoſas humiditates attenuáte, eas fluctioni magis aptas parabit, quo fiet, ut ſpirãdi facultas turbata plus lædatur, cui porrò nos dicemus non ob id, quod fluctione deſuper thoracis, & pulmonis membra ſpiratio difficilis reddatur, huius ei aquæ potum conſulimus, quippe præſens ſpirandi difficultas craſſo, atque glutinoſo, frigidoq; liquore, bronchia pulmonis obſerante ortum habere arbitror, cuius ſanè attenuatio, atque diſruptio, & à calido frigiditatis concoctio, legitima eſt curatio, Quæ omnia thermarum dictæ qualitatis aquæ, apertè expediunt. Nempe diutinæ affectiones & ſi ab initio per cõſenſum ortum cæperint, poſtremò temporis prolixitate propriæ membro ſunt factæ affectiones, auctore Galeno libro primo, de locis affectis, & tertio aphoriſmorum, commento trigeſimo primo.

Verum cum affecta per conſenſum pars, non penitus ab affectu libera ſit, ut eodem in locò dixit Galenus, ob id lato animo iubeo filiam tuam non modo potare huiuſcemodi aquam, ut affectioni ſpiritalium iam diu factæ auxilium afferam: uerum & eandem aquam ad cõtexturam coronalem ab alto cadentem, ualentius ſuſcipere. Quo fit, ut fluctioni fouenti, quòd iam uetuſtum eſt, ſalutare remedium conducam, eo enim occurſu quod frigidum eſt, calido concoquetur, quod craſſum attenuabitur, atque capitis uires roborabuntur, ut pituitoſum humorem non progignant, procreatumque ſoluant. Quo fit, ut à fluctione ſpirandi membra libera, ſpirationis facultatem non grauent.

Verum ob errata, quæ in uictu conti ngunt non modo morbi fiunt, ſed & temporibus, quorum naturæ, atque mutationes morborum naturis affines ſunt. Auctore Galeno

tertio aphoriſmorum,commento decimo nono. Quippe cum autumnali tempore anhelationes, quas greci aſthmata uocant recidiuare ſolent,ut ait Hippocrates tertio aphoriſmorum trigeſimo primo, non ab re autumno procedente,filiam tuam iterum purgatoriis,uti medicamentis, ut ab initio curationis expoſui conſulimus.Quam ob rem cum autumni tempus ad nos aderit, eam ſeptenis inſcriptis ſorbitionibus haudquaquam intermittente die, priuſquàm nobis ſol eluceſcat,uti uelim.Nempe his,aſthmatis cauſa concoquetur, atque facile deiectioni per ſputum obediet,quo fit,ut ſpirandi inſtrumenta euacuentur,& ſpiritus ualentius fluctitare ualeat.

Enulam,radices altheæ,cuiuslibet unciam mediam,hyſſopi, praſsii, calamenti, fœniculi, aniſorum, unciam mediam,boraginis, bugloſsi, thuſsilaginis unciam mediam, glycirizæ, ſebeſten, ziziphorum unciam mediam accipito,& in limpida aqua ebullito, quoad eius media pars ſoluta ſit,& colato,& cum ſpumato melle,ut expedit,tepido igne ſyrupum conducito. &c.

Vtere ſic illius uncias duas ſumito, cui aquam hyſſopi, adianti bugloſsi, cuislibet pondere unius unciæ miſceto, & potui dato.

Cæterum cum concoctionis indicia aderint ſic purgato:

Mannæ unciam unam. Diaſebeſten lenitiui,unciam mediam, ieræ Galeni ſpecierum drachmas duas, præparati agarici unius drachmæ partes duas accipito, & cum aqua decoctionis pectoralis omnia ſolueto,& potui dato.

Hyberno nempe tempore procedente, quod experientia frequentius didici, id filiæ tuæ, ſalutare remedium eſſe non dubito,uidelicet ſi octo dierum temporis interuallo, terebintinam bis non pleno uentriculo capiat.Quippe aſſumptionis menſura trium ſit drachmarum, uidi hoc à Galeno libro quinto,de tuenda ſanitate ubi ait,ſimiliter &

terebinthi reſinam. Sumitur autem ea aliquando *nucis* ponticæ magnitudine, aliquando duarum, trium ue. Quippe non modo aluum ſoluere citra noxam poteſt, ſed etiam uiſcera omnia, iecur, lienem, renes, pulmonemque abſtergere.

Non te latere uelim, ſi principis mentem proſequi uelimus, ut nos edocuit ſecundo canone, cap. CCCX. eam tali cõditam modo patienti omni die condonabimus.

Terebentinæ uncias ſex, mellis ſpumati uncias tres, pulueris dulcis radicis unciam mediam accipito, atque permiſceto, & nucis magnitudinem dato.

Porrò aliud ex terebentina conditum, mihi ſanè familiare & domeſticũ in aſthmatica affectione expertum, pondere unciæ mediæ patienti omni die datum.

Terebentinæ uncias ſex, ſucci enulæ, ſucci altheæ cuiuslibet unciam unam, & mediá, pinguium caricarum uncias duas, ſucci hyſſopi, ſucci braſsicæ, cuiuslibet unciam unam, pulueris glycirizæ, pulueris pulmonis *uulpis*, *cuiuslibet* drachmas tres, butyri recenter facti unciam unam, olei amigdalarum dulcium recentis unciam mediam ſulphuris uiui per noctem in aqua uiolarum fuſi unciam mediam, armoniaci in oxymellite diſſoluti guttas quattuor accipito, & cum zuccharo quantum expedit cõditum fabricato.

Aliud ualentioris facultatis, & in aſthmate pluris iuuamenti eſt, quippe à me compertum, atque nomine dyabũtirum benedicti appellitatum.

Butyri recentis, in perlucida fontis aqua decies eloti uncias quattuor, caricarum, pini nucleorum paſſularum, dactilorum, amigdalarum amararum, ſingulorum uncias. ii. ſucci glycirizæ, drachacanti, cuiuslibet unciam mediam, hyſſopi, ireos, thimi, ſatureiæ, praſsii, pulegii, ſem. urticæ, ſingulorum unciam mediam, cinnamomi, piretri, cuiuslibet drachmas tres, gariophyllorum, galangæ, piperis nigri, aniſi, carui, cardamomi, ſingulorum drachmas duas, ligni

gni aloes, nucis myriſticæ, cuiuslibet drachmam unam, aquæ mellis libr. quattuor accipito, atque ſic conficito; caricas paſſulas, & dactilos, quippe omnibus peròptime tritis in aqua mellis triduo fundito, poſtea lento igne coquito, & uiolenter ſuccum exprimito, cui tepido ſucco butyrum, atque mellis ſpumati libras ſex miſceto, & iterum lento igne ebullito, iterumque colato, cui pini grana, & amigdalas benè omnia tūſa, addito, quæ omnia in uaſe nulla intermiſsione optime ducito, cæteraque in ſubtiliſsimum puluerem reducta, illis immittito, & pulmonis uulpis in puluerē facti unciam unam iungito, & diutius permiſcendo, conditum conficito.

Porrò te non latere uelim, his, quæ prædiximus, uariè uti expediet, neque uno tantum electo, id perpetuò exhibere, cui namque aſſuefacta temporis ſpatio ſumentis, natura eius uim contemnet, auctore Galeno quinto, de tuenda ſanitate, & in libro experimentorum capite ultimo, & Auicenna quarta primi, cum ait, neque ſemper cum una ſtandum eſt medicina. &c.

Poſtremo quis rogauerit, cum his, quæ prædiximus nullum apertè laboranti iuuamentum ſuccedat, an aliquam illius corporis particulam urere idoneum ſit.

Vellem te ſcire Doctor Excellens, opus illud, quod urendo manu poſita à nobis progignitur, poſtremum medicinæ priſci appellitant, porrò ſi his, quæ in uictus ratione præcedente ſermone conſcripta ſunt, nullum filia tua iuuamentum palam concapeſcat, minuſque his medicamentorum potionibus indubitato iubeo, uel alteram earum particulas urere, peridoneum fore. & cet.

Hæc quippe ſit uel inter dextri muſculos brachii in parte ſylueſtri, aut ſpatulæ ab eorum ſuperiori colligantia diſtanter digitorum quattuor ſpatio, uel deorſum in crure eodem ſane ſpatio ſub genu, in parte ſylueſtri inter duos

illius

illius muſculos. Nempe his, humores, qui thoracis ac pulmonis partes occupant, ad externa deriuantur atque euacuantur. Qui uerò ad eas confluunt, ad contrarium retrahuntur. Intrepida igitur mente hortor, iubeoque, filiam tuam huiuſcemodi medicamento fatigari debere, ob eius utilitates, atque laudes, quas ei Galenus ſexto epidimiarū libro, & Auicenna quarta primi. Et Albucaſis in libro operationis manualis conceſſere. Ad illius benè merentis gloriam, qui uires corporum gubernat, atque cuſtodit. & cet.

Benedictus Victorius Fauentinus
ſic Dixit. &c.

AD CATARRHVM ET ASTHMA,

Pro quodam nobili & excellenti Doctore Neapolitano.

Conſilium XVIII.

NObilis quidam,& Excellens Dominus Neapolitanus temperaturæ bilioſæ in primo ſenio conſtitutus catarrho corripitur à capite ad thoracis partes, & pulmonem irruente, ubi repletis meatibus pulmonis,accidit ei difficilis anhelitus,& aliquando inſignis ſonitus in ſpiritalibus,ac ſi oregmonem pateretur,quo fit ut D. ſua ſubmittatur timori ſubitæ ſuffocationis,& mortis propter id, quod dixit Galenus ſecundo aphoriſmorũ, commento quadrageſimo tertio, ſtrangulati, ac diſſoluti & cet. Nempe igitur ex dictis his, ponemus D. ſuam pati aſthma,& per conſenſum à capite, & per eſſentiam in pulmone, quoniam utroque modo poteſt aſthma progigni, Auctore Galeno tertio aphoriſmorum, commento trigeſimo primo, à capite quidem per fluxum materiæ ab eo ad pulmonem. In pulmone uerò per pedetentim factam materiæ in uiis pulmonis cõgeſtionem, ob quam rem nobilis hic Dominus timens ne repente ſuffocetur, à nobis ſalutifera expoſtulat præſidia, ut his gratia Dei malá hanc fortunam fugere ualeat.

Nos igitur honeſtæ ſuæ petitioni obtemperantes,potioribus,quibus poterimus auxiliis Dominationem ſuam ab hoc morbo præſeruabimus,curabimuſque.

Et utemur triplici inſtrumento in hac cura,iuxta modum curationis morbi naturalis,datum à Galeno,in libro de partibus artis medicatiuæ,& in libro experimentorum capite ultimo,& undecimo methodi, capite quinto, ſcili-

cet,

cet, uictus ratione, & medicinarum potione, & manuum operatione. Et hanc ſententiam approbat, Auicenna quarta primi, capite primo, Sed quoniam uictus ratio, ut dicunt, nobilius eſt inſtrumentum curationis cæteris, ab eo exordiamur.

DE AERE.

PRincipium faciendo ab aere. Ab ambiente enim nos aere corpus noſtrum admodum mutari contingit, auctore Galeno tertio, artis medicinalis, & tertio methodi curatiuæ, capite octauo, & nono, methodi non longe à fine, ubi ait. Ambiens uerò is eſt, ſine quo nec tolli morbus, nec teneri ſanitas poteſt, & primo, de tuenda ſanitate non modicam expedit uim Galenus ipſius tuendæ ſanitatis, in boni aeris electione. Eligat igitur D. ſua aerem ſibi non craſſum, neque nebuloſum, neque cluſum, nullum recipiens perflatum iuxta illud Galeni primo, de tuenda ſanitate, ubi ait, nec qui ob ſtagnum, uel flumen uicinum, nebuloſus eſt aer, nec editis undique montibus in cauo loco cluſus nullum recipit perflatum, ſuffocās enim, putriſque eſt. Proinde D. ſua locum Domus accurate ſibi conducat, in quo non ſit incluſus aer, perflatus defectum ſuſtinens. huiuſmodi enim aer omni planè ætati noxius eſt, ut dixit Galenus. Caueat quoque ab aere fumo, uel puluere affecto cum enim corpus intrat facultatis animalis tranſitum tollit uiarum ſpiritus clauſione.

Sit igitur eius aer calidus, & ſiccus, plus quippe ſiccus, & non admodum calidus, non tamen frigidus, quoniam ex capite diſtillationibus thoracem offendit, auctore Galeno quinto aphoriſmorum, commento uigeſimo quarto. Neq; ſit admodum calidus propter Galeni uerbum, quinto aphoriſmorum, commento uigeſimo ſecundo, ubi ait. Calor extrinſecus in capitis diſpoſitionibus facit hæc eadem ſcilicet diſtillationes. &c.

Nempe humidum aerem fugiat, qui & ſtagni & palu-

dis

dis habitu ſit infectus, & qui ex cloacis malam ſpirat auram,& qui ex animalium,& olerum, aut leguminum putredine uitium contraxit, aut fimo coinquinatur, caput enim grauitat,& animalem ſpiritum offendit, & ſpirationem prohibet,ut Galenus dixit primo,de tuenda ſanitate.

Nempe aer D. ſuæ calidus ſit,quoniam ut dixit Galenus quinto aphoriſmorum grauitates capitis ſanat,cōcoquēs, atq; diſſoluens quæcunq; moleſtant,& ipſum thoracem.

Vbi uerò natura aer calidus & ſiccus defecerit eo in loco quo. S. D. moram trahit, aut hybernum fuerit tempus. Tunc leuibus aromatum ſuffitibus utatur, Quod ſi ei noxium fuerit, quod de fumo exit. Sola aromatum præſentia in loco manſionis ſuæ contentus ſit, ut quod de odore ab aromatibus expirat, quæ ſua ui aperiunt uaſorum obſerata orificia,& craſsitudinem extenuant, & omnibus frigidis & humidis diſpoſitionibus corporis occurrunt,ut teſtatur Galenus ut ſupra.

At aromata ſunt,cinnamomum,gariophyllum, macis, nux myriſtica, lignum aloes,moſchus, ambra, cortices citrii,arantiæ,maſtix,thus,& ſimilia.

DE CIBO, ET POTV.

PAnis electio ſit de tritico, quoniam triticū nedū apud oēs nationes frequentiſsimè, immo ſumma cū utilitate uſurpatur,auctore Gale.I.de facultatibus alimentorum, cap.ii. Ex triticeis nāq; panibus D. ſuæ peridoneus eſt ille, qui ex tritici ſimula cōditus eſt.Sinceriſsimus enim panis eſt,nō grauitans,nō flatuoſus,neq; deorſum aluū replens, & peroptimè nutriens,ut ait Gale.Sitq; panis nō admodū fermentatus:ſui.n. ſuperfluente acetoſitate noxius eſt cerebro,neruis, & thoraci. Quippe neq; omnino fermento careat,propter illud uerbum Galeni primo,de potentiis alimentorum,capite ſecundo,ubi ait.At qui omnino fermento caret,nemini prorſus erit accommodus.

Non ſit eius panis ſalitus,contumax enim eſt thoraci,&

cerebro, ut ait Galenus ſecũdo de comp.med.s.l.cap.XVIII. Sal enim graue & noxium eſt propter grauedinem, & potiſsimum in capite. Sit & panis optime coctus, & non admodum, ut qui cruda, incoctaque interiora habet, ambuſta uerò obarida, & cruſtacea exteriora, difficulter enim permeat, & craſſos humores progignit, & thoraci, & cerebro noxios. De quo loquens Galenus primo alimẽtorum capite ſecundo dixit. Is enim deterrimus panis cenſendus eſt, & uentriculo inimicus, qui in cruſtaceis admodũ aduritur, in intimis uerò incoctus relinquitur, ſit igitut eius Panis recens duorum, uel trium dierum, & non calidus comedatur, quoniam ut dixit Auicenna ſecundo, canone, capite. DLXXIII. Panis enim calidus non eſt apud naturam receptibilis, ſitim facit, & natat propter ſuam uaporoſam humiditatem nocuam cerebro, & thoraci.

Vinum, de quo dicam cùm Galeno primo, de tuenda ſanitate, & in libro exhortatio ad bonas artes. Cum ſit omnis exceſſus fugiendus, maxime illum fugere expedit, ex quo non corpori modo, uerum etiam animo damnum accedit, ob quam rem cum corpori D. ſuæ uini potus damnum ingerat, nedum hauſtum guſtare ſuaſerim, uerum & omnis uini potionem denegarem, Nempe cum repleri caput in pulmone patiente ſit inutile, uinum halitu caput replet. Idcirco uinum ei noxium eſt.

Nempe ſi conſuetudine ſui, uel inordinata illius appetentia, uel uiolento medicorum irritatu ad uini cogar potionem tribuendam, ſit uinum album tenue imbecillum uirium, ut caput minime percutere ualeat, & benè aqua mixtum, dixit enim Galenus primo, de tuenda ſanitate, & quinto, de locis affectis capite quinto. Tale enim uinum ut uentriculum robuſtum efficit, ita haudquaquàm tẽtat caput, id quod facere ſolent ea uina, quæ uehemẽtes uires obtinẽt. Erit igitur conueniens eius potus mulſa decoctionis hyſſopi, & ſaluiæ quã & uino poterit permiſcere, &c.

CARNES.

VEtuſtorum itaque pedeſtrium animantium carnes caueredebet, ut bubula caro, ut dixit Galenus tertio, de facultatibus alimentorum, capite primo, bubula uerò alimentum ipſa quoque non exiguum, nec diſcuſſu leue preſtat, ſed ſanguinem craſsiorem, quam par eſt progignit, comitantur autem hanc capreolorum caro, & ceruorum, arietumque, & caſtratorum uetuſtorum, hæ enim temporis uetuſtate terrei alimenti naturam ſibi conceſſerunt, ut ex feculento ſanguine procreatæ nocent uirtuti animali, & ſpiritali, & cerebro, & pulmoni contumaces carnes illæ cenſentur à Galeno ut ſupra.

Carnes uerò ei conuenientes ſunt temperaturæ calidæ, & ſiccæ, uel natura, uel arte præparatæ. Ideò omnes Auiculæ ſylueſtres in arboribus degentes, ac uictum in ſiccis locis trahentes admodum ei conuenientes ſunt elixatæ quidem potius, quandoque uerò toſtæ, ut ficedulæ, turdi, merulæ, palumbi ſylueſtres, francolini, & ſimiles. Quòd ſi domeſticæ aues fuerint ad maiorem ſiccitatem parentur cum hyſſopo, ſaluia, & adianto. Quales ſunt capones, gallinæ, faſiani, perdices, & ſimiles, De quadrupedibus autem ſunt, ei conuenientes. Vituli lactantes, hædi, iuuenes cuniculi, & tales, omnibus quidem præparatis cum hyſſopo, & enula, & fugiat omnes aues in aquis degentes, cum ſua humida temperatura ſint ei nocuæ, ut anſeres, & anates. & cet.

PISCES.

QVoniam apud Galenum ſexto de uſu partium, capite nono, compertum eſt omnibus animantibus. Piſces frigidiores eſſe, naturaque hu mido abundãtes. Ideo illos D. S. non concedimus. Illos ſanè, qui in cænoſis, & ſordidis aquis ueſcuntur. Porrò & qui in paludibus, & lacubus capiuntur, excrementitia namque, & mucoſa eſt admodum eorum omnium caro, auctore Galeno ter

tio de potentiis alimentorum, capite uigeſimo quarto.

Fluuialium namq; piſcium non adeo ei noxia eſt, corũ caro,& tanto minus,quanto fluminis aqua rapida, & multiflua eſt, ipſius enim torrentis fluxu piſces fatigantur. Quo fit, ut eorum caro minus excrementitia,minuſq; mucoſa ſit.

Piſces autem,& non ualde grandes,qui liberum, & purum mare natant,ſunt ei parum boni,maximè cum uentorum difflatu agitatum attollitur, ut dixit Galenus tertio, de potentis alimentorum,cap.XXIIII. In ſilente namq; mari,nulliſque agitato fluctibus, tàto piſcium caro uilior eſt quanto minus exercitata.Saliti piſces ei contumaces ſunt, propter illud Galeni ſecundo,de comp.med.s.l. cap.XVIII. Sal anxiatiuum eſt propter grauedinem,& maximè in capite & thorace.

OVA.

QVæ ab animantibus oua naſcuntur, à Galeno tertio, facultatis alimentorum,cap.XXI.inter hominum numerantur alimenta,quorum ſummam alimoniæ laudem gallinarum oua obtinent, eorum autem uitellus eſt ei cõueniens,pluſquã albumen. Sintque oua ex eſu ſuo comuni,recentia,& non diu aſſeruata. Dixit enim Galenus libro dicto,optima ſunt recentiſsima oua,peſsima perquan diu aſſeruata, dura quoque oua ſunt ei nocua, Porrò ſint tremula oua,atque ſorbilia,quæ ei concedimus iuxta Galenum eodem in loco, ubi ait. Tremula molliaue oua, omnium belliſsimè nutriũt,& in aqua ſint cocta, ob id quod in feruentibus cineribus aſſata, longè tardioris ſunt meatus,& craſsioris ſucci. Neque eius oua in ſartagine condimento parentur, quoniam ut ait Galenus deterrimi ſunt alimenti,dum namque in ſartagine coquuntur,nidorem, ac fumum edunt, ſuccuſque ex eis prognatus, non ſolum craſſus,uerum etiam prauus,& excrementitius eſt,& ſpirationi incommodus. &c.

DE

DE LACTE.

LAc numerandum eſſe inter cibos, qui ab animalibus proficiſcuntur, compertum eſt à Galeno tertio, de uirtutibus alimentorum, capite decimo quarto, & in libro de cibis boni & mali ſucci, ſi attendimus capiti D.S. ei nequaquam dabimus lac, propter illud uerbum Galeni quinto, aphoriſmorum cõmento ſexageſimo quarto, ubi ait, Lac uero, quod benè coquitur nutrit, & bonos facit humores, & dum coquitur his pariter attollit ilia, & caput tangit. Vbi uerò pulmonem inſpexerimus, lac ei condonabimus diluit enim, & abſtergit, atque pulmonem mundificat, ut dixit Galenus quinto de morbis curandis.

BVTYRVM.

CVm ex eo quod in lacte pinguiſsimum eſt, butyrum progignitur, atque leniendi facultatem ſibi conducat, & molliendi, concoquendique, & reſoluendi uim habet, auctore Galeno decimo, ſimpliciummedicamẽtorum, capite undecimo, certè D.S. butyrum non denegarem, præſertim ſi butyrum elotum fuerit aqua hyſſopi, & adianti. & cet.

CASEVS.

CAſeum à tota ſui natura D.S. contumacem arbitror, & quanto antiquior, tanto deterior, & calidior, & urẽtior, concoctionique contumacior, & deterrimi alimenti procreator, ut ait Galenus tertio, de facultatibus alimentorum, capite decimo ſexto. &c.

FRVCTVS.

EOs fructus, quos arboreos appellitant, qui hominum cibos adiuuant, auctore Galeno ſecũdo alimentorum, capite ſeptimo, à tota ipſorũ rei natura D.S. edendos non darem. Hi enim quorum mollis, atque humida eſt conſiſtẽtia, nedum tenuem, humidamque ex ſe alimoniam corpori afferunt, uerũ & flatuoſam, cerebro, & uentribus ac pulmoni noxiã, quales ſunt ficus, pira, poma, perſica, armenia-

ca,cerasa,pruna, & huiuſmodi. Nempe ſi ut pueri uoraci appetentia pulſus, quempiam horum cuperet,maturas ficus,ueluti minus nocuas concederem, minus namq; praui ſucci adgenerant omnibus his,qui fugaces,& autumnales uocantur fructus, & ſi penitus huius uitii non immunes reddantur ficus, iuxta Galenũ ſecundo alimentorum, capite octauo.Porrò poma,& pira ſub feruentibus cineribus cocta nonnunquàm eſitare poterit, excalfaciens enim ignis, nedum humidum nocuum minuit, uerum & ſpiritum flatuoſum ſenſim excernit,ſoluitque.

Verum enimuerò cum ſolidæ conſiſtentiæ fructus adfuerint, qui adſtringente ui admodum pollent, eos certè D. S. non concederem.Qualia ſunt cidonia,meſpila,ſorba nuces,& huiuſmodi, hi porrò nedum in tranſeundo non celeres ſunt,uerum & craſſum atque glutinoſum, adſtringentemque ſuccum progignunt, omnino ſpirationi nocuum. Atqui huius adſtrictoriæ facultatis dulces amigdalæ nihil ſortitæ ſunt,quippe abſtergendi, *& extenuandi ui* pollent,Quo fit,ut ſuæ D. idonea eſca comprobentur,atq; neq; caput grauitabunt,ſi poſt earum excorticationem tribus in calida aqua horis permanſerint.

Nuces autem auellanæ adſtringentis facultatis ui pollent, auctore Galeno ſecundo alimentorum,capite uigeſimo octauo. Quo fit,ut nedum hæ,& iuglandes nuces ei eſca efficiatur nocua, uerum fluxiones deſuper mouentes difficilem reddunt ſpirandi facultatem.

LEGVMINA.

OB id quod legumina nulla gratia,nullaque iucunditate prædita ſunt.Quippe & flatibus admodum implent uentres,auctore Galeno primo,de potentiis alimentorum,ea proculdubio D.S. cuiuſuis generis paratus fuerint,ingratas eſcas pronuntiabo.&c.

OLERA.

OLERA.

QVæ ex oleribus eſitare debet S.D. excalfacientia, atque exſiccantia ſint. Qualia ſunt hyſſopus, ſaluia, betonica, fœniculus, adiantum, & huiuſmodi, hæc enim craſſos, & frigidos humores, hærenteſque attenuant & abſtergunt. Quæ uerò frigidæ, & humidæ ſunt temperaturæ ei nocua ſunt. Qualia ſunt lactuca, endiuia, beta, ſpinachia, & huiuſmodi. Vbi uerò ex ambobus comunem parabis eſcam peridoneum erit. Neque terræ bulbi, qui mordaci acrimonia præditi ſunt ei concedendi, Qualia ſunt allia, cæpæ, aſcaloniæ, porri, & talia, nedum enim tangunt caput uerum defluxu ad thoracem pulmonem replent humiditate adſtringente ſpirationis organa, porri tamen, ſi cocti ſub cineribus uel in aqua cum melle parētur, ei eſca peridonea cenſetur. &c.

EXERCITIVM.

AIt Galenus primo, de tuenda ſanitate. Humani corporis excogitata dimotio non ſolum, ad ſanitatis tutelam, uerum & ad bonam corporis habitudinem neceſſariam eſſe priſci omnes prædicarunt. Quo fit, ut ei plus conueniat moderata dimotio, quàm immoderata quies. Dum tamen D. S. præſentia Aſthmatis non corripiatur. &c.

SOMNVS, ET VIGILIA.

SI ambo, ſomnum, uidelicet, & uigiliam coniectari uoluero, hæc fieri ſecundum innati caloris motiones cōperiam, auctore Galeno ſecundo aphoriſmorum, commēto primo, ſomnum quidem ad intima corporis, uigiliam autem ad exteriora, natiuo calore promoto. Quam ob rem cum in ſomno multo, natiuo calore ad intima uocato, ex halitibns multa quantitas capiti ingeratur, quibus fluxiones ad cauitates membrorum conducuntur. Idcirco nollem D. ſuam multo gaudere ſomno. Cauitatis enim thoracis plenitudo, ſpirandi facultatem difficilem reddit,

non ab re ipſam diuturno ſomno priuari crediderim.

ACCIDENTIA ANIMI.

GAudeat patiens,& non triſtetur,nam mœſticia,ſeu triſtitia reuocat ſpiritum,& calorem ad cor , & exteriora algeſcunt membra auctore Galeno , de ſymptomatum cauſis. Quo fit, ut cum algor inimicus ſit thoraci ex mœſtitia ſpirandi facultas lædatur.&c.

REPLETIO.

NEminem admirari uelim,ſi uitioſam ciborum,atque potuum repletionem , & malorum ſuccorum ſimplici uerbo damnari dignoſcet. Sanè cogor id fateri, Galeni uerbo primo aphoriſmorum,commento tertio,ubi ait cum enim uaſa cibis, & potibus fuerint ſupra modum repleta, periculum eſt , ne diſrumpantur , aut calor natiuus ſuffocetur. Quam ob rem quoniam patiens timore ſuffocationis terretur,non impleatur , uentres quoque moderate inanire cogatur,aut cibi,& potus parſimonia, aut ſenſim cum purgatorii medicamenti euacuatione, qua membra humorum abundantia non grauentur,quod facultati ſpirandi peridoneum eſt.

Cum iam à nobis oſtenſum quali uictus ratione nobilis hic Dominus tuendus ſit,alteram rem nunc aggrediar, quam morbi profligandi facultatem , Galenus libro primo , de tuenda ſanitate appellat . Nempe quoniam morbus diutinus eſt, ut & alii morbi longi, ob craſſos, lentos, ac frigidos humores fiet , quo fit , ut non facile concoqui poſsint,auctore Galeno ſecundo aphoriſmorum, commẽto decimo nono . Quippe & in patientibus partibus adeo humores hi impacti, agglutinatique ſunt,ut eorum diſpoſitiones magis præduris tumoribus , quam inflammationibus aſsimilentur,ut Galenus eodem in loco ſenſit. Idcirco curationis modus ſuæ affectionis eadem die medicari, uti in acutis morbis,non modo irrationalis,uerum & fallax,atque periculoſus,auctore Galeno primo aphoriſmorum,

rum,commento uigeſimo ſecundo, quo fit, ut ſenſim huiuſmodi affectum medicari operepretium ſit. Tum altero die morbi cauſam concoquendo, tum concoctum excernendo, ut docuit nos Galenus primo aphoriſmorum, cõmento uigeſimo quarto,& ſecundo aphoriſmorum commento nono.

Sane igitur nullo prorſus ductus errore mihi ſuadeo, D.S. binis medicationibus per anni temporis ſpatium medicari oportere. Vna uernali, altera uerò autumnali tẽpore. Quippe huiuſmodi medicationes præcauentes erunt morbum,qui futurus eſt,atq; curantes illum, qui iam imminet,ut præcauendi, atque curandi morbum,eodem ſcopo amplectar.

Initio igitur ueris pereunte. D.S. medicamentis purgari iubeo.Porrò purgationibus peridoneum eſt id tempus, auctore Galeno in libro de ſanguinis miſsione, uerũ quoniam, Hippocrates nos edocuit ſecundo aphoriſmorum, commento nono,& Galenus primo aphoriſmorum, cõmẽto uigeſimo quarto. Vbi uidelicet corpora purgare uolueris,oportet fluida facere,mihi nempe aſſuetudo eſt fluidum in primis corpus efficere, medicamento à latioribus uiis excrementa eiiciente ne à prauis eorum flatibus principalium uires offendantur,& hæ imbecilliores factæ proximam morbi cauſam conſocio adhuc calore concoquere nequeant.Hunc igitur medicandi modum expediam quotidianis ſorbitionibus,quibus aſthmatis, & catarrhi cauſa concoquetur.

Primum igitur deuoret D. S. ueſperi priuſquàm uentrem impleat,quod ſequitur.

Floridæ caſsiæ recenter eductæ.drac.x. accipito pulueris hyſſopi,atq; betonicæ,glycirizæ ue,æqualiter dra.i. ſumito omnia miſceto,& bolum conficito,& uorandum dato.

Altero nempe ſuccedente die priuſquã ſolis ortus ad nos pertingat, ſequentem antidotum admodum com-

non ab re ipſam diuturno ſomno priuari crediderim.

ACCIDENTIA ANIMI.

GAudeat patiens,& non triſtetur,nam mœſticia,ſeu triſtitia reuocat ſpiritum,& calorem ad cor, & exteriora algeſcunt membra auctore Galeno, de ſymptomatum cauſis. Quo fit, ut cum algor inimicus ſit thoraci ex mœſtitia ſpirandi facultas lædatur.&c.

REPLETIO.

NEminem admirari uelim,ſi uitioſam ciborum,atque potuum repletionem, & malorum ſuccorum ſimplici uerbo damnari dignoſcet. Sane cogor id fateri, Galeni uerbo primo aphoriſmorum,commento tertio,ubi ait cum enim uaſa cibis, & potibus fuerint ſupra modum repleta, periculum eſt, ne diſrumpantur, aut calor natiuus ſuffocetur. Quam ob rem quoniam patiens timore ſuffocationis terretur,non impleatur, uentres quoque moderate inanire cogatur,aut cibi,& potus parſimonia, aut ſenſim cum purgatorii medicamenti euacuatione, qua membra humorum abundantia non grauentur,quod facultati ſpirandi peridoneum eſt.

Cum iam à nobis oſtenſum quali uictus ratione nobilis hic Dominus tuendus ſit,alteram rem nunc aggrediar, quam morbi profligandi facultatem, Galenus libro primo, de tuenda ſanitate appellat. Nempe quoniam morbus diutinus eſt, ut & alii morbi longi, ob craſſos, lentos, ac frigidos humores fiet, quo fit, ut non facile concoqui poſsint,auctore Galeno ſecundo aphoriſmorum, commẽto decimo nono. Quippe & in patientibus partibus adeo humores hi impacti, agglutinatique ſunt,ut eorum diſpoſitiones magis præduris tumoribus, quam inflammationibus aſsimilentur,ut Galenus eodem in loco ſenſit. Idcirco curationis modus ſuæ affectionis eadem die medicari, uti in acutis morbis,non modo irrationalis,uerum & fallax,atque periculoſus,auctore Galeno primo aphoriſmorum,

rum,commento uigeſimo ſecundo, quo fit; ut ſenſim huiuſmodi affectum medicari operepretium ſit. Tum altero die morbi cauſam concoquendo, tum concoctum excernendo,ut docuit nos Galenus primo aphoriſmorum, cōmento uigeſimo quarto,& ſecundo aphoriſmorum commento nono.

Sane igitur nullo prorſus ductus errore mihi ſuadeo, D.S. binis medicationibus per anni temporis ſpatium medicari oportere. Vna uernali, altera uero autumnali tēpore. Quippe huiuſmodi medicationes præcauentes erunt morbum,qui futurus eſt,atq; curantes illum, qui iam imminet,ut præcauendi, atque curandi morbum,eodem ſcopo amplectar.

Initio igitur ueris pereunte. D.S. medicamentis purgari iubeo.Porrò purgationibus peridoneum eſt id tempus, auctore Galeno in libro de ſanguinis miſsione, uerū quoniam, Hippocrates nos edocuit ſecundo aphoriſmorum, commento nono,& Galenus primo aphoriſmorum, commēto uigeſimo quarto. Vbi uidelicet corpora purgare uolueris,oportet fluida facere,mihi nempe aſſuetudo eſt fluidum in primis corpus efficere, medicamento à latioribus uiis excrementa eiiciente ne à prauis eorum flatibus principalium uires offendantur,& hæ imbecilliores factæ proximam morbi cauſam conſocio adhuc calore concoquere nequeant.Hunc igitur medicandi modum expediam quotidianis ſorbitionibus,quibus aſthmatis, & catarrhi cauſa concoquetur.

Primum igitur deuoret D. S. ueſperi priuſquàm uentrem impleat,quod ſequitur.

Floridæ caſsiæ recenter eductæ.drac.x. accipito pulueris hyſſopi,atq; betonicæ,glycirizæ ue,æqualiter dra.i. ſumito omnia miſceto,& bolum conficito,& uorandum dato.

Altero nempe ſuccedente die priuſquā ſolis ortus ad nos pertingat, ſequentem antidotum admodum com-

modam, atque ſeptem non intermittentibus diebus epotam, ac tepidam tribues. Craſſos nempe, ac glutinoſos, frigidoſque humores concoquit, attenuat, & diſrũpit. Quippe obſerata pulmonis orificia aperit, & hoc ſpirandi facultatem admodum iuuat.

Hyſſopi, praſsii, betonicæ, florum ſtæcados arabici, ungulæ caballinæ æqualiter quantum manus capere poteſt, glycirizæ mundæ, paſſularum ſine oſſe, æqualiter. Vnci. med. Zyzipha, ſebeſten, æqualiter numero quindecim. Coquantur, colenturque, & cum melle, & colatura fiat ſyrupus. Imponito autem tu in panno lineo ligata hæc in ſyrupo. Semina cartami, tartari, uini albi, pulmonis uulpis, armoniaci, æqualiter. drach. I. & unica ebulitione ebuli, iterũ colato, & uſui ſeruato, & patienti ſic miniſtrato. Prædicti ſyrupi. Vnc. ii. accipito, & cum aquæ diſtillationis hyſſopi, & betonicæ, æqualiter Vnc. ii. potui dato.

Cæterum octaua die, indiciis concoctionis apparentibus priuſquàm nox è tenebris ad lucem uertatur medicamento ſic purgetur: Helenii glycirizæ, paſſularum. Vnc. med. accipito, ſebeſten, zizipha æqualem numerum accipies ut. x. florum boraginis & bugloſsi, & hyſſopi, & praſſii, & betonicæ, & ſtæcados, æqualiter drach. ii. accipito, omnia ebullito, colatoque. Et ſic utere agarici optimi per horas nouem in oxymellite. additis granis ſex zinziberis infuſi drach. ii. Diaſebeſten lenitiui. Vnc. I. ſumito. Electuarii de dactilis drach. ii. & med. apponito, & ſimul omnia prædicta cum ebullitione diſſolue, in potu tribue.

Inſtante uerò ueris tempore permeante æſtate poſt, iuberem iis in temporibus ſequentibus præſidiis uti D. S. Alternis diebus, mane tribus antequam eſitare uelit horis, ſequentis mixturæ. Vnc. med. ingurgitet. Mannæ electæ. Vnc. iii. accipito. caſsiæ recenter eductæ. Vnc. I. ſumito, quibus penidiarum. Vnc. iiii. & olei dulcium amigdalarum recentis, unciam unam apponito, & omnia bene miſceto,

& uſui

& uſui ſeruato.

Item iubeo D. ſuam repente cum mane lectum exierit crura à genu ad pedes ſequenti balneo diluere, chamæmelum, betonicam, ſtæcadem, calamentum, abrotanum, ſampſucum, ſaluiam, hyſſopum, æquis portionibus accipito. Radices enulæ, & ebuli æqualiter apponito, omnia ſimul in aqua ebullito donec aquæ tertia pars diſſoluta ſit, & colato, & uſui ſeruato.

Item conſulo omni ueſperi cum uult cubare, ſequentis mixturæ coclearia tria ingurgitet, dormiatque.

Succum hyſſopi, & praſsii, & enulæ æqualiter accipito, uidelicet. Vnc. ii. & unica ebullitione bulliant, & pulmonis uulpis in puluerem redacti. drach. ii. & penidiarum ſimiliter unciam unam, & candi ſimiliter in puluerem ducti addi ti. Vnc. med. & oxymellitis lib. unam & mediam, miſceto, & ebullito ad oxymellitis medietatem conſumptam, & reliquum pro patiente ſeruato.

Item Hortor D. ſuam eodem in tempore iuſculum galli antiqui per ſeptem dies continuos prope diluculum ſic præparatum ſorbere.

Gallum antiquum uiuum fatigato, flagellatoque, nondum mortuum, poſt uerò ipſum decollato, ut bene à toto ſanguine mundus permaneat, ipſumque euiſcerato, & aqua thuſsilaginis diluito, uentrem illius rebus mox dicendis impleto, ſuitoque, & uſque ad carnis conſumptionem coquito, preſsioneque uehementi colato, tota ſuperante pinguedine amota, ſic utere.

Galli uentrem primo ſic adimpleto, adiantum, thuſsilaginem, glycirizam mundam, paſſulas enucleatas æquali pondere unciam unam, aſſumito, zizipha, ſebeſten, numero æquali, quindecim, Semina cartami, tartarum, uini albi æqualiter. drac. I. & facito ut dixi.

Deinceps illius iuſculi bene colati. Vnc. VI. aſſumito, cui hyſſopi, & oxymellitis ſyrupi æquali pōdere unciam unā

apponito,& potui prope diluculum patienti calidū dato.

Octaua uerò die priuſquàm per duas horas ſol oriatur ſequentes pillulas ingurgitet. Recip. de pillulis agarici meſuæ, drach. I. pillulas quinque conficito, eaſq; deglutito.

Ob errata, quæ in uictus ratione contingunt non modo morbi fiunt, uerum & ab anni temporibus, quorum naturæ, atque mutationes morborum naturis affines ſunt, auctore Galeno tertio aphoriſmorum, commento decimo nono, & primo aphoriſmorum, commento decimo quarto. Quare cum hyberno tempore cerebri affectiones uigere ſolent, auctore Hippocrate tertio aphoriſmorum uigeſimo tertio, non ab re autumno procedente D. S. iterato purgatoriis uti medicamentis, ut ab initio curationis expoſui, facile iuberem. Quam ob rem cū autumni tempus ad nos aderit, eam ſeptenis inſcriptis ſorbitionibus nullo intermittēte die priuſquàm nobis ſol eluceſcat, uti uelim. Recip. ſyrupi de praſsio, ſyrupi de hyſſopo, ſyrupi de liquiritia, ſyrupi de betonica, ſyrupi uiolati ana. Vnc. med. de aquis, ut betonicæ, capillorum ueneris, & hyſſopi, & æquales partes, ut Vnc. I. miſceto, & potui dato.

Cæterum cum coctionis indicia apparuerint, ſic purgato. Recip. pillularum cochiarum almanſoris, pillularum de agarico meſuæ. ana. drach. med. ex his pillulas quinque conficito, & ante lucem exhibeto.

Hyberno uero tempore ſuccedente, quod experientia frequentius didici, id D. S. ſalutare præſidium non ambigo, ſi octo dierum temporis interuallo terebinthinam bis non impleto adhuc uentriculo mane D.S. capiat. Quippe aſſumptionis menſura ſit drachmarum ſex, uidi hoc apud Galenum quinto, de tuenda ſanitate, ubi ait, ſimiliter & terebinthi reſina, ſumitur aliquando nucis ponticæ magnitudine, aliquando duarum, triumue. Quippe non modo aluum ſoluere citra noxam poteſt, ſed etiam uiſcera omnia, iecur, lienem, renes, pulmonemque abſtergere.

Poſtremo

Poſtremo uenirem ego interrogandus, ſi iis, quæ prædiximus nullum aperte iuuamentum laboranti ſuccedat, an aliquam illius particulam urere idoneum fuerit. Nempe neminem ambigere uellem opus illud, quod à nobis manu poſita urendo efficitur, poſtremum præſidium medici appellitant. Porrò dico ſi iis, quæ in uictus ratione præcedente ſermone conſcripta ſunt, nullum D. S. præſidium cõcapeſcat, minuſque iis, quæ medicamentorum potionibus diximus, iubeo alteram illius particulam urere, peridoneum fore. Quippe quod à me expertum eſt, ſi deorſum in cruribus fiat, in dextro quidem crure uſtio, à genu diſtanter ſpatio digitorum quattuor inter duos illius muſculos in parte ſylueſtri inſigne præſidium D. S. aſſociabitur. Quippe & hæc uia eſt ad præſentes morbos D. ſuæ curandos, & futuros præcauendos, nempe hac uſtione facta, humores, qui caput, & thoracem, & neruoſas corporis partes occupant, ad exteriora eo foramine euacuantur, auctore Galeno ſexto epidimiarum, ad illius bene merentis gloriam, qui nos gubernat, & regit. Amen.

FINIS.

AD ASTHMA.

Pro Nobili & magnifico domino Fortunato Martinengo. Brixienſi.

Conſilium XIX.

Nobilis, & Magnificus Dominus Fortunatus de Martinengo Brixienſis complexionis quippe ex natura cholericæ, ſicut potui ex eius corporis habitudine cognoſcere, ſorte eius aduerſa tenetur Aſthmatica diſpoſitione, crebro enim anhelitu, qualis currentibus accidit, afficitur, ut ſic patiens non inueniat excuſationem à frequenti anhelitu cum quo feſtinanter laborat, ac ſi præfocaretur. Huius namque diſpoſitionis cauſam præcedentem putamus, pituitoſum humorem abundantem uel in toto, uel in parte corporis, aptum ad inſtrumenta ſpirationis condeſcendere, & permaximè à capite, ſicut uoluit Galenus in libro de cauſis morborum, ubi ait. Eas igitur quæ in animali ipſo conſiſtunt, ſiue affectus ſit, ſiue motiones præter naturam, cauſas præcedentes morbum nominant. Et dixit Galenus tertio aphoriſmorum, commento uigeſimo ſexto, uerbum iſtud, ſententiam noſtram confirmans. Hæc uerò anguſtia ſcilicet anhelitus fit repleto uiſcere ab his, quæ deſuper ueniunt fluxionibus. Et eodem libro, commento trigeſimo primo dixit. Aſthmata uerò hoc eſt crebri anhelitus ex capite diſtillationibus ortum habent. Huius autem præcedentis cauſæ indicium ſumitur ex ipſius patientis confesſione cum dicat ſe à morbo leuari, cum à capite profluuio pituitoſæ materiæ non occupetur. Quippe eo laborante expuitionibus ipſis & mucorum excretionibus admodum releuatur, Quippe

huius

huius cauſæ indicium certius aſſumetur, ſi procatharticā cauſam cerebrum extrinſecus lædentem quis conſiderabit præparare,& adiuuare ad hanc præcedentem cauſam.

Coniuncta uerò cauſa huius morbi,quo tenetur is nobilis patiens,eſt præſentia multæ pituitæ in uiis anhelitus, & maximè ipſius pulmonis,ut dixit Galenus tertio aphoriſmorum,commento uigeſimo ſecundo,& trigeſimo primo. Ea enim obſerantur meatus pulmonis,ut libere anhelitus non exercitetur,ſed impedimentum contingat inſpirationi,& reſpirationi.

Et fortè non male cogitarem,ſi ſui morbi cauſam coniunctam dicerem fore uentoſitatem multam, comitātem eſſentiam pituitæ,ex qua generatur,ut dixit Galenus quinto aphoriſmorum ſeptuageſimo ſecundo.Et indicium huius eſt,cum huius morbi duratio non multam trahat moram,ſed in non multo tempore uel frictionibus, uel aliis, uentoſitatem diſſoluentibus facile amoueatur, & quoniā cauſa hæc coniuncta huius morbi, quandoq; eſt per eſſentiam in pulmone laborante,quandoque uerò per conſenſum ab alio membro , ut ait Galenus tertio aphoriſmorū, trigeſimo primo .Ideo puto morbum ſuæ Dominationis non ſolum pendere ex diſtillationibus à capite irruentibus in pulmonem,uerum & uitio ipſius pulmonis, uel tēperaturæ,uel compoſituræ.

Huius igitur morbi admodum periculoſi, Magnificus patiens petit à nobis ſalutaria præſidia, quibus præſeruetur,ne cadat in talem lapſum,& ſi ceciderit in eum, facile releuetur auxilio Dei concurrente.

Nos igitur ſuis honeſtis petitionibus ſuccurrentes, tria percurremus inſtrumenta medicinalia, quibus intentum ſuum,aſſequetur.

Primum quidem inſtrumētum eſt uictus ratio, tanquā nobilius inſtrumentum, quo quilibet morbus curari debet,ut dixit Galenus in libro experimētorum cap.ultimo.

Cum

Cum igitur aer ambiens nos admodum corpus noſtrũ mutet, ut tertio artis medicæ dixit Galenus, & aer quippe ambiens nos eſt, ſine quo nec tolli morbus, nec teneri ſanitas poteſt, ut Dixit Galenus nono methodi uerſus finem. Ideo ab aere exordiendo dicemus, Quod aer conueniens D. ſuæ debet eſſe clarus, atq; ſubtilis, ne impuritate, & craſſitie, ſpirandi uires perturbet, auctore Galeno in primo de tuenda ſanitate, ubi ait. Idem de aere iudicandum, quem optimum in pulmonem extrahere omnibus ſalubre eſt. Optimum enim aerem cenſeo, qui prorſus ſit purus. Sit autem aer calidus, & ſiccus, non multum quidem, neq; frigidus, partibus enim thoracis inimiciſsimum eſt frigidũ, cum deſtillationes ex capite compreſsione quadam thoracem offendant, atque pulmonem, ueluti etiam aer nimiũ calidus eandem conducit diſpoſitionem, auctore Galeno quinto aphoriſmorum, commento uigeſimo quarto, & uigeſimo ſecundo. Non ab re igitur iuberem moderato calido caput ſuum munire, atque thoracem.

Nempe etiam ſi natura aer calidus, ſiccuſque defecerit eo in loco, quo dominatio ſua moram trahit, aut hybernum fuerit tempus, leuibus aromatum ſuffitibus utatur, dum patientis capitis grauitas non adfuerit, iuxta illud Galeni quinto aphoriſmorum, commento uigeſimo octauo, ſuffitus aromatum &c. At aromata hæc ſunt cinnamomum, gariophyllum, macis, ambra, lignum aloes, cortices citrii, arantiæ, & huiuſmodi. Quod ſi eidem pergratum fuerit clarum ignem inſpicere, & permaxime hyberno tẽpore, ſit ex lignis roriſmarini, iuniperi, & lauri, uel ex ligno terebinthi, uel terebinthinam concreante, uel ex illo quod uſitato uocabulo lignum laricis appellitant. Hic enim ignis proficuus eſt admodum, quoniam ſui natura aptus eſt membra thoracis, & anhelitus ad rectitudinem naturæ, conducere, ut ait Auicenna ſecundo canone, capite. CCCX.

DE

DE PANE.

PAnis uerò eius triticeus ſit,& non ex aliis granis,cum minus ipſe flatuoſus ſit, quod ſanè aſthmaticis maximè opitulatur, ex triticeis namque panibus peridoneus eſt ille,qui ex tritici ſimula cõditus eſt.Sincerisſimus enim panis eſt naturalia non grauitans,non inflans,neque deorſum aluum implens, quæ omnia aſthmaticis iuuamẽtum præſtant.Sitque panis non admodũ fermentatus,ſui enim ſuperfluente acetoſitate,membris ſpirandi noxius eſt. Nõ ſit quippe ſalitus,cum ſal anxietatem parit,& præcipue in capite,ut ait Galenus ſecundo,de compoſi.med.s.l. Sitque eius panis non admodum coctus,ut qui cruda, incoctaq; interiora habet,& cruſtacea ambuſta,& obarida, hic enim deterrimus panis eſt, & ſtomacho, & membris anhelitus contumax,auctore Galeno primo alimentorum capite ſecundo.Et ſit eius panis duorum dierum ad minus, & non edatur calidus, cum à natura non ſit receptibilis, & natat propter ſuam humiditatem uaporoſam, & nocuus aſthmaticis, ut dixit Auicenna ſeptimo canone. cap.DLXXIII

DE VINO.

CVm uini potus damnum D.ſuæ ingerat,nedum eam hauſtum guſtare ſuaſerim, uerum & omnis uini potionem denegarem, cum enim eius caput repleri ſit inutile.Vinum autem halitu caput replet. Idcirco uinum illi nocuum erit. Puto igitur potum peridoneum D. ſuæ debere eſſe ex hydromelite coctionis hyſſopi calefacientis,& exſiccantis.Quòd ſi ob conſuetudinem,uel inordinatam illius uini appetentiam ad uini cogatur potionem,ſit eius uinum album imbecillium uirium,ut caput minimè percutere ualeat. Et non ſit nigrum, non craſſum, non robuſtum,& auſterum,neque turbidum, & nocuum, cũ hæc uinà aſthmaticis contumacia ſint. Vinum album autem tenue, atque quadam dulcedine delectabile. D. S. con-

camentorum ſecundum locos,capite decimo.Non ab re à tota rei natura ei piſces non concedimus, illos maximè, qui in cænoſis,ac ſordidis aquis naſcuntur, & qui in paludibus,& lacubus capiuntur.Eorum enim caro excrementitia,& mucoſa exiſtit,anhelitus facilitatem impediens.Fluuialium namque piſcium caro, non adeo ei noxia eſt,& tãto minus,quanto fluminis aqua rapida,& multiflua eſt,ut ipſius torrentis fluxu piſces admodum fatigentur. Quo fit,ut eorum caro minus excrementitia,atque mucoſa reddatur,omnium uerò piſcium caro optima eſt,qui in puro natant mari,& non nimis grandium, omnes igitur ſaxatiles piſces ei propter eandem rationem concedimus, dum à ſalitis piſcibus etiam D. S. cauere debet.

DE OVIS.

CVm inter animantium oua ſummam nutritionis laudem gallinarum oua obtineant,ea porrò patiẽti idonea eſſe concedimus,& præſertim uitellum,cùm albumen adſtrictoriam teneat facultatem, aſthmaticum incommodantem,& ſint oua recentia, & non diu aſſeruata, & non ſint cocta,ſeu dura,cum ſint difficilis concoctionis, & tardi tranſitus. Porrò ſint tremula atque ſorbilia quæ ei concedimus oua,cum expeditius deſcendant,& belliſsimè nutriant,ut dixit Galenus tertio,alimentorum uigeſimo primo.Sint eius oua in aqua decocta,& non in feruentibus cineribus aſſata, longè enim tardioris ſunt meatus, & craſſioris ſucci.Quæ etiam in ſartagine ad craſsitiem uſque friguntur ei deterrima ſunt. Dum namque friguntur nidorem,ac fumum edunt,noxium ſatis facultati ſpirandi.&c.

DE LACTE, CASEO, ET BVTYRO.

CVm omnia lacticinia,quæ ex iniecto coagulo fiunt,acrimoniam accipiant,ideo ea omnia patienti denegamus.Lac autem ſine coagulo,& recenter mulctum ei con-

cedimus, cum etiam eidem concedamus butyrum recens, cum eius facultas ſit molliendi,& materiam exiſtentem in uiis pulmonis præparandi ad facilem ſcreatum.

DE OLERIBVS.

OLera,quæ patienti aſthma conueniunt, ſunt excalefacientia,atque exſiccantia,qualia ſunt hyſſopus mentha,calamentum, fœniculus, ſiſimbrium,ſaluia,betonica, & ſimilia. Quibus,ſi his iuncta ſint quæ molliendi uim quandam habent,aſthmati peridonea erunt, quoniam facilem reddũt ſcreatum,ſicut ſunt,borago,bugloſſum,malua,althea,& huiuſmodi. &c.

DE FVNGIS.

FVngi quouis modo condiendi parati, ſunt ei nocui cũ ex fungis non interficientibus fiat præfocatio, ut dixit Auicenna ſecundo canone.

DE FRVCTIBVS.

OMnes fructus crudi, cuiuſuis generis ſunt ei contumaces,cum abundent larga humiditate in ſpiritum flatuoſum facile uertibili,qui admodum aſthmati nocuus eſt, coctos uerò fructus aliquando capere poteſt propter id quod calido ignis humidum, quod in ſpiritum flatuoſum in eis uerti poteſt facile diſſoluitur. &c.

DE LEGVMINIBVS.

CVm legumina nulla gratia, nullaque iucunditate cõmendentur,quippe & flatibus uentres implent, auctore Galeno libro primo, de potentiis alimẽtorum ea proculdubio cuiuſcunque fuerint paratus ingratas eſcas huic patienti pronuntiabo eà etenim admodum inutilia, & facilitati ſpirationis contumacia ſunt.

DE EXERCITIO.

VT nobilitas patientis optimam ſibi conducat ualetudinem præcipere oportet,ut corporis motione,atque

exercitatione gubernetur. Sit autem eius leuis motio, & exercitatio non quippe uehemēs,& impetuoſa, quoniam is facile motus reſpirationes frequentes fiunt, agitanturq; materiæ in uiis pulmonis exiſtentes,difficilem conducentes anhelitum. Igitur tempore quo ſua D. paroxiſmo tenetur,non moueatur,neque exercitetur, niſi quodam motu frictiones fiant in extremitatibus maximè,quibus materiæ diuertentur à membris reſpirationis. Non exercitetur autem tempore,quo liber eſt à paroxiſmo impleto uētre, ea inquàm motione uaporibus plerumq; impletur caput,fluxiones deſuper cadentes ad ſpirationis inſtrumenta progignentibus,admodum aſthmaticis noxias, potiſsimum igitur eius exercitatio ſit ante cibum,quoniam ea uirium corporis robur,augere ſolet,ut ait Galenus ſexto de locis affectis, capite ſexto, &c.

DE SOMNO.

CAueat D. ſua à multo ſomno,quoniā in ſomno,multo natiuo calore ad intima uocato ex halitibus multa quantitas capiti ingeritur, quibus fluxiones ad cauitates thoracis,& pulmonis conducuntur. Idcirco nollem patientem multo gaudere ſomno, & minimè quippe gaudeat diurno ſomno,cum ex eo cauſa difficultatis ſpirandi concreſcat, porrò namque cum in uigilia ſpiritus à corde ad pulmonem difflant, craſſos, & glutinoſos humores in bronchiis pulmonis ingeſtos, conſocio calore attenuant, atque diſrumpunt, ob id patientem maiori tēporis interuallo, uigilia lætari uelim, Quòd ſi uetuſtam multi ſomni,ac diurni aſſuetudinem nunc poſsideat,ſenſim negligat & perdat, ſeruato Galeni præcepto, ſecundo aphoriſmorum. L.

DE GAVDIO.

GAudeat patiens, gaudio quippe moderato, eo enim non ita ualido motu,ac feruore fertur animata facul-

tas

Qua ſanguinis miſsione neglecta, initio ueris aduentante ipſum medicamento purgari iuberem. Primum igitur deuoret patiens quattuor horis priuſquàm uentriculum impleat, id quod ſequitur. Floridæ caſsiæ recenter eductæ. Vnc.I.ſpecierum ieræ ſimp.Galeni.drach.I.glycirizæ in ſubtilem puluerem conductæ.drach.I.accipito, bolum facito, & dato.

Eo porrò die eo uictu regatur madidi panis in pullæ iuſculo decoctionis hyſſopi & enulæ, modiciſsimumq; pullæ carnis eſitet. Altero uero ſuccedente die, ſole iam primũ orto, ſequentem potionem ei commodam, atque ſeptem diebus epotam, ac tepidam ſorbeat. Recip. Radicum enulæ Vnc.iii. hyſſopi, praſsii, ſaluiæ, glycirizæ, ana. Vnc.I. aniſorum, maratri, ana. drac.ii. gummi arabici, drachacanti, ana. drachm.I. penidiarum. Vnc.I. Quæ ſimul in limpida aqua ebulliant, conſumpta illius medietate, ſuppreſsis his decoctionem colato, & cum melle ſpumato, iterum ebullito, ut complete coquatur, quam ſic potato. Recip. decoctionis dictæ. Vnc.ii. oxymellitis. Vnci.I. aquæ thuſsilaginis. Vnci.iii. miſce pro uno potu. Octauo uerò die. Sanè indiciis concoctionis apparentibus priuſquàm nox è tenebris ad lucem uertatur, tali purgetur medicamento.

Recip. Mannæ electæ. Vnc.I. diaſebeſten lenitiui drach. VI. Agarici paululo zinziberis addito merſi in oxymellite temporis interuallo horarum decem. ſcropul.iiii. conditi de dactilis. drach. ii. cum decoctione communi pectorali conficiatur potus, & detur. Huius namque medicamenti opere exacto, confeſtim iubeo patiẽtem potare iuſculum paratum, ut in ſequentibus per decem continuos dies. Accipe gallum antiquum uolatu, atque flagello feſſum, & decollatum, abſque aqua pennis denudatum, quippe euiſceratum, & uino albo aromatico peroptimè dilutum, atque modeſte ſalitum accipito. Cuius uacuam aluum his paululum diſruptis impleto. Accipe hyſſopum, ſaluiam, ſampſu

cum,

cum,ſiſimbrium,enulam,zizipha,ſebeſten, dulcem radicē abraſam,de quolibet.Vnc.med.cum his adde aniſum, cartamum, fœniculum, de quolibet. p.I. adde quoque gummi arabici,drachacanti, ana.drach.II. penidiarum. Vnc.III. omnia in galli aluo ſuito,& in perlucida aqua quoad galli carnes ab oſsibus ſeparentur coquito, & preſſo gallo, atq; eiecto iuſculum colato,& ipſum ita potandum dato.Reci. iuſculi galli dicti. Vnc.VII. oxymellitis. Vnc.I. prope diluculum exhibeto,quoad decimus finierit dies, continuato. Vndecima uerò die accedente,ſequenti purgatorio utere. Recip.pillularum cocchiarum.ſcropul.II.agarici præparati. drach. med. cum melle roſato pillulas quinque conficito. &c.

Poſtremo eo temporis interuallo, quo totum hyemale atque æſtiuum tempus finietur, duobus cuiuslibet ſeptimanæ diebus,iubere uellem,priuſquàm cibis uentrem impleat,drach.VI. ſuccedentis mixtionis accipiat. Recip. floris caſsiæ.Vnc.I. mannæ electæ. Vnc.I.& med. pulueris diadraganti frigidi.drach.III.penidiarum. Vnc.II.pulueris thimi,hyſſopi,ana.drach.I.pulueris pulmonis uulpis. drach. I.& med.zucchari,quant.ſuff.& fiat mixtura.

Vellem quoque,ut eadem purgatione autumni tempore aduentante uteretur, aduentante quoque uernali tempore, iuberem patientem, ut omnibus ſeptem diebus bis caperet ſequentem bolum. Recip. terebinthinæ dilutæ cū aqua altheæ drach.VI.pulueris dulcis radicis,drach.I.miſce pro una uice.

Quo uerò ad tertium inſtrumentum,quod eſt manuum operatio, certe nullo errore ductus ſententiam Galeni, & principis ſequēs iuberem,quòd ſub genu in utroque crure in parte ſylueſtri per quattuor digitos inter duos muſculos cōduceretur cauterium & teneret ipſum apertum, eo enim foramine humores à toto corpore conducentur, & ſpirandi facultas exonerabitur.

Recordor

Recordor etiam Nobilitatem patientis, conſiderare, quanti præſidii ei erunt adminiſtrationes thermarum naturalium mineræ ſulphureæ, & aluminoſæ, ut ex Galeno ſeptimo, de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, poſsimus colligere. Futuro igitur uere ad nos accedente, iuberem D. ſuam ſubmitti balneis apponenſibus, quæ in comitatu ſunt Patauino, & in potu talia ſunt ei adminiſtranda, & in Ducia aquæ cadentis ab alto ſupra commiſſuram coronalem.

Hæc dicta ſunt à me
Benedicto Victorio Fauentino Anno
Chriſti M D XXXIX.
Die XV. Iulii.

AD PHTHISIM.

Pro quodam Monacho

Conſilium XX.

DOctor Excellens, Literas tuas mihi gratiſsimas, grata, & hylari fronte ſuſcepi, quibus horrendum caſum cuiuſdam Reuerendi Monachi, cuius affines, amicitia, ac beneuolentia mihi plurimum iuncti ſunt facile percepi. Et ut illis, & tibi (ut debeo) ſatisfaciam, quantum facultates ingenii mei promittunt, tantum pro ſanitate adipiſcenda huius nobilis ægrotantis, ſi Deo optimo placuerit pronuntiabo.

Offertur igitur mihi literis tuis,æger,qui tabe & phthiſi tenetur ætatis ſuæ annorum . XVIII. temperaturæ quippe naturalis calidæ,& humidæ,quas affectiones præceſsit ſanguinis ſcreatus à pulmone ob uenæ illius roſionem diſtillatione continuè non immuni aliquando à uitio ſalſedinis,& acuminis irruente à capite ad pulmonem ipſum,& ad hunc quidem ſanguinis ſcreatum , ſequutus eſt puris ſcreatus cum tuſsi,& cum his omnibus duplici genere febris tenetur, affixa uidelicet, quam ethicam dicunt,& putrida ortum habente à putredine humorum.

In his quippe omnibus , ut ex literis tuis facile conięctari poſſum , ueni de multis interrogandus. &c.

Primo ſi æger ſic affectus à nobis deplorãdus ſit, & prognoſticis relinquendus.

Secundo ſi non ſit æger omnino deſperandus,nunquid ſalutare remedium ſit aliquam eius particulam urere.

Tertio uſtione partis peracta,ſi lactis exhibitio,& cuius ſit ei conueniens,& in omnibus ſuis affectionibus, idoneũ ſit præſidium & ſalutare.

Quarto ſi quiſpiam ratione edoctus,nulli horum conſenſerit, quæ præſidia præſentanea erunt ei ſi deo libuerit idonea,ut nobilis æger ad ſuam redeat ualetudinem.

Horum primo ſatisfaciam ſic, ait Hippocrates ſeptimo aphoriſmorum . XV. A ſanguinis ſputo puris ſputum , & ad hoc,ut ait Galenus quinto aphoriſmorum, commento nono. Tabes maximè ætatibus à decimo octauo anno ad trigeſimum quintum, & dixit Galenus tertio aphoriſmorum , commento . XXX. Moriuntur autem & ex tabe hac ætate,& ex iuuenibus quicunque ex ſanguinis ſputo in tabem incidunt ex ea moriuntur.

Secundo inquit Galenus quinto methodi uerſus finem Ex his uerò , qui ulcus in pulmone habent,ii demum inſanabiles mihi uidentur,qui ex ſucci eroſione id poſsident, quorũ aliqui ceu ſalſilaginem ſputũ ſuum ſentire ſe aiunt,

Tertio

Tertio dixit Galenus quinto methodi, at ubi moriendum ægro prorſus eſt, ſi phthiſi ſemel exceptus eſt, alieniſſimum à ratione eſt, à minoribus inchoaſſe.

Quarto dicam ego de Galeno quod & ipſe dixit de Hippocrate ſecundo de diebus decretoriis, capite decimo tertio, ubi ait, quod ea, quæ in aphoriſmis ab Hippocrate dicta ſunt, non ſunt neceſſariæ ueritatis, ſed eorum, quæ frequentius eueniunt, & ſic eſt de conſuetudine ſua ſic loqui.

Quinto dico quod hic nobilis æger non eſt in deſperatione relinquendus, quoniam beneficio artis medicatiuæ, opere dei, & naturæ adiuuante, ipſum poſſe ſanari non ambigo, cum crediderim, licet de hoc nihil certus ſim per literas tuas, morbum non eſſe adeo firmatum, ut æger omnino deploratus ſit. Et ego etiam iudicatos ſanaui, quos etiã curare docuit nos Galenus quinto methodi ubi ait aduerſus eriſtratum. Minime igitur ſicut medicorum nonnulli cenſent à paruis incipiendum auxiliis eſt, nec ſicut illi dicunt ſentiendum, iſta ſcilicet prius eſſe tentanda, mox ſi nihil profecerint aggredienda maiora, nam in morbis, in quibus periculum non impendet, uera ea opinio eſt, at ubi moriendum prorſus eſt, ſi phthiſi ſemel exceptus eſt, alieniſsimum à ratione eſt à minoribus inchoaſſe. Et eandem ſententiam habuit Galenus quinto methodi, capite decimo ſecundo, translationis antiquæ. Et Auicenna decima tertii propter confidentiam, quam in zuccharo roſaceo tenet.

Ad quæſitum ſecundum, ſic dico, cum æger non ſit penitus deſperandus, ubi uirtus etiam conſtaret, & fortis eſſet febris, non eſt commiſſuræ coronali uſtio condonanda iuxta illud Auicennæ prima quarti, & caue, ne membro principali fortia applices medicamenta, ſcilicet cum corpus magna febre fuerit detentum. Vbi uero pus in pectore, & partibus pulmonis extiterit, & etiam febre corripere tur æger, præcedente totius mundificatione, urerem ſcapu

 las

las obtemperando præcepto Hippocratis libro ſecundo, de paſsionibus,& uenirem cum albucaſi dicente. *Vſtio*nem illam à capite diſtillationem deriuare,& ſimul materiam purulentam in pectore iacentem deriuabit,& ipſam euacuabit.

Ad tertium quæſitum.Dico primo, ſi febri ethicæ, iungitur putrida, ſi ualde fortis fuerit, nequaquàm iuberem lac exhiberi propter aphoriſmum. LXIIII. quinti aphoriſmorum,& rationem quam innuit galenus in commento.

Dico ſecundo, ſi ethicæ non iungitur febris multum fortis, uel ubi iungitur ei febris diuturna, & parua, ſic febrienti potum lactis admitterem, iuxta illud Hippocratis quinto aphoriſmorum. LXIIII. Conuenit uerò & tabidis dare,qui non ualde multum febricitant,& in febribus longis,& paruis,ſi nullum ex ſupradictis ſignis adfuerit, & tu uide aphoriſmum. &c.

Dico tertio,ſi etiam ethicæ manifeſta febris iungeretur illi non denegarem lac,alterarem tamen lac alteratione febri manifeſtæ conueniente,ueluti hali in de regali diſpoſitione ſic.

Recip. Aquæ portulacæ, aquæ ſeminum communium frigidorum maiorum, ana. Vnc.VIIII. lactis aſinini, uel caprini.Vnc.VI. miſce,& bulliant ad conſumptionem aquæ, & exhibeatur lac in potu tepidum ieiuno ſtomacho, & quieſcat,& non ſuperdormiat,neque exercitetur.

Dico quarto. Quòd lactis potus conuenit in ethica & phthiſi, quæ eſt cum ulcere pulmonis, & totius corporis conſumptione, hanc ſententiam habes, à Galeno quinto, methodi, decimo ſecundo. Et ab Auicenna ſecundo canone,capite.CCCCXLII.& ab Hippocrate libro ſecundo de paſſionibus.

Dico quinto,quod Nobilius lac in ulceribus pulmonis poſt humanum lac,eſt lac aſinæ hoc dixit Galenus quinto, methodi,& tertio eiuſdem, & Auicenna decima tertii, &

ſecundo

ſecundo canone,& Hippocrates ut ſupra.

Ad quartum quæſitum. Dico, quod hæc ſunt remedia à me experta,& admodum utilia, &c.

In primis facta totius corporis mundificatione, conſulo, ut bis in ſeptimana in ſputo puris ſine ſanguine in diluculo capiat ſequentem potum.

Recip. Aquæ lactis caprini. Vnci. VIII. ſucci abſinthii. Vnc.I.zucchari.drach.ii.miſce.pro una uice.

Hoc experimentum, collegi ex Galeno quarto ſimplicium pharmacorum diſtinctione quarta, capite ſecundo, ubi agit de ſapore amaro medicinarum.

Item conſulo, ut omni mane capiat.drach.ii. ſequentis pulueris cum ſyrupo mirthino.

Recip. papaueris albi. drach.VI.gummi arabici,amidi, dragaganti, ana. drach. ii. ſeminum portulacæ, ſem. maluæ, ana. drach.iii. quattuor ſeminum frigidorum maiorũ omnium, mundatorum ana.Vnc.med. ſpodii,ſucci glycirizæ,ana. drach.ii. penidiarum ad pondus omnium torreſiant torrefienda,& ex his fiat puluis ſubtilis.

Item conſulo,ut cum certa quantitate huius pulueris addatur conſeruæ teſtudinis.Vnc.iiii.conſeruæ capillorum ueneris.Vnc.iii.& cum zucchαro quantum ſufficit fiat electuarium de quo pluries die,noctuque capiat ad quantitatem nucis.

Hæc currenti calamo.

FINIS.

AD PRAVAM STOMACHI AFFECTIONEM

Cum ipſius ſtomachi,& coli dolore, necnon alui ſuppreſsione coniunctam

Pro nobili quodam germano

Conſilium XXI.

NObilis quidam Germanus complexionis a` Dominio bilioſæ,non multum tamen re cedentis a` ſubdominio complexionis ſan- guineæ ut per ſigna mihi relata exactiſsime poſſum diiudicare. Eſt enim eius corporis habitudo non pinguis, ſed muſculoſa, & magnis muſculis contexta per hoc quod non pinguis, & multum carnoſa non a` dominio ſanguinea dicetur, per hoc uero` quo`d magnis muſculis uelata,comitantiam ſan- guinis non fugit,per hoc autem quod piloſus eſt, & pilis nigris,& facilis ad iram,habenſque uocem fortem, & ali- qualiter craſſam, & color in facie ad nigredinem uergit a` dominio,concludam ipſum etiam complexionis bilioſæ. Eſt epatis calidi ſignum, eſt totius corporis complexio cholerica,in quam declinat epar, & ſi per communitatem ab epate debuiſſet eſſe cerebri calidi, & ſicci, propter ta- men ſuperuenientem complexionem factum eſt cerebrũ eius calidum,& humidum,ſtomachus eius frigidus eſt, & debilis digeſtiuæ,tum per eſſentiam, tum per communita tem a` cerebro deſtillante ad ipſum ſtomachum, Eſtque debilium inteſtinorum multiplicantium mucoſas mate- rias, & uentoſitates multas, conqueritur hic Nobilis de forti dolore ſtomachi tanqua`m de prima diſpoſitiõe præ- ternaturali,a` qua ſepius moleſtatur, cui coniungitur debi

litas

litas uirtutis digeſtiuæ eiuſdem,tum propter dolorē pro‐ſternentem uirtutem, & attrahentem multitudinem ſu‐perfluitatum ad ſtomachum,quibus grauatur membrum & obtunditur eius uirtus, tum etiam propter continuum deſcenſum defluxus ad ſtomachum, quo relaxatur mem‐brum,& grauatur, & uirtus eius in opere ſuo debilitatur, & ſic cauſam doloris ſtomachi in eo puto ultra malitiam complexionis,quam ſcilicet ex dolore, & ex multitudine ſuperfluitatum coaceruatarum in eo eſſe deſcenſum reu‐matis ad ipſum à capite. Cum enim materia catarrhalis ad ſtomachum deuenit ipſa non idonea pro operibus na‐turæ derelinquatur ab opere naturæ, & debili calore ſto‐machi conuertitur in flatum extendentem tunicas ſtoma‐chi,& dolores cauſantem.Conqueritur ſecundo,de colica, cui iungitur dolor renalis calculoſus,& acerbus,coli dolo‐ris cauſa eſt præſentia flatus in inteſtino colo demandati à ſtomacho, & geniti in inteſtinis etiam ex phlegmate,de bilitate ipſorum inteſtinorum,& diminutione ſui caloris: Doloris uerò Renalis cauſa eſt præſentia phlegmatis,in re nibus,& uentoſitatis,quorum utrumque multiplicatur à ſtomacho,& inteſtinis debilibus ad ipſos renes.Quòd ſi la pilli,uel arenulæ in eo appareant, hoc fiet cauſa caliditatis renum ab epate ſubtile phlegmatis in renibus reſoluen‐tium,& craſſum terreſtræ in lapidem coagulantium.

Conqueritur tertio,de alui aſtrictione, ut uix in tribus diebus poſsit egerere,& huius cauſam puto uel eſſe multi tudinem flatuum craſſorum obſtruĕtium meatus egeſtio‐nis,uel aliquam obſtructionem uiæ tranſitus bilis ad inte‐ſtina non potentis irritare uirtutem expulſiuam inteſtino rum ad expellendum feces,niſi difficulter uel eſſe nimiam epatis, & renum caliditatem mire exſiccantem feces, red‐dentem ipſas inobedientes curſui.

Huic igitur Nobili Domino ſuccurrendum eſt in om‐nibus diſpoſitionibus, à quibus præternaturaliter mole‐

ſtatur

ſtatur,& primo ſuccurratur dolori ſtomachi cum debilitate uirtutis digeſtiuæ eius,& ſuper hoc eſſent duæ intentiones, prima circa debitum regimen in ſex rebus non naturalibus, ſecunda circa exhibitionem medicinarum.

Primo igitur, & pro regula obſeruetur, quod omnia, quæ illi offerenda ſunt caliditatem naturalem totius,& ſtomachi roborent, & ab omnibus abſtinendum eſt, quæ ipſam minuant,debilitent,& corrumpant.

Iccirco de aere.Eligendus eſt aer ad calidum declinans non multum,ſed ad moderatum,quoniam aer multæ caliditatis ad diſſolutionem faciet, quia contraria caliditate corrumpit caliditatem naturalem, obſeruetque ne aere frigido utatur nam eſt illi ualde noxius.

De ſomno attendat magis ſomno, quàm uigiliæ, & dico quod ſomnus ſuper cibum proportionate poſt horam factus confert,quoniam multum roboratur calor naturalis in proceſſu,ſi debilis fuerit,& caueat à ſomno ſuper inanitionem, quoniam tunc humidum innatum diſſoluit,& uirtutem debilitat,& dormiat capite decenter eleuato,propter catarrhum. Vitetur ſuperflua repletio, quoniam naturalem caliditatem ſuffocat, & extinguit, unde paucitas cibi cum digeritur debilem uirtutem digeſtiuam corroborat.

De quiete, dico quod quies poſt cibum ſumptum eſt conueniens, & motus inconueniens. Gaudeat, & non triſtetur.

Sed ad cibum & potum condeſcendo.Euitet omnia unctuoſa,& pinguia multum,& omnia,quæ naturaliter mouent nauſeam,ut inteſtina, & caudæ animalium,& caro anſeris,& anatum, non ſint etiam cibaria inſipida,ſed paululum ſalita,& odorifera,quoniam uirtutem naturalem ſtomachi roborant.Cuius roboratio eſt radix ſuæ curæ.Vitentur quoque omnia actualiter,& potentialiter frigida,quia propter eorum contrarietatem ad calidum naturale difficulter

culter digeruntur, & ſic flatus generant, & dolorem conſeruant. Et propter hoc uitentur fructus, & maximè acetoſi, & ſucci eorum, & aranciarum & limonum, & omphacium, & acetum, & uina debilia, & aquoſa, & reliqui fructus frigidi, ut ceraſa pruna &c. & piſces omnis generis, cibaria de paſta, & carnes lacuſtres, ſed generaliter ſit eius cibus modicæ quantitatis, & facilis digeſtionis ex parte manifeſte qualitatis, & modi ſubſtantiæ, & conuenientiæ occultæ, ita tamen, quod ſemper declinet ad calidum, & ad temperatum humidum, & propter hoc carnes auium montanarum ſunt ei cõuenientiores, ſpecialiter ergo oua ſorbilia ſunt ei conuenientia, quoniam multi nutrimenti, facilis digeſtionis, & modicarum ſuperfluitatum, & poſſunt eius carnes, & oua condiri cum modico cinnamomi. Vinum ſit uinoſum non multum acutum, clarum, & album, uel nigrum non multæ nigredinis. & cet.

Ad Medicinalia iam me conuerto. Et primo pro regula obſeruet, quod in caſu ſuo non utatur medicinis ſolutiuis laborioſe euacuantibus, & à reliquis membris, & à ſtomacho, & inteſtinis. Secundo obſeruet pro regula, quod ſingulo die aluum exoneret, uel natura, uel arte, ut cum clyſteri lenitiuo, uel cum iſto medicamine ſequenti, ut Recip. folliculorum ſenæ, paſſularum enucleatarum, ana manipulum medium, bulliant in iure pullæ uſque ad conſumptionem tertiæ partis. Deinde colentur, & colaturæ adde zucchari uiolati uel Iulep uiolati, unciam mediam, & exhibeatur per duas horas ante prandium. Conſulo deinceps, ut bis in anno digeratur materia, cum iſto ſyrupo.

&c.

Recip. ſyrupi de duabus radicibus. Vnc. I. mellis roſ. col. Vnc. med. aquæ betonicæ, Adianti, cicorii, ana unciam unam, miſce, & utatur eo quinque diebus ſexto autem

HHH die

die in aurora utatur ſequēti pharmaco. Recip. Diaſebeſtē lenitiui.Diacatholiconis. ana.Vnc.med. Reubarbari electi drach.I. ſpicæ, grana.VI. Ellectuarii de dactilis, ellectuarii indi ana, ſcropul.ii.& med.miſce,& fiat potus, cum decoctione communi florum, & fructuum, facta purgatione in hora doloris,ſi poſsibile eſt in hora doloris prouocetur uomitus, quoniam multum confert deinde quieſcat per horam, & poſtea roboretur ſtomachus cum hac fomentatione Recip. olei de lilio,olei de ſpica. ana.Vnc.iii. olei laurini,olei aneti,olei chamæmeli ana. Vnc.ii. miſce,& infundatur filtrum, & ſtomacho calidum ſuperponatur, quòd ſi per hoc dolor non ceſſet, fiat infraſcriptum remedium. Recip. panem extractum de furno magnum diuiſum per medium, & mel extendatur ſuper alteram partem, & ſuperaſpergatur puluis ex cymino, aneto, galanga, & maſtice, & ſuperponatur ſtomacho, Quòd ſi hæc non conferant; fiat ſequens fomentatio cum ſpongia. Recip. florum chamæmeli, meliloti abſinthii, mentæ, pulegii, calamenti,ana Manipulum unum, gariophyllorum, macis, nucis myriſticæ, ligni aloes, ana drachmam unam, galangæ,zedoariæ, cimini, ana drachmas duas, miſce, & contundantur craſſo modo pro fomentatione quæ fiat in aqua & uino. Deinde ungatur ſtomachus ſequenti unctione.Recip. olei de ſpica, Abſinthii, maſticis, ana Vnc. mediam,nucis myriſticæ, ligni aloes, ana drachmam unam, cæræ quantum ſufficit fiat unguentum.Vtatur quoque patiens quolibet menſe per ſex dies confectione infraſcripta per duas horas ante prandium. Recip. ſpecierum Diagalangæ, Diarhodon abbatis pulueris diadragāti frigidi,ana drachmam unam & mediam, mithridati boni, drachmam mediam, zucchari optimi quantum ſufficit fiat confectio in rotulis. Doſis eſt drachmæ duæ.

Vtatur quoque in præſeruatione à coliddore, & ſtomachi infraſcriptis piillulis bis in menſe.Recip. ſerapini,

colocynthidos

colocynthidos, diagridii,ſalis gemmæ,ana drachmam mediam, galangæ, macis, croci, ana ſcropulum unum, aloes loti, drachmas duas, in pollinem redigantur omnia ſubtiliter, & cum ſucco menthæ fiat paſta pillularum, doſis eſt, ſcropul.ii.

Aliæ autem illius malæ diſpoſitiones, cum ortum habeant à prædicta tanquàm à radice, & cauſa, Ideo regimen præcedentis diſpoſitionis eſt cura ſequentium. Quare de his ſufficiat.

Benedictus Victorius
Fauentinus
Dixit.

AD AFFECTIONES QVASDAM,

Præſertim ad debilem uentriculi concoctricem facultatem,

Pro nobili & egregio comite Fabritio à Bagno.

Conſilium XXII.

NObilis & Magnificus Comes Fabritius, ex Nobili, & Magnifica domo Comitum de bagno, temperaturæ quippe naturalis bilioſæ, cum inſigni ſanguinis admixtione, epatis calidi, & renum calidorum, non minoriſque eſt caliditatis eius cor, eſt & certe cerebri abundantioris humiditatis, & ſtomachi ualde imbecillis. Patitur ſorte ſua mala affectionem ſtomachi præter naturam, ideſt debilitatem uirtutis concoctricis, ob quam ſequitur ipſius ſtomachi labor, & fatigatio in concoquendo, propter quod ſentit illius laſsitudinem, & quandoque dolorem, pendentem nedum à præſentia materiæ in ſtomacho, uerum & à ſpiritu flatuoſo per diminutam illius concoctionem progenito, ad quas affectiones ſeruandas, atque augmentandas occurrit defluxio ferè continua humiditatis aquoſæ à cerebro ad ſtomachum, quæ in eo concreta, & inobediens cōcoctioni, cruditatibus replet ſtomachum, At ob debilitatem natiui caloris illius, continue in eo adgeneratur flatus, qui ſtomachi pelliculas tendens, dolorem procreat, atque laſsitudinem. Corripitur igitur Nobilitas ſua dolore, & laſsitudine uentriculi cum ſtillicidio humiditatis aquoſæ à cerebro ad uentriculum. His igitur mouetur nobilitas ſua, non tantum noſtri ſufficientia freta, quantum amicitia, & beneuolentia ad inquirendum à

nobis

nobis ſalutaria præſidia, quibus ad optatam ualetudinem diuino fauore facile perducatur, Nos autem præceptis illius amice obtemperantes. Huic ſuæ petitioni ſatisfacere curabimus, ad has igitur affectiones propellendas, triplici utar uia, prima erit rationis uictus, ſecunda medicinarum exhibitio, tertia manuum actio.

AER.

PRo prima uia ſit aer illius, uergens in calorem, & ſiccum, non tamen multum à temperato recedentem, ne aliquando maiorem à capite fluxionem admoueret, indiget enim illius cerebrum plus humidum caliditate reſoluente, & non attrahente, quoniam ſic non grauabitur caput, neque materia defluet ad ſtomachum, laſsitudinem & dolorem illius excitans.

Panis eius ſit de flore farinæ non nimium coctus, ita, ut cruſtacea, ambuſta, aridaque ſint interioraque incocta; hic enim deterrimus eſt panis, & nō ſit antiquus, ſed duorum dierum ad plus.

Vinum eius ſit album, tenue, non acidum, neque admodum potens, ſed mediocris ſaporis, non dulce, ſed ſatis guſtui delectabile, non nigrum multæ nigredinis, ſed mediocris coloris, uti galli claretum uocant, nos autem cereſolum dicimus, & pauca aqua apponatur, uel nihil, ſi catarrhus non opponitur, & non bibat ſi poterit niſi apud cibum.

Carnes ſint paucæ quantitatis, & boni nutrimenti; Auium, uidelicet, pullorum gallinarum, capponum, faſianorum, perdicum, pullorum columborum, Turturum, Turdorum, & omnium Auium degentium in arboribus præter ſturnos, & omnium Auicularum degentium in pratis, & nemoribus. Quadrupedum uerò carnes conueniunt ei, uti uituli, annualis

lis caſtrati, cuniculi iuuenis, ſuilla uerò caro, ac bubula ſunt ei malæ, leporina ſatis conuenit, agnina minime, & capreoli caro, ac ceruii non eſt ei multum contumax. Et omnes hæ carnes plus ei conueniunt elixæ, quàm toſtæ. Toſtæ uerò ſine pinguedine ſuilla, ſalitæ carnes ei ſunt contrariæ.

Piſces autem à tota ſui natura ſunt ei contumaces. Sui enim larga humiditate, & capiti, & ſtomacho ſunt nocui, piſces uerò de mari parui, & non nimis grandes, minus mali ſunt, & ii, qui in torrente capiuntur, & præſertim ſaxatiles. Qui uero in aquis ſtantibus, & in paludibus ueſcuntur, admodum nocui ſunt. Piſces omnes, ſaliti non conueniunt ei, quoniam ſal capiti noxium eſt. Si uerò aliquando liceat piſces comedere, ſint elixati, uel in ueru cocti, uel in craticulis, conditique ſint, quoquo modo coquantur cum ſaluia, roremarino, uel hyſſopo.

Oua gallinarum ei conueniunt, ſi recentia fuerint, & nō diu aſſeruata, & ſint ſorbilia, uel tremula, & non admodum cocta, & dura, & uitellus magis ei conuenit, minus uerò albumen, ſint quoque eius oua elixa, & non in ſartagine frixa, cum omnia, quæ friguntur humanæ naturæ contumacia ſint.

Butyrum, & lacticinia ſunt ei nocua, replent enim caput, & uillos ſtomachi laxant, & flatum progignunt, doloremque utrobique excitant.

Fructus omnes, quoniam abundanti humiditate ſunt præditi ei non proſunt, flatuoſi enim ſunt in ſtomacho dolores excitantes.

Olera, quæ frigida ſunt, & humida, uti lactuca, beta, ſpinachia, malua, & talia, ſunt ei inconuenientia. Quæ autem calida ſunt, & ſicca bene ei conueniunt, qualia ſunt, maiorana, ſaluia, betonica, roſmarinus, hyſſopus, petroſelinum, fœniculus, & ſimilia.

Terræ tubera nocent ei, & præſertim fungi, ſub quibus

ueniunt

ueniunt cucurbitæ, mellopepones, anguriæ, cucumeres, rapæ, radices, & huiuſmodi.

Legumina omnia ei nocent, & quæcunque alia, quæ ſpiritu flatuoſo ſunt prædita. Vbi uerò iuſculum cicerum rubeorum deſideret, paretur hyſſopo, ſaluia, roremarino, & cinnamomo.

Recordetur autem D. ſua lautius prandere, parcius uerò cænare, neque in una menſa uariis ciborum ſpeciebus utatur, laborabit enim uirtus ſtomachi, in digeſtione eorum, quæ etrogenea, & non unius ſunt naturæ. Et ob hác indigeſtionem replebitur ſtomachus cruditatibus, & ob eandèm cauſam non utatur carnibus auium, quæ in aquis degunt, ut anſerum, anatum, & huiuſmodi, earum enim carnes indigeſtibiles ſunt, uentriculum ſatis lædentes.

Caueat à ſuperfluo exercitio, quoniam reſoluit natiuum calorem membrorum naturalium, præſertim uentriculi, & ob eandem cauſam caueat à nimio coitu, uti ab inimico mortifero.

Plus Dominatio ſua uigilet, quàm dormiat, quoniam ſuperfluus ſomnus præſertim meridianus, multiplicat indigeſtiones, quæ uentriculum grauantes laſsitudinem, & dolorem conducunt.

Gaudeat Nobilitas ſua, & lætetur, uiuatque cum gaudêtibus, & lætis, lætitia enim uiuificat calorem, & ſpiritum, & tunc bona perficitur digeſtio, præſertim in uentriculo.

Fugiat repletionem, & crapulam & multi uini potionem, ab his enim opprimitur uirtus naturalis ſtomachi, crapulam illam, & multum potum non ualens corrigere. Quo fit, ut nedum in ſtomacho, uerum & in omnibus corporis membris laſsitudo, & dolores excitentur.

Secundam uiam aggrediar, ſeruata ratione uictus iam dicta, conſulo, ut bis in anno, uere uidelicet, & autumno purgationem capiat, accedente igitur ueris tempore primo ante materiæ digeſtionem prope diluculum capiat

ſequentem

ſequentem bolum.

Recip. floris caſsiæ nouiter tractæ, drach.VII. ſpecierum ieræ ſimpl.Galeni,drach.I.& med. miſce,& fiat bolus.

Vbi uero caſsiam abhorreret capiat ſequens pillulas. Recip.pillularum ſtomachalium comunium, pillularum de iera nicolai, ana.drachm. med. miſce cum melle roſato fiant pillulæ numero quinque.

Sequenti uero die omni mane in aurora bibat ſequentem ſyrupum per ſeptem dies continuos.

Recip. ſyrupi de betonica, ſyrupi de endiuia mellis roſati col. ana.Vnc.med.aquarum betonicæ, lupullorum cicorii,ana.Vnc.I. miſce.

Octaua uero die per tres horas ante lucem,capiat ſequētem potionem,& dormiat donec dies uenerit. Recip.Diacatholiconis, drach.VI. Reubarbari electi infuſi ſecundum artem,drach.I.& med.electuarii de dactilis, drach.I.& mediam. Diſſoluantur omnia cum decoctione comuni florum,& fructuum,& fiat potus.

Vbi uerò pillulæ eſſent illi magis gratæ, loco medicinæ capiat eadem hora ſequentes pillulas.

Recip. pillularum aggregatiuarum. ſcropul.ii. pillularum aurearum nicolai.ſcropul.I. miſce cum ſyrupo uiolato fiant pillulæ numero quinque.

Peracta uerò hac purgatione,conſulo, ut per totum tēpus æſtatis,omni menſe per ſeptem dies continuos tribus horis prius,quàm capiat prandium comedat bolum quátitatis nucis ſequentis mixturæ.

Recip. conſeruæ corticum citrii.Vnc.ii. diadraganti frigidi.Vnc.I. ſpecierum aromatici roſati drach.I.& mediam miſce cum ſyrupo de menta fiat electuarium.Et omnibus octo diebus mane in diluculo per totum tempus æſtatis capiat tres ſequentes pillulas,quæ ſunt ſine cuſtodia.

Recip. pillularum aſſaiaret, pillularum maſticinarum conciliatoris. ana ſcropulum unum, fiant pillulæ numero,tres

ro tres, cum ſyrupo uiolato.

Conſulo quoque, ut in menſe maii à principio per decem dies continuos, mane loco ſyrupi bibat ſequens ius pullæ ſine ſale.

Recip. iuris pullæ. Vnc. VIII. ſummitatum abſinthii uiridis. drach. i. & med. bulliat uſque ad conſumptionem tertiæ partis, & calidum potui detur.

Vbi uerò Dominatio ſua non turbaretur unguentis, laudarem, ut aliquando inungeret ſtomachum ſequenti unguento calido.

Recip. olei abſinthii, olei ſpicæ, olei menthæ, olei maſticis. ana. Vnc. med. nucis myriſticæ, ligni aloes, gariophyllorum, roſarum rub. corallorum rub. ana. ſcro. i. puluerizētur puluerizanda, & cum modico ceræ fiat unguētum molle.

Aduentante uero autumni tempore, conſulo, ut iterum purgetur, & primò per horam ante lucem capiat ſequentes pillulas ſuperdormiendo.

Recip. pillularum aggregatiuarum. ſcrop. ii. fiant pillulæ, numero tres, cum melle roſato.

Sequente uerò die prope dilucūlum bibat ſequentem ſyrupum calidum per ſeptem dies.

Recip. ſyrupi de betonica, ſyrupi de endiuia, ſyrupi de abſinthio, mellis roſati colati ana. Vnc. med. aquarū lupulorum, menthæ, cicorii, ana. Vnc. I. miſce.

Octaua uerò die capiat ſequentes pillulas per tres horas ante diem.

Recip. pillularum de iera cum agarico, pillularum ſtomachalium. ana. drach. med. miſce cum ſyrupo de mentha fiant pillulæ numero quinque.

Deinceps per totum tempus hyemis ter in ſeptimana, mane per tres horas ante lucem, capiat formulam unam ſequentis confectionis.

Recip. ſpecierū aromatici roſati, ſpecierū diagalangæ, ſpecierum pliris arcoticon, ſpecierū tria ſandalorū, puluerū,

diadraganti frigidi,ana.drach.med.zucchari albiſsimi diſ‐
ſoluti in aqua menthæ quantum ſufficit, & fiat confectio in rotulis duarum drachmarum pro qualibet,& ſtatim ſuperbibat hauſtum uini albi odoriferi.

Laudo quoque,ut ter, uel quater in menſe mane ſtomacho ieiuno bibat ſequentem potum.Recip.uini maluatici. Vnc.ii.aquæ endiuiæ.Vnc.i.& mediam, aquæ uitæ optimæ drach.ii.miſce pro una uice.

Conſulo quoque, ut aliquando Dominatio ſua ieiuno ſtomacho bibat ſequentem potum.

Recip.aceti optimi ſquilitici.drach.med.uini maluatici drach.ii.miſce,& bibe, & exerciteris moderate ambulãdo.

Laudo quoque ut per totam hyemem aliquando potet decoctum abſinthii iam dicti, & prædicto utatur unguento.

Vbi uerò hæc nõ contulerint,conſulo Dominationẽ ſuã debere bibere in uere ſequentis anni aquam Balneorum, uel de poreta in Gomitatu Bononiæ,uel de Abbano in Comitatu Patauino, ſeruatis ſeruandis in potu taliũ aquarũ.

Aduertat tamen Dominatio ſua ,quod priuſquam ſe expoſuerit prædictis operationibus, ſi indicia ſanguinis, uel plenitudinis in toto apparuerint,tũc mittatur ſanguis ex dextra baſilica,cuius ſanguinis extrahendi quãtitatẽ relinquo peritis Medicis tũc præſentibus,Aliter uerò nequaquã ſanguinis miſsionẽ quis aſſequatur. Hæc ſint pro tertia medẽdi uia in Dominatione ſua,cuius,& aliarũ præcedẽtium operationem deus piiſsimus foueat, fælicitetque.

Ego Benedictus Victorius Fauentinus Philoſophus, & Medicus, Anno Domini
M. D. XLIX. Die XXII.
Marttii.
Ita conſului.

FINIS.

AD MORBVM REGIVM ET HYDROPEM,

Pro Nobili & Magnifico Domino Georgio TrembecK Germano,

Conſilium XXIII.

NObilis & Magnificus Dominus Georgius TrembecK Germanus Eques Auratus, ſecundum quòd eius totius corporis habitudo edocet complexionis cholericæ naturaliter, Quippe & membrorum naturalium calidæ temperaturæ, & cerebri plus humidi, quàm calidi ex inordinato regimine in ſex rebus non naturalibus, præſertim cibi & potus, prius cecidit in morbum regium, quem Icteritiam ſolent appellare. Cuius cauſa fuit obſtructio meatuum epatis, quibus ſolitus eſt bilioſus humor ab epate expurgari, abſque præſentia apoſtematis epatis, nullo ſanè tumore apparente, Quo fit, ut dicamus cum Galeno ſexto aphoriſmorum, commento quadrageſimo ſecundo. Cum morbus alicui Regius acciderit, ſi tumor in epate apparuerit, proculdubio illius cauſa eſt epatis apoſtema, ubi uerò nullus apparuerit tumor, erit Icterus ab obſtructione meatuum epatis. Quo Ictero perſeuerante, præcipitata eſt cholera ad inteſtina pungens, atque mordicans, & corrodens ea, Quo fit, ut eius nobilitas in fluxum dyſintericum cum inſigni alui dolore ceciderit, crucieturque, ut nedum roſione uerum & dolore aluus tota debilitetur, multiplicans ſpiritum flatuoſum dorſo, & renibus comunicatum, quo utroque extenſo, utrobiq; dolore cruciatur dorſi, uidelicet, renumque, nempe ab his doloribus naturalia membra facta imbecillia præſertim

uentriculus,eius Nobilitas fluxu chyloſo afficitur.

Nempe cum multiplicata cholera in epate natiuam illius caliditatem dilaniet,non ab re eſt, ut frequens ille icterus conduxerit nobilitatem ſuam ad imbecillitatem concoctricis epatis, & eius facultatis ſanguificatiuæ ad hoc iuuante imbecillitate concoctionis uentriculi, & dolores alui,& renum, concauſæ ſunt debilitatis facultatis naturalis epatis, ob quam rem, nobilitas ſua in præſentiarum in hydropem cóciderit, uidelicet aſatem uitio facultatis ſanguificatiuæ epatis,& timpanité uitio concoctionis uentriculi.

Huius quippe affectionis præter naturam hydropicæ in nobili Domino cauſæ ſunt,primo procathartica inordinatum regimen in cibo, & potu adgenerantibus multitudinem choleræ corrumpentis natiuam caliditatem epatis. Secunda præcedens,& fuerunt prænominati morbi. Tertia coniuncta,& eſt aquoſitas, & uentoſitas intra mirac & ſiphac contentæ.

Huius inquá præſentanei morbi Dominatio ſua ſalutaria à nobis inquirit remedia,nos quippe Deo fauẽte & honeſtæ petitioni obtemperátes, eum ſic curabimus morbũ.

Dum non lateat nos curam hanc triplici debere fieri inſtrumento, uidelicet, ratione uictus medicinarum exhibitione,& manuum operatione.

Primo igitur inſtrumento regatur patiens parcitate cibi,& potus,edatque bis in die tantum, mane uidelicet omnibus eduliis computatis libram unam ſubtilẽ cibi edat, & ſi minus,ei peridoneum erit.Potus autem trium ſit unciarum ueſperi uero cibariorum unciis ſex, uel paucioribus ſit,contentus non bibat tunc ſi poterit, ſolum abluat ſibi os,ubi uero biberit,duas uini uncias non excedat.Priuetur omnibus iuribus,& omnino omnibus ferculis.Toſtæ ſint in ueru omnes eius carnes,priuſque parumper elixatæ,nullæ autem in ſartagine frixæ,caueat ab omnibus piſcibus,& omnibus animalibus aquas habitantibus,omnia

legumina

legumina ſunt ei nocua,& quæcunque edulia ſpiritum flatuoſum progignentia,ſicut caſtaneæ, & omnes fructus recentes, & quæcunque ſua humiditate,cum frigiditate corpus ſuum humectare ualent,nocua ſunt ei,ut mellopepones, cucurbitæ,anguriæ,cucumeres, & huiuſmodi, & quæ craſſos,crudos, & glutinoſos gignunt ſuccos,ſicut omnia condimenta de paſta azima, & caſeus cuiuſuis generis,ſalitus,uel non ſalitus . Caueat quoque à granis obſtructiuis, ut à milio,panico,riſo,& farro,& frumento,& hordeo.Caueat ab omnibus eduliis,ex oleribus,in quibus humiditas uiget,ut lactuca,ſpinachia,beta,braſsica,& huiuſmodi.

Vinum eius non ſit nigrum, craſſum, non dulce, non acre,non nouum,ſed album ſit,uel mediocris coloris,& ſaporis.Et omnino caueat ab aquadulci,& eius potus ſit parciſsimus. Caueat quoque nobilitas ſua à potu cuiuſcunq; liquoris cum cubare uoluerit.

Panis eius ſit de flore farinæ non multum fermentatus, neque admodum ſalitus,& incoctus.

Aer eius ſit calidus,& ſiccus,Quòd ſi natura reperiri nõ poterit,arte conficiatur,altereturue cum ſuffitibus aromatum,& igne lignorũ iuniperi,lauri,cupreſsi,& laricis, non habitet loca aquatica,ſed magis ad montanum uergat.

Plus uigilet,quàm dormiat,& maiori utatur exercitio, quã quiete,& caueat à ſomno diurno,& lætetur,& paſsiones animæ fugiat,quia humana corpora exterminant.&c.

CVRATIO PER MEDICINAS.

Conſulo, quòd obſeruata conuenienti uictus ratione, bis in anno purgetur,prius digeſta materia. Primo igitur autumni tempore currente, diebus ſeptem cõtinuis capiat in diluculo ſyrupum ſequentem.

Recip.ſyrupi acetoſi diarodon,ſyrupi de eupatorio,ſyrupi de endiuia,mellis roſ.col.an.Vnc.med.aquarũ cuſcutæ ſcolopendriæ,cicorii,an.unc.i.miſce. Octaua uerò die per horam ante lucem capiat infraſcriptam medicinam.

Recip.

Recip.Diacatholiconis.Vnc.I.Reubarbari electi, drach. ii. & med. infundatur Reubarbarum in aqua endiuiæ, & modico uini odoriferi, & cum granis. x. ſpicæ, & drachmis duabus ſucci ireos per. x. horas, deinde fiat fortis expreſsio, & cum decoctione comuni florum & fructuum, quantum ſufficit fiat potus.

Purgata materia conſulo, accedente hyeme omni menſe decem diebus continuis capiat in aurora ſequentes pillulas cum apozimate poſt, ex iure cicerum rubeorum, Recip. Trociſcorum de eupatorio, trociſcorum de abſinthio trociſcorum de Reubarbaro, ana ſcropulum unum miſce cum ſyrupo biſantino, fiant pillulæ numero quinque.

Vndecima uerò die capiat infraſcriptam medicinam, per duas horas ante lucem. Recip.electuarii de mezereon gentilis.Vnc.med. Reubarbari electi ſubtiliter puluerizati.drach.i.& med.ſpicæ gran. x. cum aqua decoctionis cuſcutæ,& agrimoniæ fiat potus.

In ſecundis uerò decem diebus menſis eiuſdem, capiat in aurora tribus diebus, de his decem infraſcriptum potum. Recip. ſucci braſsicæ marinæ quam ſoldanellam dicunt.Vnc.med.diſſoluatur cum Vnc.duabus mellicrati, & potui detur.

Tertiis uerò decem diebus eiuſdem menſis bis tantum in aurora capiat infraſcriptum potum. Recip. ſucci ireos, ſucci braſsicæ marinæ. ana.drach.ii.Reubarbari electi,ſcropul.iiii. ſpicæ gran.VI. miſce,& fiat potus cum mellicrato, prius trito in puluerem Reubarbaro, & ſpica, & irroratis cum modico uini albi odoriferi. Et nota quod ubi quis non haberet ſuccum braſsicæ marinæ capere poteſt puluerem eius herbæ exſiccatæ in eodem pondere.

Et nota quod diebus intermediis, quibus aſſumit hæc euacuantia ad epatis robur in aurora capiat ſequentem potum. Recip. ſyrupi de cicorio cum reubarbaro. Vnc.ii. iuris cicerum rubeorum.Vnc.iii.miſce.

Omnibus

Omnibus autẽ his diebus quibus utetur dictis præſidiis per os, conſulo, ut omni mane ungatur uenter eius cum ſequenti unguento calido. Recip. unguenti aragon, unguenti agrippæ ana. Vnc. ii. ſucci ireos, ſucci ebuli ana. Vnc. med. miſce cum modico ceræ fiat unguentum lento igne.

Et ut non ſtet ſemper cum uno unguento, conſulo, ut etiam aliquando utatur ſequenti unguento. Recip. emplaſtri de melliloto. Vnc. VI. olei amigdalarum dulcium. Vnc. I. olei rutæ. Vnc. iii. miſce, & extendatur ſupra lana ſuccida, & calidum uentri applicetur.

Item aliquando ſic operetur extendendo ſequens emplaſtrum, ſupra uentrem per totam noctem, mane uerò abluatur cum uino decoctionis ſaluiæ. Recip. ſtercoris caprini exſiccati, & pulverizati libr. ii. olei rutæ libr. I. ſucci ireos lib. med. ceræ quantum ſufficit, & fiat emplaſtrum molle, quod craſſo modo extendatur ſupra uentrem.

Vel aliquando fiat ſic. abluatur cum forti fricatione tota aluus cum urina pueri non polluti, præbullita cum ſale nitro, & calida.

Deinde ungatur uenter ſequenti oleo. Recip. olei rutæ, olei caſtorei. ana. lib. med. aquæ uitæ. Vnc. iii. miſce, & bulliant uſque ad conſumptionem aquæ uitæ, & uſui ſeruetur. &c.

Item aliquando ſuffumigetur uenter iſto modo. Ponatur eius uenter ſuper aſſerem perforatam ad inſtar magnitudinis uentris, & ſupponatur uaſculum decoctionis ebullientis, & fumum ſurſum præbentis infraſcriptarum rerũ. Recip. ſaluiæ, roriſmarini, foliorum lauri, nucum cupreſsi, ſampſuci, hyſſopi, betonicæ. ana manipulum unum, gariophyllorum, ligni aloes, macis, nucis myriſticæ, galangæ, zedoariæ. ana. dra. ii. ſulphuris uiui, nitri, aluminis, ana Vnc. I. miſce.

Vbi uerò ſuffumigium capere noluerit fomentetur aluus cum ſpongiis in dicta decoctione infuſis, & expreſsis,

& recordare, quod in omni hac adminiſtratione defenſetur epar ab unguentis,& fomentationibus.

Prætereunte uerò hyberno tempore, & accedente uere, conſulo, ut iterum purgetur à principio menſis Aprilis, ubi prima die capiat infraſcriptam bolum. Recip. Diacatholiconis Vnc.i. ſpecierum ieræ ſimpl.drach.iii. miſce, & fiat bolus,quem capiat in diluculo.

Sequenti uerò die in aurora capiat ſeptem de ſequentibus ſyrupis.Recip.ſyrupi de cicorea cum Reubarbaro,ſyrupi de endiuia,ſyrupi de abſinthio ana.Vnc.med.Aquarum lupulorum,cuſcutæ,cicoreæ.ana.Vnc.I.miſce.

Octaua uerò die capiat infraſcriptam medicinam.Reci. mannæ electæ.Vnc.i.& med.diacatholiconis.Vnc.med.reubarbari electi.drach.ii.ſpicæ gran.x. infundatur reubarbarum ut prius, & cum decoctione comuni florum, & fructuum fiat potus.

Facta purgatione conſulo, ut in menſe maii aggrediatur balnea nitroſa,ſulphurea, uel aluminoſa,& ibi potet aquam decem diebus, obſeruatis ſeruandis in potu dictæ aquæ,ſicut perfectiſsima ſunt Balnea de Abano Patauina, laudarem quoque, ut caperet lutum Sancti Bartholomei ſupra aluum, & plerumque ingrederetur foucas abanenſes.

Poſt uerò Balnea,conſulo, ut ſemel in ſeptimana capiat Infraſcriptum puluerem, diſſolutum in aqua decoctionis cicerum rubeorum.Recip.braſsicæ marinæ. Vnc.med.reubarbari.drach.med. ſpicæ grana.iii. terantur omnia ſubtiliter. &c.

Laudarem quoque,ut ſemel in menſe caperet infraſcriptas pillulas,Recip.pillularum aggregatiuarum, drachm. med.pillularum de mezereon.ſcropul.i. reubarbari electi. ſcropul.med.elaterii optimi,ſpicæ ana.gran.ii. miſce, cum ſyrupo biſantino fiant pillulæ numero quinque.

Laudo quoque,ut quotidie mane,& ueſperi duabus horis

ris ante cibum capiat bolum infraſcriptæ mixturæ. Recip. Diarodonis abbatis. Vnc. iii. diacurcumæ, Vnc. i. & med. trociſcorum de lacca. drach. ii. terentur terenda. Et cum modico ſyrupi biſantini fiat mixtura.

Et recordetur omnibus tribus diebus etiam in æſtate in aurora capere ſequentes pillulas. Reci. trociſcorum de reu barbaro. drach. i. pulverizentur ſubtiliter, & cũ ſucco ireos fiant pillulæ numero quinque.

Vnum tamen laudarem, quod eſſet D. ſuæ maximũ præſidium, ſi quolibet mane in aurora biberet infraſcriptum potum. Recip. urinæ pueri non polluti recenter mictæ & calidæ. Vnc. vi. zucchari. Vnc. med. miſce.

Vbi uerò cum dicta urina miſceretur ſcrop. i. reubarbari, certè melior & felicior, eſſet eius operatio.

CVRATIO PER MANVVM OPERATIONEM.

VBi autem præcedentia non contulerint, laudo, ut ſubmittatur Nobilitas ſua operationi manuali. Iuberem igitur, ut duo fierent cauteria uidelicet, in ambobus cruribus infra genu, per quattuor digitos in parte ſylueſtri, his enim humiditates à toto corpore conducentur.

Factis quoque cauteriis conſulo etiam, ut Nobilitas ſua proſequatur de his prædictis medicinis, ſecundum quod uidebitur doctiſsimo, & experto medico D. ſuæ. Et ſic, cum Dei auxilio indubitato fateor D. ſuam ad priſtinam redire ſanitatem, ad illius gloriam. &c.

Benedictus Victorius Fauentinus, In Gymnaſio Patauino Theoricus Primarius, ſic Dixit.

AD ICTERON,

& prauam epatis intemperiem calidam, Pro Antonio Capo Mantuano celeberrimo iuris utriuſque conſulto.

Conſilium XXIIII.

IN Diſpoſitione Domini Antonii Capi.I.V. Doctoris celeberrimi pendente à mala cõplexione epatis calida cum materia,& cum præſentia obſtructionis pendentis à craſsitie humorum prohibẽtium decurſum choleræ ad loca illi determinata,propter quod ad ſpeciem ægritudinis quam icteritiam citrinam dicunt deductus eſt hic eximius Doctor,& propter defluxum materiæ bilioſæ, uel uaporum ab ea eleuatorum ad membra capitis humidæ complexionis exiſtentis eliqueſcunt humiditates cerebri,paratæque ad deſcenſum ferè continuũ ad membra inferiora, & præcipuè ad ſtomachum deriuantesque, uirtutem digeſtiuam ipſius ſtomachi impediunt & læſionem in eo cauſantur,quæ potius ſtomachi faſtidiũ quam dolor cenſetur,& hoc propter diminutam digeſtionem ipſius ſtomachi,& propter præſentiam multi phlegmatis in eo, & flatuum multiplicationem ex ipſo phlegmate, cui ſuccurrendum eſt actu quidem curatiuo reſpiciente ad diſpoſitiones malas,quibus uexatur, & membra quæ ſunt in cauſa,& quoniã epar eſt radix, & minera omnium malarum diſpoſitionum in eo.

Conſulo igitur, ut primicus epati prouideamus,& quoniam illius obſtructio cum mala complexione calida diſponunt ægritudinem huius nobilis Domini. Ideo conſulo,ut

lo,ut

lo,ut omni anno bis, temporibus mediis ueris, & autumni præparet digeſtionem in materia, & æquationem malæ complexionis epatis calidi, conſequenter euacuationem humorum ipſum male diſponentium. In uere igitur capiat infraſcriptum ſyrupum quinque, uel ſex diebus continuis in aurora, ut Recip. ſyrupi de cicorio, cum reubarbaro, ſyrupi de endiuia, & pro ſtomacho mellis roſati col. an. Vnc. med. aquarum lupulorum, abſinthii, cicorii, an. Vnc. i. miſce, pro una uice, in hoc etenim ſyrupo ſunt omnes intentiones curatiuæ ſuarum diſpoſitionum epatis ſcilicet, & obſtructionis, & malæ complexionis ſtomachi, ſyrupo equidem aſſumpto euacuetur materia cum infraſcripta medicina, ut Recip. Diacatholiconis, mannæ electæ, ana. Vnc. med. reubarbari optimi, & electi. drach. i. & mediam ſpicæ gran. VII. agarici optimi & electi. ſcropul. iiii. zinziberis, ſalis gemmæ. ana. gran. iii. Electuarii de dactilis, electuarii de pſilio, ana ſcropul. ii. infundatur reubarbarum cum ſuo correctiuo in aqua endiuiæ, & modico uini odoriferi, & iterum infundatur agaricus cum ſuis correctiuis in oxymellite ſimplici quantum ſufficit per decem horas, deinde fiat eorum fortis expreſsio, & omnia ſimul cum decoctione comuni florum & fructuum diſſoluantur, cui adde mellis roſati Vnc. i. & fiat potus offerẽdus illi per duas horas ante lucem, deinde facta competenti dormitione duarum horarum poſt aſſumptionem medicinæ ſurgat parumper per cubiculum deambulando clauſis feneſtris, & per ſex horas ab aſſumptione medicinæ, aſſumat ius lotiuum. Vnc. VI. cum modico zucchari duarum coctarum, ab aſſumptione uerò lotiui per horam aſſumat prandium ſuum leue, & illo die cuſtodiat ſe, à ſomno, à uento, à ſole, & ab exercitio maxime ſuperfluo. Quòd ſi potabilis medicina non eſſet ſibi delectabilis loco ipſius aſſumat infraſcriptas pillulas eodem modo, & tempore, ut Recip. pillularum aggregatiuarum ſcropul. ii. reubarbari electi, ſcropu-

lum unum ſpicæ,gra.I.& med.agarici trociſcati, ſcro.med. ſubtiliter incidatur reubarbarum cum ſpica,& cum modico uini albi odoriferi irroretur,deinde miſce omnia ſimul & cum ſyrupo uiolato fiant pillulæ numero.VII. Deinceps poſt purgationem competentem factam conſulerem, ut adueniente menſe maii diſponeret ſe ad aſſumptionem aquæ mineralis, & primo balnei de uilla, cum qua maximam habeo confidentiam in diſpoſitionibus epatis,& renum calidis,à quibus nõ abſoluitur. Credo etiam propter ipſam non declinare multum à temperamento per frigidum non nocere uentriculo, dum obſeruet inunctionem uentriculi in die aſſumptionis illius aquæ cum infraſcripta unctione, ut Recip.olei ſpicæ,olei abſinthii, olei maſticis ana.Vnc.med. gariophyllorum,macis ana.ſcrop.i.ligni aloes,nucis myriſticæ an.ſcro.med.terenda terãtur,& cum modico ceræ fiat unctio pro ſtomacho, aſſumpta autẽ hac aqua duodecim diebus continuis uel.XV. quotidie inquã aſſumendo tres urceos ipſius aquæ ſecundum modum obſeruationis exhibitionis dictæ aquæ,quem ſuis medicis derelinquo,conſulo, ut tribus continuis diebus ſequentibus capiat aquam balnei porctæ,tres urceos inquàm quotidie aſſumendo ſecundum regulas exhibitionis dictæ aquæ dãdas ei à medico tunc temporis exiſtente eo tempore derelinquendo unctiones ſtomachi,& attendendo epati,& renibus cum infraſcripta unctione, ut Recip. unguenti ſandalini,infrigidantis Galeni ana.Vnc.med.miſce.Aduentante autem tempore æſtatis capiat ad minus decem diebus continuis in menſe de infraſcripto ellectuario ſcilicet Recip. diarhodon abbatis,trium ſandalorum, zucchari uiolati,ana.Vnc.I. miſce,cum ſyrupo de cicorio fiat ellectuariũ, de quo aſſumat ad quantitatem bonæ caſtaneæ quotidie ante prandium ad minus per duas horas. Aduentante uerò autumno præparet ſe ad ſecundam purgationem, & quinque, uel ſex diebus aſſumat infraſcriptum ſyrupum,

ut

ut Recip. ſyrupi de cicorio cum reubarbaro, ſyrupi de lupulis,mellis roſati colati, ana. Vnc.med. aquarum cicorii, bugloſsi,abſinthii ana. Vnc.I. miſce. Digeſta materia aſſumat,uel ſupradictam medicinam, uel ſupraſcriptas pillulas ſecundum modum exhibitionis ſuperius datum.Hyeme uerò accelerante cõſulerem,ut omni quinto,uel quarto die aſſumeret unam de infraſcriptis pillulis uel in ſero cum uadit dormitum,uel quod melius eſt pro eo in mane una hora ante lucem, uel luce aduentante quoniam non refert,ut Recip.reubarbari optimi, & electi, agarici electi, ana.drach.med. maſticis,mirabulanorum citrinorum, ana ſcropulum unum,ſpicæ,zinziberis,ſalis gemmæ ana.gran. iiii. diagridii gran. VIII. terantur terenda in puluerem, & cum ſyrupo de abſinthio fiat paſta pillularum doſis eſt numero.i.Et ipſe quoque non negligat aſſumptionem mirabulanorum chebulorum conditorum omni tempore, & hyemis, & æſtatis ſtomacho ieiuno, quoniam in his magnum inueniet iuuamentum. Et ipſe quoque non negligat obſeruationem debiti regiminis in ſex rebus non naturalibus,quod utique cum maxima obſeruantia præmeditari debet,de quo nihil dicam,derelinquendo ipſum dominis medicis ſecum adſtantibus.Et hæc dicta ſint de curatione huius eximii,& nobilis doctoris, quæ ſi obſeruabit, ſanabitur ſi Deo placuerit.&c.

FINIS.

AD ALVI CRVRVMQVE DOLOREM cum præfocatione uteri Pro nobili iuuene Raphaella Muranenſi,

Conſilium XXV.

NObilis Iuuenis Domina Raphaella de Murano complexionis cholericæ, calidi epatis, & ſicci, multiplicatiui multæ choleræ, ſtomachi frigidi, & imbecillis uirtutis concoctricis, cerebri humidi, calidique, abundanti in multis humiditatibus pituitoſis, & debilis alui ſpiritum flatuoſum adgenerantis. Quippe & matricis affectæ propter ſterilitatem, qua matrix à ſuperfluētibus humiditatibus expurgari non poteſt defectu partus.

Patitur inquàm Nobilis hæc mulier plerumque in aluo dolores inſignes & oſsis femoris, & coxæ, & fortè toti cruri comunicatos, in quibus doloribus plerumque ei cōtingunt præfocationes quædam matricis, quibus & ipſo dolore eam admodum turbantibus creditur ipſam mori debere. Cuius doloris cauſam aſſeuero eſſe, materiam pituitoſam irruentem à capite ad locum oſsis femoris, & ad aluum, cum plerumque ipſa ſentiens obdormitationem quandam in brachiis, & manibus, iudicet materiam deſuper fluere ad inferiora, quæ materia replens oſsis femoris cauitates extendendo, dolorem inducit in aluo uerò debilitate caloris natiui illius conuertitur in flatū, & alui dolorē inducit. Qui flatus matrici cōicatus, & renibus in utroq; dolorē inducit. Et cū præ dolore, & agitante uentoſitate, ſuperfluitates matricis cōmoueantur, ad ſuperiora effumando, præfocatiōes ipſius matricis inducūt, & eædē pituitoſæ materiæ, cum ad uentriculū inclinātur, reddunt ipſum magis imbecillem, & debilis digeſtiuæ, & ablatæ appetentiæ.

Huius

Huius autem Nobilis mulieris morborum curationes triplici perficientur inſtrumento, uidelicet, uictus ratione medicinarum potione, & manuum operatione.

Eius igitur panis ſit de tritico, & non ex aliis granis, panis enim hordeaceus, & de milio eſt ſatis ei nociuus. Sit igitur panis de flore farinæ, & non recens, & calidus, ſed duorum uel trium dierum tantum, & non ſit cruſtaceus, cuius interiora ſunt incocta, & exteriora ambuſta, & obarida. Is enim panis deterrimus eſt, & non ſit multum fermẽtatus, quia ſua aciditate nocet cerebro, & neruis, & uentriculo, & matrici eſt contumax.

Vinum craſſum, & album, & nigrum, eſt ei nocuum, & dulce, & acetoſum, & acre, & uinum potens eſt ei admodũ contumax cerebrum percutiendo, & neruos replendo: ſit eius uinum album, uel mediocris coloris pauciferum, & cum aqua decoctionis aniſorum uel coriandrorum dilutum. Et caueat à potu uini inter duas menſas inquantum poterit, & offæ ex uino cuiuſuis conditionis, ſunt ei admodum nociuæ.

Carnes omnium animalium quadrupedum craſſorum ſunt ei nocuæ, ut bubula caro, ſuilla, & arietina, & uetuſtorum caſtratorum, ſint eius carnes facilis digeſtionis, & boni nutrimenti, elixatæ potius quàm toſtæ, & quoquomodo coquantur, parentur cum ſaluia, hyſſopo, fœniculo, roremarino, betonica, & maiorana, matricaria, & chamæpythi. Carnes ſunt, pulli gallinarum, gallinæ, capones, faſiani perdices, turdi, turtures, & omnes Auiculæ in arboribus & pratis degentes, & uitulina, & hædina caro ei conuenit, & leporis, & cuniculi iuuenis, & omnes aues uitet in aquis degentes, & anſeres, anates, & ſimiles, & à carnibus ſalitis abſtineto.

Piſces à tota ſui natura, ſunt ei contumaces omnes, & præſertim qui paludes, & aquas ſtantes inhabitant, lutoſi enim ſunt, malos ſuccos progignentes. Qui uerò de libero ſunt,

ro ſunt mari, & non grandes, non ſunt ei admodum nocui, qui uero in ſaxoſis fluminibus uefcuntur, ei non ſunt inconuenientes, ſed omnes ſalitos piſces fugiat, ſicut inimicum mortalem, & eius piſces condiantur cum ſaluia, petroſelino, fœniculo, roremarino, & dictis hærbis.

Oua recentia, & non diu aſſeruata, ſunt ei conuenientia, & in aqua elixata, & non ſub cineribus cocta, & in patellis frixa ſunt ei contumacia, quoniam ſibi ipſi fumum edunt, ſint mollia, & non dura.

Legumina omnia fugiat, quoniam ſuo ſpiritu flatuoſo toti nocent corpori, & matrici rebellia ſunt, ſiue exſiccata, ſiue recentia, & uiridia fuerint. Ei tamen plerumque concedimus cicerum rubeorum iuſculum, paratum prædictis herbis, & far hordei ei conuenit.

Acria omnia ſunt ei admodum nocua, ut allia, cæpæ, aſcaloniæ, & huiuſmodi.

Caueat à multo uſu rerum acutarum, ueluti eſt piper, zinziber, gariophyllum, crocus, & à conditis ex his, audatius tamen ipſa aliquando poteſt uti, cinnamomo.

De oleribus nocua ſunt ei, quæ frigida ſunt, & humida, ut lactuca, beta, endiuia, ſpinachia, caules, & huiuſmodi. Et ſub his ueniunt cucumeres. pepones, cucurbitæ, quæ ſunt ei admodum nocuæ, borago, bugloſſum, ſaluia, roſmarinus, petroſelinum, fœniculus, ocymum, marum, betonica, meliſſophyllum, ſatis ſunt ei idonea.

Fructus omnes crudi, ſunt ei contumaces, & maximè pira, & poma, cocta uerò, quoniã in his ſoluitur ſpiritus flatuoſus, non admodum ſunt ei nocua.

Lac ei inutile eſt, nocuum aluo, & matrici, eorum enim tẽſionem, & inde dolorem conducit. Butyrum uerò ei minus inutile eſt, omnifariam uerò, caſeus nocuus eſt, & ipſum fugiat, ſicut inimicum.

Acetum, & quæcunque ex eo parantur, malum eſt ei, & neruis, & matrici nocens, ubi uerò ea ipſo uti uoluerit paretur.

retur cum paſſulis quæ in eo bullierint, & hæc de uictus ratione dicta ſint.

Quo ad ſecundum inſtrumentum, quod eſt medicinarum exhibitio, conſulo, ut bis in anno conducat ſibi ſequẽtem purgationem ſcilicet ueris tempore, & autumno. Primo quidem digerat materiam ſequenti ſyrupo, quem in aurora per ſeptem dies continuos capiat. Recip. ſyrupi de matricaria, ſyrupi de betonica, ſyrupi de endiuia, mellis roſati col. ana. Vnc. med. aquarum betonicæ, matricariæ bugloſsi, ana. Vnc. I. miſce.

Octaua uerò die, quoniam apparebunt ſigna digeſtionis in materia, cõſulo, ut capiat infraſcriptam medicinam. Recip. Diacatholiconis, diaſenæ lenitiui. ana. Vnc. med. electuarii indi, ellectuarii de dactilis ana. drachm. I. ſpecierum ieræ ſimplicis ſcropul. ii. miſce, & fiat potus cum decoctione comuni florum, & fructuum, cum qua bulliant aniſorũ ſtæcados, matricariæ, ana. p. med.

Si uerò potabilis medicina fuerit ei abhominabilis, poterit accipere eaſdem res in forma boli, uel ſequentes pillulas. Recip. pillularum aggregatiuarum, pillularum de agarico meſuæ, ana. drach. med. pillularum de hermodactilis, ſcropulum medium, cum ſyrupo de matricaria fiant pillulæ numero quinque.

Purgata materia, conſulo, Quòd quolibet menſe per decem continuos dies, capiat bolum infraſcriptæ mixturæ per tres horas ante prandium. Recip. Diagalangæ. Aromatici ro. Diadraganti frigidi, ana. Vnc. I. ſpecierum triũ ſandalorum drach. ii. miſce, cum ſyrupo matricariæ fiat electuarium, & immediate poſt ſuper bibat hauſtum iuris pulli.

Iterum conſulo, quod ſemel in ſeptimana capiat unam de infraſcriptis pillulis in diluculo, parum ſuperdormiendo, Recip. Turbith boni. drac. I & med. agarici electi, drac. I. ſpicæ, zinziberis, ſalis gemmæ, ana gran. iii. Reubarbari ele-

cti, ſcrop.iiii.hermodactilorum.drach.i.& med.mirabulanorum citrinorum,indorum,ana,ſcropul.ii.aniſorum,fœniculi,ana,drach.med.ſpecierum ieræ ſimpl.Galeni.drach. VI.Diagridii.drach.med.terantur omnia ſubtiliter,& cum ſyrupo de ſtæcade,fiat paſta pillularum,doſis eſt numero.I. ad quantitatem unius ſcropuli.

Etiam facta purgatione conſulo, ut aliquádo adhuc do lore non infeſtante ungat ſibi locum aptum dolere cum infraſcripto unguento calido.Recip.unguenti aragon,unguenti agrippæ,unguenti martiaton.an.Vnc.I.olei de cheiri, olei rutæ.ana Vnc.med.miſce.

Tempore uerò, quo dolor alui eam infeſtat,conſulo,ut primo imponatur ei ſequens clyſtere. Reci. iuris pulli.lib. I.& med. aniſorum, chamæmeli, matricariæ ana.Manipul. med. miſce, & bulliant uſque ad conſumptionem tertiæ partis iuris,& coletur,& colaturæ adde benedictæ drach.VI ieræ ſimpl.Vnc.med. olei comunis. Vnc.iii. uitelli oui numero.I. zucchari rub. Vnc.i. & med. ſalis comunis drach. ii.&med.miſce,& fiat clyſtere.

Eiecto clyſteri ubi non ſedetur dolor, mox imponatur ſequens clyſtere qualibet hora diei ubi dolor infeſtabit.

Recip. florum chamæmeli,meliloti, abſinthii, menthæ, pulegii,calamenti,aneti,aniſorum,carui,dauci,matricariæ, ana.Manip.I. bulliant in ſufficienti quantitate aquæ uſque ad conſumptionem medietatis,& colentur,& de colatura. Recip.lib.I. benedictæ,ieræ ſimpl.an.Vnc.med.butyri Vnc. ii. olei rutæ. Vnc. iii. uitelli oui, numero.I. ſalis comunis drach.ii. zucchari rub.Vnc.i.& med. miſce, & fiat clyſtere.

Vbi uerò dolor adhuc continuaret,conſulo,ut cum ſpõgia madefacta in prædicta herbarum decoctione calida fomentetur locus doloris, qua facta fomentatione ſex uicibus ſpongiam apponendo,ungatur locus,ſequenti unguẽto calido.

Recip. olei de caſtoreo. Vnc.iii. olei de euforbio. Vnc.I.

olei

olei de cheiri. Vnc.ii. olei chamæmeli. Vnc.i.& med. aquæ uitæ. Vnc.iiii.bulliant ſimul uſque ad conſumptioné aquæ uitæ,& coletur,& colaturæ adde nucis myriſticæ, maſticis, olibani,galangæ,zedoariæ,calami aromatici, ana ſcropulū unum, terenda terantur,& cum modico ceræ fiat unguentum molle.

Vbi uerò dolor adhuc ualenter ipſam infeſtaret,conſulo, ut ſtatim ei offeras bolum ſequentem, & ſupra bibat hauſtum uini cretici. Recip.philonii romani.drac.i.Diagalangæ,zucchari roſati,ana. drach.i.& mediam miſce & fiat bolus.

Tertium uerò inſtrumentum complet manualis operatio. Conſulerem igitur, ut ipſa ſubmitteretur cauterio in crure dextro,uel læſo in parte ſyluestri infra genu per quatuor digitos intra duos muſculos,eo enim maximum adipiſcetur iuuamentum in euacuatione humorum à toto corpore,& conſulerem, ut priuſquàm cauterio ſubmitteretur,fieret ei apertio uenæ internæ malleoli quam ſaphenam uocant cum extractione ſanguinis trium unciarum. Hinc uerò ad quattuor dies,ſecetur uena coxēdicis ad tres ſanguinis uncias.

Iuberem tamen & in præſeruatione, & curatione expeditis quæ ſupra dicta ſunt, ut indubitato ſe transferret ad balnea apponenſia in comitatu Patauino, nedum ſubmittendo ſe Duciæ,uerum & aquæ potu utendo, & firma ſpe arbitror eam ſanari ab omnibus ſuis malis diſpoſitionibus,ſeruatis quippe ſeruandis. Tempus autem accedendi ad hæc balnea,eſt tempus futuri ueris. &c.

FINIS.

PRO DOLORE AC TVMORE ſiniſtri cruris cuiuſdam Mulieris.

Conſilium XXVI.

NObilis, & Generoſa Mulier delicati corporis mollis carne, raræque texturæ, pauci ſanguinis, non multorũ ſpirituũ, tẽperationis cholericæ in omni ferè uirtutum genere, ac in cũctis operatiõibus tenuit mediocritatẽ, macilẽtæ habitudinis, magnitudinis modeſtæ, colorata decenter, ſatis morata, & mihi interna, rei familiaris diligens, & exacta nimis imo illi accuratè, deditiſſima, in uſu rerum non naturalium (ut potuit) deuitauit exuberantiam, annorum. XXXVI. uel circa pharmacis non aſſueta, minuſue ſectioni uenæ, oculorum turbationes, & aliquando ophthalmias, ſepius incurrit; quattuor peperit filios, quæ cum eſſet prægnans die. xii. iunii præſentis anni arrepta fuit à febre continua proportionali, proportione inquam duplicis tertianæ pendentis à cholera nota famæ maioris, quam uitellinam nominant, die. xiii. perſeuerante febre, non tamen moleſte nimis, nec ui accidentiũ timoroſa naturalem habuit partum, in cuius puerperio, ut relatum eſt diminute, & prope nihil fuit admodum ex purgata per menſtrua. die. XXI. adhuc inſtante febre, hora ferè. XX. cæpit eius ſiniſtrum crus infra genu dolere, calefieri, rubefieri rubro quodam claro, ita ut hereſypilari uiſum ſit.

Die. XXII. uiſum eſt crus craſsius cum rubore minus claro, ita ut non ab re etiam inflammationem auſpicari potuerit. Die. XXIII. adhuc ualidius increuit tumor occu-

pans

pans maiorem partem eius pedem uerſus cum apparitione ampullæ atri coloris in talo eius partis domeſticæ, diebus uerò. XXIII. & XXV. innumeræ apparuere ueſicæ albæ quædam, nonnullæ fuſcæ, & ad nigredinem uergentes. Die XXVI. uniuerſum crus infra genu apparuit magnificari ueſicatum, & in aliquibus partibus denigratum. Die XXVII. ſupra genu uerſus inguina nigredo ſenſibilis admodum, & corruptio cum diminutione ſenſus lateris partium, & ablatione in aliquibus paulatim repit & decurrit, die uerò. XXVIII. omnia ualidius increuere, & male terminata ſunt.

Quæritur duntaxat ab excellentia ſua de localibus an prædictum crus deſtituendum eſſet ab omni locali auxilio & ſi non, quid erat agendum in illo principante principio.

Quæritur etiam apparente ſenſibili nigredine, & corruptione in parte illius membri, an pars ſana tutāda erat, & ſi ſic, cum quibus auxiliorum materiis.

Et ultra an textus Galeni decimo Terapeutices capite decimo incipiens a paragrapho illo in eis autem, qui per ſiccitatem, & calorem, uſque ad illum paragraphum infrigidamus omni modo ethicam. &c. In aliquo faciat ad ſolutionem primi quæſiti.

Cui puto ſatisfaciendum eſſe ſic, intentione puerperii, & diſpoſitionis eidem annexæ; quæ eſt profluuii menſtruorum retentio, non ſuccurrendum eſt membro læſo huius Nobilis Mulieris cum localibus in principio principiante illius ægritudinis: conuincam iſtud ratione iſta; quoniam localia, quæ in principio conueniunt frigida debent eſſe, & ſtiptica, adeo ut augmentetur eius ſtipticitas ſupra frigiditatem, ut uoluit Auicenna tertia quarti, capi. de cura hereſypelatis, & quoniam mulieres in puerperio exiſtentes, ut ſenſit idem Auicenna, in de regimine enixæ, cuſtodiendæ ſunt ab omni frigore; &

ab omni re detinente conuenientem menſtruorum fluxum,& omnium aliarum humiditatum retentarum tempore conceptionis,inde eſt,quod apparente tali diſpoſitione in enixa muliere in principio principiante,non conueniunt localia. Talia enim quæ competerentſui manifeſta qualitate quantumcunque exterius applicata obſtruunt uias, & humiditates euacuandas cogunt craſſefaciuntque, & earum decurſum,& euacuationem impediunt, quod in regimine enixæ maximè uerendum eſt. Et confirmatur iſtud, quoniam illius diſpoſitionis præternaturam antecedens cauſa,quæ eadem efficitur coniuncta eſt præcipitatus ſanguis menſtruus ad crus,quæ tempore partus conuenie͂tis,debebat euacuari. Et quia omne ſtudium medici in regimine enixæ, debet eſſe in prohibitione impedientium fluxum menſtruorum,ut ſenſit Galenus ſuper ſexto Epidemiarum,ideo tunc temporis ei non co͂ueniunt localia frigida,& ſtiptica prohibentia menſtruorum fluxum,& nulla alia, ut uoluit Auicenna ut ſupra, &c.

Iterum conuincitur iſtud cum Raſi nono continentis, Dixit enim quòd quædam mulier in pariendo non uidit ſanguinem ut debuit, & cum difficultate fuit partus eius, & inflata eſt matrix eius exinde, & paſſa eſt tremorem, & rigorem,ſed facta minoratio͂e in ſaphena, mitigata eſt paſſio eius.Colligitur ex his uerbis, quòd cum omnes ægritudines contingentes enixæ,ut plurimum ſint ex retentione menſtruorum,ut etiam ſenſit Auicenna.XXI.tertii ideo earum curationes ſtudioſe erunt in prouocatione menſtruorum,ut fecit Raſis hic. Quoniam inflationi matricis potuiſſet applicare localia,quæ derelinquens,ſolam minorationem ſaphenæ tetigit, dicens nos derelinquere impedientia curſum menſtruorum, & uti prouocantibus ubi expediret.

Iterum confirmatur iſtud ex dicto Galeni ſexto Epidemiarum, dicentis totum ſanguinem malum, qui coadunatus

natus eſt in muliere, purgare in tempore partus te oportet. Si enim bene mundificatur ab his ſuperfluitatibus enixa, ſana degit, & præparatur ad alios conceptus. Adueniente igitur diſpoſitione præter naturam in enixa à ſola menſtruorum retentione, ut in caſu non eſt, Ideo medicus omne ſtudium debet habere in non impediendo conuenientem fluxum menſtruorum, quia tunc ſanguinem malum non purgaret, cum igitur ex applicatione localium frigidorum, & aſtringentium in caſu noſtro magis ſequatur menſtruorum detentio. Ideo conſulo de non applicatione eorum in principio principiante, ſed de ſecuriore uia, quæ eſt per inciſionem uenæ, ex qua purgabitur ſanguis malus, profluentque menſtrua. Et hæc eſt uia ad ablationem incepti hereſypelatis in enixa ſine applicatione localium.

Iterum confirmatur quod diximus. Dixit enim Galenus in XIIII. de ingenio ſanitatis uerbum iſtud, ſicut inflãmationi repugnantia non ſunt imponenda, niſi prius purgato corpore toto, ſimiliter & hereſypelati eſt faciendum, ſuper quod arguitur ſic, Hæc mulier Nobilis eſt enixa, & hereſypelate laborat, & non purgatio conueniens menſtruorum eſt cauſa hereſypelatis in ea, ergo illius corpus prius purgandum eſt cõuenienti purgatione per fluxum ſanguinis menſtrui: quo ſanguine malo purgato, puto ipſam ab hereſypelate ſanari, ſi deo placuerit, & hoc etiam uoluit Galenus loco præallegato, cum dixit.

Vniuerſalis materiæ purgatio ſuple in hereſypelate facienda eſt, nam ſi purgetur corpus, membrum mox ad ſuam qualitatem reuertetur.

Conſulo igitur propter prædicta, ut in principio principiante huius hereſypelatis non ita impetuoſe decurramus ad applicationem localium propter impediẽtia, quæ ſequi poſſunt, ſed regatur mulier regimine enixæ, & accidentium euenientium eidem & hæc ſecurior eſt uia in curatione diſpoſitionum malarum ipſi enixæ contingentiũ,

maxime

maxime cum iudicium noſtrum certum ſit ægritudinem hanc eueniſſe ex ſola menſtruorum retentione.

Factis autem uniuerſalibus, & propriis in regimine huius mulieris enixæ ſine localium applicatione, ſi quidem ſanabitur, ſicut bene conuenit, uana ſit & in poſterum localium applicatio. Quod ſi non ſanetur, & ad deteriorem lapſum hereſypelatis, & conſequentem eam ducatur, non negligatur cura cum applicatione localium ipſi membro hereſypelate laboranti, tunc enim temporis non ſequetur aliquod de inconuenientibus iam dictis, cum iam malus ſanguis euacuatus fuerit à corpore, & maior pars ſuperflua humiditatis, quæ erat euacuanda tempore partus, propter quod dico, dictum iſtud generale præmiſsis uniuerſalibus &c. Non iuuantibus complete in principio principiato hereſypelati conuenit localium applicatio. Patet iſtud primo autoritate Galeni decimo tertio meth. iſta apoſtemata qualis eſt hereſypelas, & cœtera calidiora ſunt quia de cholera rubea facta, quare oportet in ipſis magnã refrigerationem facere. Item dixit Galenus eodem loco.

In puro hereſypelate refrigerandum membrum, donec color apoſtematis mutetur, & mox, ut colorem amittit, euadet, & quieſcet ſcilicet infirmus.

Item dixit Galenus decimo quarto, de ingenio ſanitatis non ſolum nocet hereſypelas quantitatiue, ſed etiam qualitatiue, eo quod nimiam generat incenſionem, conuenit igitur nos eam magis inflammationibus refrigerare, hæc ille propter hoc palam eſt membrum hoc hereſypelate laborans non eſſe deſtituendum ab omni remedio locali, & adhuc principiante niſi obſtent particularia: Non lateat tamen nos obſeruandum eſſe dictum Galeni, loco, ut ſupra dicentis refrigeratio uerò cũ frigidis & repercusſiuis non in omni loco fieri poteſt ſecure, ne cholera rubea à membro ignobili ad nobile deriuetur. Et hæc ſint de prima parte primi quæſiti ab excellentia tua.

De

De ſecunda autem dixit Auicenna tertia quarti,& oportet,ut in principio hereſypelatis refrigeratio ſit fortis aſtrictionis,adeo ut eius ſtipticitas ſit ſuper eius frigus,in ſtatu uerò eius frigiditas ſit uehementior ſtipticitate, & huic dicto concordant quæ hereſypellæ in principio applicantur à Galeno.xiiii.de ingenio ſanitatis,ſicut ſolanum, ſemperuiuum,portulaca,pſylium,hyoſciamus,lēticula,lactuca,raſura,cucurbitæ,plantago,& his ſimilia,& hoc eſt quod uoluit Auicenna,ut ſuprà.Aſſumens ſuccum plantaginis, ſuccum uirgæ paſtoris,& aquam roſatam, & in his mixtis infundunt pannos lineos frequenter ſuperponendos ; quouſque actualis eius frigiditas remittatur, & ſic continuando procedit donec membrum incipiat denigrari , uel fuſcum fieri , & tunc temporis deſiſte tu ab infrigidatione , quia terminus infrigidationis in hereſypelate eſt mutatio coloris , & hoc eſt quod dixit Auicenna tertia quarti , his uerbis,& caue ne denigretur membrum,& fuſcum fiat , & incipiat ire in uiam corruptionis, & tunc remoue infrigidationem,& ſtipticitatem,non lateat tamen nos, quòd dixit haly,in tertio libro , ſecundæ partis regalis diſpoſitionis,quod ſi apoſtema eſt compoſitum ex hereſypelate ; & flegmone curetur cum medicinis compoſitis , & etiam ſecundum dominium materiæ exuberantis, poſtquam autē incenſiuus calor ceſſauerit conſulo ponenda eſſe aliqua reſolutiua,ſicut eſt aqua ſolani cum decoctione camomillæ, & roſarum, apponendo ſupra eam facta lotione,uel fomētatione petiam unam de ſcarlato,quod optimum eſt,& laudatum à doctoribus laudarem etiam,ut in proceſſu his factis applicaretur emplaſtrum factum ex farina hordei , & fæno greci cum decoctione chamæmeli , Quòd ſi hæc non contulerint , quantumcunque canonice operata ſint , ſed membro acciderit corruptio , & mortifatio ante maturationem,uel reſolutionem apoſtematis,ita quod locus incipiat fieri flauus,uel niger , & fuſcus,& ſenſus perdatur , &

fiat quaſi corruptio,uel mortificatio eius, tunc remedium eſt locum læſum ſcarificare, & ipſum frequenter lauare cũ aqua ſalſa arte,uel natura confecta, deinde conuenit ei applicatio emplaſtri ex farina hordei,& fabarum incorporatis cum melle, & aceto, & hæc ſint pro ſecunda parte primi quæſiti.

Et ex hac ſecunda parte, orta eſt dubitatio ſecunda, apud Excellentiam tuam, ſi apparente ſenſibili nigredine, & corruptione in parte illius membri, pars ſana tutanda ſit,& ſi ſic cum quibus auxiliorum remediis.

Et huius dubitationis primæ parti ſatisfaciemus ſic,in quolibet membro noſtri corporis, cuius aliqua pars corrumpitur propter malam eius complexionem cum mate ria,uel ſine materia in eo pars ſana tutanda eſt, patet, quoniam operatur natura in ſuis operibus ſemper, quod melius eſt,ut ſecundo phyſicorum,& tertio artis medicæ, habetur, & cum ars ſit imitatrix naturæ, ideo & ipſa in ſuis operibus debet operari, quod melius eſt, cum autẽ in eſſe uitæ humani corporis melius ſit partem ſanam defenſare propter complementum operationum in quas debet mẽbrum per ſui naturam exire, ideo eſt, quod omni ſtudio, omnique diligentia medicum partem ſanam defenſare oportet,ne adueniente corruptione inficiatur, & etiam hoc eſt, quod uoluit Auicenna quarta primi, capite uigeſimo ſeptimo per hoc uerbum,neceſſe eſt,ut caro corrupta quæ eſt ſupra ipſum remoueatur,ſuple ne putrefactio ultra pro cedens ſanam partem inficiat. Idem quoq; ſonat uerbum Auicennæ,tertia quarti, tractatu primo,capite decimo ſexto, dicentis,quod ſi pars carnis incipiat corrumpi,incide eam,aut fac eam cadere,ſuple tu,ut pars ſana tueatur,& ne eadem putredine inficiatur, & hæc ſint de prima ſecundi quæſiti.

Secunda autem eiuſdem quæſiti parte, qua quæritur quibus auxiliorum remediis ſuccurrẽdum eſt, ſatisfaciam

ſic,

ſic, corruptioni membri incipienti, & etiam procedenti cum permanentia ſenſus, etiam non exiſtente ſcilicet perfecta mortificatione membri ſuccurrendum eſt phlebotomia prius facta ex oppoſito partis læſæ, deinceps ex eadem parte, deinde per ſcarificationem partis læſæ, deinceps ex eadem parte, deinde per applicationẽ medicinarum prohibentium putrefactionem, patet iſtud per uerbum Galeni ſecundo, ad Glauconem dicentis, membrum quando perfectam ſanationem nõ patitur eam recipere poteſt per minutionem prius factam ex parte oppoſita, deinde ex parte propria, ſi fuerit in ea aliqua uena nigra, & per ſcarificationem ſcilicet factã ſuper loco, & per medicinas prohibitiuas putrefactionis cum ſecuritate.

Factis autem uniuerſalibus euacuationibus per phlebotomiam cum Galeno, & facta propria euacuatione, cum ſcarificatione cutis membri læſi cum Galeno ſexto, Epidemiarum, & cum raſi, decimo tertio continentis dicente. Si accidit in membro putrefactio ſcilicet nõ in termino, procede ad aperiendum pellem, & extractionem ſanguinis incluſi in ea, ita quod inciſiones ſint profundæ, & concauæ in ea recurrendum eſt ad applicationem localium, quibus prohibeatur putrefactio fieri in loco; & hoc eſt, quod uoluit Galenus, ut ſupra, dicentis, delinquentes poſt ſcarificationem, & appoſitionem ſanguiſugarum, &c. poſtea ex pharmacis apponere oportet ad putrefacientia utilibus membra ſcilicet rectificanda, ut pharmaca hæc, quæ per oxymel, & farinam erui, uel lolii fuerit, uel per farinam fabarum, uel per ipſum ſolum oxymel. Quod ſi hæc non ſufſecerint, & uti uolueris fortioribus prædictis, ſupermitte ſal, & lenias inde.

Idem quoque uoluit Auicenna tertia quarti cap. de gãgrænis, cum dixit, cum uides membri colorem alterari, ſiue iam alteratum eſſe, & eſt in uia corruptionis, tunc oportet ut ſuccurras liniendo ipſum ſcilicet, in circuitu cum eo

quod prohibeat putrefactionem, ſicut cum aceto, in quo diſſolutum fuerit de bolo armeno, aut terra ſigillata, quoniam hæc exſiccando humiditatem & extinguendo calidi tatem extraneam prohibent à putrefactione. Non lateat autem nos id de quo aduertit nicolaus; quod linimētum hoc, & quodcunque ſimile ſæpius amoueatur, & innouetur, & non debet in loco dimitti donec exſiccetur, nam exſiccatum poros loci obſtruit, & debitam prohibet tranſpirationem, & ſic in cauſam addit putrefactionis, & his ſimilia remedia, & multa alia habes, & à Galeno ſexto Epidemiarum, & à Raſi. XIII. cōtinentis, ab Auicenna tertia quarti, quæ non replico Excellentiæ tuæ.

Si tamen ex his omnibus actis diſpoſitio hæc mala non fuerit ablata, neque ex his prohibeatur quin procedat, donec perdatur ſenſus totaliter in membro, ut fiat ſphacelus & gangræna cum corruptione iam facta in carne conſulo de remedio Galeni ſecundo, ad Glauconem dicentis, mortificatio membro, & eo carente ſenſu omnino quotiens pungitur, incidi debet celeriter. Dixit enim Albucaſis cauſam, quæ mouet medicum ad incidendum aliquod membrum organicum eſſe, ut euadat infirmus per illam inciſionem à morte, aut à malitia, quæ eſt maior defectus mēbri. Eſt enim hæc malitia maior, quoniam niſi incidatur putrefacit ſibi uicinam partem, & hoc etiam uoluit Auicenna quarta primi, capite uigeſimo ſeptimo, dum dixit, ſi pars carnis incipit corrumpi tunc incide eam, & fac eam cadere cum medicinis cauſticis, quæ ſunt ſicut Troc. andaracon &c. Nunquid autem debeamus uti in cura cauterio potentiali, an actuali, derelinquo iſtud iudicio Excellentiæ tuæ cum conſideratione eorum quæ de hoc dicuntur ab Auicenna loco, ut ſupra. Quibus autem remediis ad locum cauterio inuſtum ſuccurrendum ſit, uidebis Galenum ſecundo ad Glauconem, & Raſim in diuiſionibus, & Auicennam ut ſupra, & Albucaſim, & modum inciſionis,

nis,& curam per applicationem localium loco inciſo, ponentes.Quare. &c.

Et iterum tertio, orta eſt dubitatio apud Excellentiam tuam,ſi textus Galeni decimo,Terapeutices,capi. decimo, incipiens a paragrapho illo in eis autem, qui per ſiccitatem & calorem uſque ad illum paragraphum infrigidamus omnino ethicam, in aliquo faciat ad ſolutionem primi quæſiti, & arguitur quod ſic, quoniam Galenus in loco allegato capi. de cura ethicæ per balnea docens curare ethicam febrem in paragrapho dicto dixit uerbum iſtud. Melius autem eſt intingentes frigida aqua extinguere calorem, Dixit enim Galenus,minus eſſe periculum infrigidando corpus ægrum ipſum ducere ad contrariũ lapſum, quam concedere ipſum ire in uiam, quæ eſt ad mortem, cum primo enim ſtat ſpes ſalutis, cum ſecundo uerò operabitur medicus abſque ſpe laboranti ſalutem; ex quibus uerbis concludit Galenus, in ethica conuenientem curam eſſe applicationem aquæ frigidæ, & hic modus curationis conuenit etiam hereſypelati ergo &c.

Quòd autem iſte modus conueniat hereſypelati, patet per uerbum Galeni nono meth.cum dixit, nec nocet aqua frigida hereſypelati apoſtemati,ſi pura, ſine alterius commixtione ſit, ſed eius potio eſt cura eius, in contrarium arguitur,quoniam in paragrapho illo docet Galenus,curare ethicam febrem refrigerando,& humectando, & hic modus curæ non conuenit hereſypelati ergo textus ille Galeni non uidetur ad propoſitum primi quæſiti, maiorẽ propoſitionem dixit Galenus hoc uerbo.x.de ingenio ſanitatis cap.x.Quia uerò infrigidando quidem,& humectando firmamentum huiuſmodi febris ethicæ curationis eſt,hæc ille minorem uerò propoſitionem uoluit Auic.III.quarti, capi. de cura hereſypelatis dicens, & oportet,ut refrigeratio eius in principio ſit fortis aſtrictionis,adeo ut forte augmentetur eius aſtrictio ſuper eius frigus.

Sed

Sed huic dubitationi per hæc iam dicta, dicam *primo* intentione habita ad cauſam facientem ethicam febrem,& ad cauſam facientem hereſypelas modus curæ ethicæ eſt modus conformis curæ hereſypelatis, patet, quoniam utrique competit refrigeratio, patet primo in ethica febre coniuncta cauſa eſt caliditas, & ſiccitas cordis conſumens humiditates nutrimentales eius,& aliorum membrorum uel mala complexio æqualis in eiſdem membris introducta à febre,& hæc indiget infrigidatione. Dixit enim Galenus decimo Terrapeutices, ethicis nihil aliud eſt neceſſarium,niſi refrigerare,& humectare eorum corpora, & dixit iterum,refrigeramus igitur omnimodo ethicas febres confeſtim antequàm perueniant in maraſmum,idem quoque uoluit Auicenna prima quarti,cap.de cura ethicæ, dũ dixit. Intentio in cura ethicæ eſt infrigidatio, & humectatio &c. Hic quoque modus curæ conuenit hereſypelati. Dixit enim Galenus.xiiii. Terapeutices,capite ſecundo cõuenit igitur nos hereſypelas magis quàm inflammationes refrigerare, hæc ille: eſt enim coniuncta cauſa hereſypelatis cholera rubea pura indigens pro ſui remotione infrigidantibus,propter quod dixit Auicenna in puro hereſypelate refrigerandum eſt membrum donec eius color mutetur. Idem quoque dixit Galenus nono meth.hereſypelas non eſſe neceſſe maturari, ſed refrigerari. Quare intentione refrigerationis remouentis & cauſam, & malam qualitatem ex cauſa derelictam & in ethica,& in hereſypelate tex.VIII.X.Terapeutices uidetur conferre ad curam hereſypelatis.

Secundum dictum ſit tale, intentione habita ad complementum curationis ethicæ,& hereſypelatis non conueniunt ethicæ quæ conueniunt hereſypelati patet, quoniam ethicæ conuenit ſola alteratio faciens ad remiſsionem caloris febrilis iuxta illud Galeni, quia infrigidando, & humectando firmamentum huiuſmodi corruptionis eſt, dixit

xit quoque Galenus decimo Terapeutices, ethicis uerò, quia non oportet purgari, quaſi innuat ſolam alteratione ethicis ſufficere, hereſypelati autem conuenit alteratio remiſsiuæ caliditatis choleræ rubeæ, & purgatio eiuſdem, iuxta illud Galeni decimo quarto. Terapeutices. capi. ſecundo, dicentis. Vniuerſalis materiæ purgatio erit facienda, nam ſi purgetur membrum, mox ad ſuam qualitatem reuertetur, & iterum dixit, ſicut inflammationi repugnantia non ſunt imponenda, niſi prius purgato corpore toto, ſimiliter & in hereſypelate eſt faciendum, & iterum dixit, ſicut in inflammatione phlebotomia, ſic in hereſypelate medicatio per pharmaca conuenit &c.

Secundo principaliter arguitur ad dictum, quoniam in principio hereſypelatis conuenit refrigeratio cum repercuſsione iuxta illud Galeni, ut ſupra, refrigeratio uerò cũ frigidis facta & repercuſsiuis &c. Et iuxta illud Auicennæ tertia quarti, dicentis, & oportet, ut refrigeratio eius ſit fortis aſtrictionis, in ethica autem conuenit oppoſitum, iuxta illud Auerrois ſeptimo colliget, dicentis, plus indigemus in hac febre humectatione quàm infrigidatione. humectatione autem non repercutimus, ſed ſiccitate aſtringente, ergo uidetur, quod modus curæ completus ſit in obſeruatione diuerſarum rerum in ethica, & in hereſypelate. Quare concludendum puto textum Galeni decimo, Terapeutices, cap. decimo, & ſi appareat, & ſuperficietenus uideatur innuere aliquid de modo curationis hereſypelatis conſiderando quæ à Galeno dicuntur, ipſi curationi hereſypelatis minime applicari poſſunt, Quare credo ſicut puto galenum crediſſe paragraphum illum iam dictum in nullo ſatisfacere propoſito quæſito, ſi enim in aliquo illi ſatisfaceret ideo foret, quia in ethica infrigidandum eſt. Sed bene ſcis, quod quis infrigidando poſſet aſtringere, & ſic contrarium ethicæ operaretur. Quare credendum eſt Galenum noluiſſe infrigidatione complere curam ethicæ

tæ niſi illi coniungatur humectatio quæ eſt operatio contraria hereſypillæ, ut iam diximus. Quare &c.

Hæc dicta ſunt à Benedicto Victorio Fauentino pro reſponſione quæſita à quodam Excellenti Doctore cui contingit prædictæ Mulieris curationi præeſſe.

FINIS.

AD VARIAS AFFECTIONES.
quæ uteri uitium conſequuntur

Pro Nobili Domina Conſtantia Seſſa Regienſi,

Conſilium XXVII.

MAgnifica Domina Conſtantia de Seſſa Nobilis Domina Ciuitatis Regii. Temperaturæ ſanguineæ, quam ab ortu contraxit, & ſi inſignis bilis quantitate ſanguis eius afficiatur, quo fit, ut eius epar calidum ſibi uendicet temperaturam, quam & renibus, amplitudine uenarum expirat cerebrum credo ab ortu calidũ fuiſſe, ſed ab his, quæ extrinſecus applicata fuere, naturalis calor, ita imbecillis factus eſt, ut potius in præſentiarum ei cerebrum frigidum, quam calidum uideatur, & quoniam caliditas epatis, & renum eius cerebrum effumando offendit,

offendit, ut cerebri humiditates eliquentur, & reddant cerebrum humidum plus quàm oporteat, & quoniam humiditas magis, quam oporteat, aſſociat ſibi frigiditatem plus quàm oporteat, ob hoc D. S. modo cerebrum ipſius frigidum, & humidum diiudicat, & quoniam cor eius à multis cauſis offenditur, & imbecillis redditur, repente enim timet, & expaueſcit, ideo frigidum cenſetur. Cauſæ enim cor eius contriſtantes, ſunt uterus, lien, mirac, & uentriculus; cerebrum quoque cor offendit, audio enim aliquando Dominam hanc, deprauata mente moueri, ut ei turbidæ præſententur, & malæ cogitationes, & imaginationes, quibus cor tremit, & expaueſcit, & infrigidatur. Vterum autem credo Dominam hanc frigidum habere, & humidum, non enim concipit, & quæcunque uteros frigidos & denſos habent, non concipiunt, & quæcunque humidos habent non concipiunt, quibus certè dictis opinor eius uentriculum frigidum, & prauæ concoctionis eſſe, tum uaporibus malis ab utero ad uentriculum aſcendentibus, quibus nedum uentriculus, uerum & cor, & cerebrum, & aliorum membrorum facultates offenduntur, & his propriam ſui naturam permutant, perduntque, & uentriculus etiam frigidus & imbecillis fit ob eliquatas frigidas humiditates à cerebro ad uentriculum permanentes, quæ cũ non ſint idoneæ pro operatione uentriculi, relinquuntur ab opere eius, & in rem præter naturã uertuntur, lęduntq; facultatem naturalem ſtomachi, ipſamque reddendo imbecillem, & cum ab eadem uentriculi ſuperfluitate aſcendant fumi ad cerebrum, lædentes, & grauitantes ipſum, reddunt oppreſſam uirtutem naturalem, ne ſuas poſsit functiones rectè expedire, quo fit, ut uentriculus cerebrũ, & cerebrum uentriculum offendat, hoc quidem materia, deorſum irruente, illud uerò fumo ſurſum aſcendente.

Nobilis igitur hæc mulier cum his membrorum temperamentis, & totius corporis pluribus corripitur mor-

NNN bis,

bis, ut audio. Primo capitis grauitate, & dolore atque debilitate cum mala frigida temperatura percepta. Grauitas capitis indicat cauſam, præſentiam materiæ in eo, grauantis ipſum, dolor indicat malam temperaturam ei contingentem. Debilitas indicat attenuatos, immo exiles ſpiritus animales, ob cauſas dictas, qui uirtuti animali non bene deſeruiētes ex immodica operatione animali, & adhuc parua non reſiſtentes deficiunt, atque deliteſcunt. Perceptio uerò frigidæ temperaturæ indicat præſentiam frigidæ materiæ plus abundare in cerebro, Quòd ſi aliquando in facie, & in capite nimiam percipiat caliditatem, hoc erit per conſenſum uaporum à iecinore, & renibus, ueluti contingit in his, qui catarrho tenentur, cuius cauſa calida eſt, & catarrhus frigidus, corripiturque uentriculi faſtidio, & debilitate uirtutis concoctiuæ eius, & cauſa eſt accumulatio multæ frigidæ materiæ in uentriculo, & humidæ, tum propter cerebrum, tum propter diminutam concoctionem, qua maior cibi pars uertitur in ſuperfluum.

Corripitur etiam debilitate motus progreſsiui, cuius cauſa eſt profluuium materiæ à cerebro per ſpinam dorſi ad neruos, & iuncturas, quo fit, ut inſtrumenta uirtutis motiuæ debilitentur, & motus progreſsiuus impediatur.

Conqueritur quoque de cordis affectione, cuius cauſa eſt materia frigida accumulata in ore uentriculi, & mali fumi ab utero aſcendentes ad cor, qui cum plurimum melācholici habeant, offendunt cor, & eius facultatem, quo fit, ut aliquando Domina hæc mori uideatur.

Nos igitur morbos profligare conabimur præſidiis, quibus melior, & habilior erit uia euacuatiōis, & maior ſpes, & noſtri cōfidentia futuræ ſalutis Nobilis huius Dominæ.

Conſulo igitur in primis, cum corpora quæcunque purgare uolueris oporteat fluxa facere, ut leniente medicamēto à latis uiis educente, euacuetur, in quo etiam ſtat concoctionis aliqualis facultas ſic. Recip. Mannæ electæ. Vnc.

iii.&

iii.& med. pulueris betonicæ drach.i.& med. miſce, & fiat potus cum decoctione comuni florum, & fructuum, qui patienti detur apud diluculum, parum ſuperdormiendo.

Sequenti uero die per ſeptem dies continuos in aurora bibat ſequentem potum, in quo ueſperi uſque ad horam ſumendi infundatur ſcropu.i.agarici optimi ligati in panno lineo.

Recip. ſyrupi de betonica, ſyrupi matricariæ, ſyrupi de pomis, ſyrupi de endiuia, mellis roſati col. ana.Vnc.med. Aquarum betonicæ,matricariæ,meliſſæ,cicorii, ana.Vnc.I. miſce pro una uice non amota doſi.

Octauo uerò die capiat ſequentes pilulas duabus horis ante lucem, dormiendo ſupra, donec dies ad nos ueniat. Recip.pillularum de hermodactilis pillularũ de iera nicolai ana.drach.med.fiant pillulæ numero quinque, & quieſcat per tres ſequentes dies.

Quarta uerò die hora una poſt ſolis ortum minuatur ſanguis,uſque ad tres uncias,uel quattuor ex uena frontis recta,ipſa enim omnes malas capitis ægritudines extirpat, & maximè capitis poſteriorem dolorem tollit.

Quieſcat mulier per x.dies continuos, ueſperi cum uadit dormitum in ore detineat ad quantitatem caſtaneæ ſequentis mixturæ.

Recip.conſeruæ ſtæcados,conſeruæ chamæpytheos,zucchari roſ.diaboraginati ana.Vnc.I.miſce.

Manc uerò tribus horis,antequàm cibum ſumat, comedat bolum ſequentis mixturæ.

Recip.conſeruæ anthos,conſeruæ rad.bugloſsi,zucchari roſati,ana. Vnc.i. & med. miſce cum ſyrupo de pomis fiat mixtura.

In ſpatio uerò illorum decem dierum diſponat Excellens ſuus medicus ſequentem duciam aquæ calidæ ab alto cadentis ſupra commiſſuram coronalem bis in die, mane ſcilicet poſt auroram, ueſperi uerò hora. XX. ſemper per

ſpatium temporis unius horæ ſubmittendo Dominam Duciæ abraſis quidem capillis ad quantitatem hoſtiæ magnæ, ſupra locum commiſſuræ, quæ Ducia nullo alio impediente, ut febris præſertim duret per menſem, uel per dies uigintiquinque.

DVCIA HAEC EST.

REcIp. florum chamæmeli, meliloti, fænigreci, ſem. lini. ana. Manipul.ii.florum ſtæcados arabici,florum ſtæcados montani,betonicæ,maioranæ,ſaluiæ,roriſmarini, calamenti,menthæ, pulegii, abrotani foliorum lauri. ana. Manipul. iii. chamædreos, chamæpytheos,iuæ,herbæ paralyſis,ana.Manipul.ii.& med. ſpicæ ſquinanti ana.p.i. Corticum granatorum, citinorum, baccarum mirthi, nucum cupreſsi, gallarum, roſarum rubearum, granorum lauri. ana. Manipul.ii. nucis myriſticæ numero.VI. fractæ, galangæ,zedoariæ,gariophyllorum,thuris, maſticis, ligni aloes, ana.drach.ii. & med. ſarcocollæ, ſandaracæ ana. Vnc. med. bulliant omnia ſecundum artem,in quattuor corbis aquæ ferratæ,uel lapidatæ uſque ad conſumptionem tertiæ partis, deinde coletur, & in colatura adde Aluminis liquidi fracti libr.ii. ſalis nitri præparati, uel ſalis comunis torrefacti, libr. i. ſulphuris uiui. Vnc.IX. Et iterum unica forti ebulitione bulliant,& colentur,& uſui ſeruetur.

Modus autem faciendi Duciam, & inſtrumenta neceſſaria nota ſunt Nobili Dominæ Conſtantiæ & ſuis aſſidentibus. Vnum tamen conſulerem, ut toto tempore hyberno D. S. per ſpatium temporis,quattuor, uel quinque dierum ueſperi cum dormire uoluerit capiat unam de ſubſequentibus pillulis.

Recip. Turbith gummoſi, agarici electi, Reubarbari boni, ana drachmam unam, ſpicæ, zinziberis, ſalis gemmæ, ana.gran.iii. Mirabulanorum indorum, mirabulanorum

rum chebulorum,mirabulanorum citrinorum.ana.drach. med.Epithimi.ſcrop.ii.betonicæ, iuæ,drac.med.ſpecierum ieræ ſimpl.Galeni.drach.iii.pulueriȥentur omnia ſubtiliſſimè,cum ſucco abſinthii fiat paſta pillularum,doſis eſt numero.I.ſcrop.I.

Recordetur autem Domina patiens, ut omni die,qua ſubmittitur Duciæ mane, & ueſperi faciat ſibi inungere epar,& renes,cum ſequenti unguento.

Recip.unguenti roſati meſue.Vnc.ii. unguenti ſandalini.Vnc.I.miſce.

IN ABOLITIONE CONCEPTVS, ET menſium ſuppreſsione

Pro Nobili uxore magnifici Vgerii Camertis

Conſilium XXVIII.

VEni interrogatus ab uno meorum amicorum cariſsimo, ſi ſalutaribus quibuſdam præſidiis,atque præſentaneis occurrere ualerem ſuppreſsionibus menſium, quibus in præſentiarum nobilis,& Magnifica Domina uxor Magnifici Vgerii de Camerino afficitur,quo fit,ut conceptus in ea aboleatur,& affectionũ malarum timor plurimum concreſcat.Quippe ut honeſtæ petitioni morem gererem, & noſtræ amicitiæ uinculũ adſtringerem, ei pollicitus fui duo decurrere capita, quibus nobilis mulieris menſes diſrumpentur. Primum porrò ſalutaria præſidia,operæ,noſtræ artis conducta,atque experimento approbata,aperta efficiet.

Secundum

Secundum uerò eas totius Italiæ Thermas naturales reperiet,quæ muliebria educere ſolent. Vt porrò operepreciumſit non diſruptis menſibus artis beneficio ad naturã ſe conferat thermarum naturalium,quæ Diuino quodam affectæ,deſiderium ſuum conducent, ad prolem uidelicet, & fœtum concipiendum.

Caput primum.

Neminem latere uelim, quod dixit Galenus, quinto aphoriſmorum,commento uigeſimo octauo, illius aphoriſmi.Suffitus aromatum muliebria ducit, cauſam uidelicet menſium retentionis ſanguinis craſsitudinem eſſe, uel uaſorum obſtructionem,quæ pertingũt ad uterum,uel horum obſerationem,uel totius uteri ſubſtantiæ denſationẽ. Quam ob rem cum laborioſè menſibus imperemus. eis quippe non obedientibus ex ratione modi ſubſtantiæ, & conſociæ cauſæ diſruptioni ipſorum, niſi contumaces cauſæ prius æquatione gubernentur, haudquaquàm menſes erumpent, auctore Galeno primo aphoriſmorum, commento uigeſimo ſecundo, illius aphoriſmi. Concocta medicari, &c. Idcirco, ut ſanguis facile per uenas fluctitaret, eiuſque craſsitudinem,& adhærentiam, atque glutinationem perderet,iuberem, ut quinque dierum temporis ſpacio ſubſequentem potum in diluculo potaret.

Syrupum de duabus radicibus,ſyrupum de matricaria, ſyrupum de endiuia compoſitum,& mel roſatum, accipito,de quolibet quantum ponderat media uncia. Quibus addito aquam capillorum ueneris,fœniculi,& ſem.comunium frigidorum, quantum ponderat uncia una. Nempe quinta accedente die, cum ad occaſum pertingimus,uirtutis robore conſentiente,atque corporis habitudine exangui non exiſtente, clyſteri leniente peracto, iuberem ſanguinis miſsionem,ſicut & priſci,Neotericique omnes uno animo cõſentiunt ſecta uena ſub genu curuatura, uel quæ ad interiorem clauiculã dextri cruris pertingit. Porrò eæ

uenæ partes citra ſeptum tranſuerſum exonerāt, earumq; obſtructiones diſrumpunt,præſertim ipſius uteri, ut eſt ui dere à Galeno, in libro de curatione per uenæ ſectionem non longe à fine, iterato uerò tribus ex eiſdem utatur ſyrupis, alteratis ſequenti ex puluere. Semina cheiri,ligneā caſsiam,& cinnamomum accipito,quantum ponderat de quolibet ſcropulus unus, quorum puluis in panno lineo ligatus per noctem ſyrupo fundito, colatoque ſyrupo decenti hora crepuſculi dato.

Quarta uerò die priuſquàm diei lux ad nos pertingat, iuberem eam uti ſequenti purgatorio, foliorū cheiri drac. ii. foliorum ſabinæ,drach.I. ſem.dauci ſyJueſtris.drach.i.& med. florum omnium cordialium,Manipulum medium, agarici in panuo lineo ſuti.drach.i.& med. In aqua matricariæ quantum expedit,ebulito omnia,quoad totius aquæ medium conſumatur, colatoque inſigni preſsione peracta, ea quippe colatura ſolue Mannæ.Vnc.i. Diacatholiconis Vnc.med. Reubarbari cum modico ſpicæ fuſi in uino albo, & aqua endiuiæ, & ſecundum quod ars, & tempus expoſtulant, drach.i.& med.Confectionis de dactilis.ſcropul.iiii. & potui dato.Hac porrò medicatione peracta, eo quippe tempore,quo membrorum facultates purgatorio leues exiſtunt, iuberem eam uti debere ad menſium eruptionem dicendis antodotis.

Cum igitur ueſperi cubare uoluerit, octo ante diebus ad ſolitum tempus, quo ſolent menſtrua diſrumpi diluat ſibi crura ſequenti lotione inſigniter calida.Calamentum, origanum, ſaluiam,ſabinam,cheiri, pulegium, matricariam, de quolibet manipulum unum accipito, & in uino albo potenti ebulito,quo ad uini media ſoluatur pars, & reliquum uſui ſeruato.Hoc peracto mox ungat ſibi domeſticas coxarum partes ad orificiū uteri pertingentes,ſequēti lotione, olei ſiſamini,ſucci ſabinæ,cuiuslibet. Vnc.i.moſchi optimi,gran.x.miſceto,& ualentius efficies. Si in lini-

mento dicto ſuppoſitorium ex bombice inuolues, & orifi cio uteri applicueris, currentibus quippe noctibus illis, ſi mul & muliebria current.

Matutino uerò ad nos accedente tempore, potationem ſequentem eam capere iubeo, & in paululo ſomno ſe exer citabit, ſem. cheiri, drach.I. ſem. cartami drachm. med. in ſex unciis uini albi ebullito ad tertiæ partis ſolutionem, & reſiduum uini colati, & calidi dato. At & tribus horis poſt bibitum uinum, iubeo uti ſuffitibus aromatum ad uuluá, ut Hippocratico more menſes educantur. Ligneam caſiá, coſtum cinnamomum, amomum, gariophyllum accipito, ex omnibus in puluerem conductis ſuffitum uuluæ effici to, niſi capitis grauitas mulieri moleſta ſit, tunc enim ue lim te contentum eſſe ſolis crurium frictionibus illa hora uel ſimul cucurbitulis coxis, & genuum plicaturis iunctis, at ſuffito peracto, mox imponat uteri orificio ſequens ſup poſitorium filo ligatum, & bombice confectum, ad unius horæ ſpacium temporis tantum, ſucci mercurialis, ſucci cheiri, ſucci ſabinæ, aceti, cuiuslibet. unc. med. moſchi gran. x. nitri. drach. I. accipito, miſcetoq́ꝫ, & intinctum in his ſup poſitoriũ uuluæ applicato. Quòd ſi eo ſublato uulua pru ritum, & ardorem ſentiret. Lacte ouino, uel uaccino eam dilues.

Vnum tamen uellem mulierem nobilem recordari, ut in condimentis ſuis, ſequentibus utatur ſpeciebus, men ſtruis imperantibus, caſsiam ligneam, cinnamomum, co ſtum, gariophyllum, de quolibet quantum ponderat. unc. med. ſemina cheiri, ſem. cartami, de quolibet. drachm. I. & med. de croco, drachmas duas, de zuccharo, unciam unam accipito, & in ſubtiliſsimum puluerem conducito, & uſui ſeruato.

Nempe ſi dicta muliebria non erumpent, iuberem Ma gnificam Dominam duobus ſequentibus antidotis mihi quippe domeſticis, & familiaribus à quibus dubio procul

ſpacio

ſpacio dierum ſex, menſes latius aperientur.

Prima antidotus, betonicam, cinnamomum, aſarum, caſiam ligneam, irin, ſquinantum, cyperum, nigellam, de quolibet drach. I. accipito, ex his fiat puluis ſubtilis, cuius pars craſſa in uini albi odoriferi. Vnc. VI. fundatur ſpacio temporis diei naturalis, inde uinum colato, ipſumque in ſex partito partibus, cuilibet earum ſextam ſubtilis pulueris partem miſceto, calidamque in diluculo potui dato, diſrumpentur quippe menſtrua tempore, quo educi ſolent.

Secunda antidotus eſt. Aquæ pimpinellæ lib. ii. ſem. cheiri drach. ii. ſpicæ, ſquinanti cuiuslibet. drach. ii. & med. accipito, ebulitoque quoad quarta ſoluatur pars, & colato, colatumque in quinque partitum partibus earum cuilibet paululum zucchari miſceto, & in diluculo potioni dato. & cet.

Caput ſecundum.

Apud priſcos inuentum eſt, præſertim apud Ariſtot. uigeſima tertia, problematum particula, problem. decimo nono. Balnea naturalia calida omnia ſacra eſſe. Hoc ideo omnes proclamauerunt eſſe, quoniam à ſacerrimis fiunt, hoc eſt ſulphure, & fulmine. Porrò cum ſulphur, & fulmē in cauernis contenta terræ occultis uigeant naturis, Quo fit, ut eo occulto, ueluti ſacro quodam, & balnea ſulphurea, & fulminea ſacerrima dicantur. Non ab re dixit conciliator, ſacrimoniam ſulphuris, & fulminis alchimiæ effectus ex eorum præparatione exactè oſtendere. Quo fit, ut ab eorum manifeſta natura effectum unum conducant: ab occulta uerò contrarium, ob quam rem & ratione, & experimēto expertus ſum, porretana balnea in Bononiēſi ſita comitatu uere ſacra nuncupanda fore, cum merito ſulphureæ naturæ, & aluminoſæ Diuinos conducant effectus, atque uigente in eis ni troſitate à toto ſoluit corpore uteros repletos ſui ui attrahendi, & attenuandi mundans, quo fit, ut impregnationi præſidium præſtet, & ſteriles præ-

gnantes acceleret. Et cum ipſius uis merito naturæ ſulphu ris nitri,& aluminis,ut placuit Galeno nono, ſimplicium pharmacorum,excalfaciendi,attenuãdi, exſiccandique ſit, non ab re egreſsioni ſanguinis ex hemorrhoidibus, & curſui menſiũ immodico tum alborum, tum rubeorum inſigne præſidium præſtat,at quoniam experientia ſola fidem facit ut Dixit Galenus nono, ſimplicium pharmacorum tractatu ſecundo,capite decimo nono,& quarto methodi capite tertio, quod uidi illius teſtimonium perhibeo, illius uidelicet poretanæ aquæ potionem, nedum adſtricta muliebria aperire, uerum & parca latius conducere, ob quam rem mulieres,quæ menſium inopia ſterilitatis multum percurrerunt tempus,confeſtim potu aquæ illius utero gerentes effectæ ſunt,& hoc eſt id ſacerrimum,quod huiuſcæ aquæ porretanæ contribuitur, ut profluentes menſes adſtringat,adſtrictos uerò educat.Igitur intrepida fronte tum ex clauſis menſibus,tum conceptionis deſiderio,& ex his,in quibus experimento edoctus ſum pluries, ſalutari conſilio hortarer Magnificam Dominam ſacram epotare aquam,quæ cum diuina ſit,diuino etiam auxilio finem honeſti deſiderii adipiſcetur. Quippe obſeruatis, quæ obſeruari debẽt,ad huius aquæ potum, ne incidat in ſcyllam cupiens uitare caribdim.

Alterum Italiæ balneum ſitum in Comitatu Senarum apud Sanctum Caſsianum propriori uocabulo dictum la figunzella. Hoc quippe balneum gentilis, & ugolinus de de monte catino inter temperata balnea diſpoſuerunt,cuius uigens natura aluminoſa ferrea non fugiens ſulphuris ſubſtantiam, quo fit,ut immodicos lapſus in humano corpore conducere nequeat. At & iecoris obſtructiones, & ſplenis, atque ipſius uteri mira proprietate reſerat, ut obſtructos menſes reſeret, & immodice reſeratos claudat. Quippe non putabis ferri naturam apertionibus mẽſium contumacem eſſe,cum hæc potius diuino effectui, quã na-

turæ

turæ contribuamus, experiméto enim edocti ſumus aquã hanc epotam nedum retentos menſes educere, uerũ & ad conceptum plurimum conducere, ob quam rem hortarer magnificam Dominam ad huius aquæ potionem, neque quis pauidus ſit de ferro, cum eius uis ſtiptica humiditate aquæ frangatur, auctore Galeno tertio, de compoſitione medicamentorum per genera, quo fit, ut aqua extinctionis ferri obſtructionibus epatis & ſplenis opituletur, ut ex principe habetur ſecundo canone. cap. CCLII.

Alterum uerò eſt Italiæ balneum in Comitatu Viterbii conſtitutum, quod à Gentili cadii, uel cambii balneum appellitatur. Ab Vgolino uerò de monte catino balneum uallis dicitur. Et hoc forte recentiori uocabulo balneum Papæ nunc temporis uocatur, eius quippe natura ſulphure participat, & uſus eius plus eſt mulierum, quàm uirorum. Et experimento compertum eſt inſigne præſidium conceptioni contribuere. At & mulierum uteros à glutinoſis humoribus & adhærentibus mundat, abſtergitque. Quippe quod ei ſacerrimum eſt, obſeratos menſes mira operatione aperit, & ſteriles porrò mulieres confeſtim fœcundas conducit, ob quam rem læta mente iuberem, mulierem hanc nobilem ne dum balneum hoc penſitare, ſed audenti animo, & hylari fronte id concapeſcere, Nedum quippe epotando hoc, & ante dicta balnea, uerum & mane ueſperique in his moram trahendo, quo fiet, ut matrix roboretur, & illi conſociæ partes, & glutinoſi humores uteri ambitus obſerantes, incidantur, attenuenturque, & uirtute aquæ calentis facilè ſoluantur, & deiiciantur. Quo fiet ut utero mundato menſes ciantur, & conceptionis deſiderium Nobilis Mulier ioue uolente conſequatur. At uellem ego poſtea, quæ dixi Nobilem hanc mulierem, ſequens obſeruare experimentum: Quo ſicut multæ nobiles mulieres beneficio illius me ipſo duce concepere, dubio procul deſiderium conceptionis eam obtinere aſſeuero, ubi ſcili-

cet omnibus duobus menſibus tale expediat experimentum. &c.

Vbi igitur Nobilis hæc mulier menſes ſuppreſſos habuerit, eorum apertionem procuret, tum miſsione ſanguinis ex duabus ſaphenis in talo, tum aliis ingeniis, quæ à nobis iam dicta ſunt, Quibus menſibus iubeo, totius corporis facta purgatione permeante lunæ cremẽto per quindecim dies continuos apud diluculum deglutiat ſequens condimentum, & per horam ſuperdormiat, ouum unum recens, coctum, ſorbile, & tremulum accipito, cui addatur uteri leporis præparati, ideſt loti prius cum uino albo odorifero, & potenti, deinde exſiccati, uel in umbra, uel apud ignem lentum, & optime in puluerem ſubtiliſsimum reducti, drachmas duas, & potui dato, & ſtatim ſuper ipſum bibat hauſtum uini optimi maluatici, & dormiat. Veſperi uerò cum ibit dormitum idem faciat. At mane per tres horas ante prandium, & poſt meridiem, his diebus, quibus ouum potauerit, capiat drachmas duas huius noſtri ellectuarii præcioſi, in quo eſt omnis uirtus fœtum concipiendi. Recip. corticum citriii, zedoarii, deronici, carabæ, coralli rubei, ana drachmam unam ſerici crudi minutim inciſi, been albi, & rubei, folii, ſpicæ nardi, cardamomi, gariophyllorum, anthos, calami aromatici, ana drachmam mediam, oſsis de corde cerui, drachmas.ii. margaritarum omnium, rubinorum, iacintorum, ſmaragdorum, ſem. ſampſuci, ſtæcados arabici. ana, ſcropulum.ii limaturæ auri, & argenti, florum bugloſsi, tormentillæ, ſtyracis calamitæ, ſpodii, ſem. baſiliconis, macropiperis, ana drachmam mediam, moſchi optimi, ambræ optimæ, ana ſcropulum unum menthæ ſiccæ, maſticis lucidi, ana, ſcropul.ii.& med. conſeruæ bugloſsi Vnc. unam, zucchari quantum expedit pro ſpecierum ſumma; & fiat ellectuarium ſecundum artem, quod non habet quòd ſit ei par ad fiendam conceptionem.

Hæc

Hæc Dixi Ego Benedictus Victorius Fauentinus, In Doctiſsimo Gymnaſio Patauino Primum ex ordine in Medicina theorica profitenda locum obtinens Anno à Christi ortu M. D. XXXV. Die XXIII. Aprilis. Ad laudem, & Gloriam illius Qui cuncta gubernat. Amen. &c.

FINIS.

IN SVPPRESSIONE MENSIVM

Pro Nobili & Magnifica Vxore Ioannis Hieronymi Bergomatis

Conſilium XXIX.

NObilis & Magnifica Domina Vxor Domini Ioannis Hieronymi Bergomenſis ætatis annorum XXV. Temperaturæ à primo ſemine ſanguineæ, cum inſigni ipſius flauæ bilis admixtione, Quo fit, ut ob bilis abūdantiam facilè ſanguis in choleram uertatur, & nunc temporis Nobilitas ſua, & ad actiones cholericas, & ad totius corporis cholericam habitudinem facilè pertranſeat. Epate quidem, & corde eandem ſapientibus temperaturam, à qua nunc temporis abundante aduſtiuā caliditate, concreata eſt inſignis melancholiæ quantitas, oc curſantibus quidem animæ paſsionibus, & ægritudinum

triſtitiæ

triſtitia, ut concauſa facta eſt ex accidente temperaturæ me lancholicæ, ob quam rem ubi alias carne abundans erat, nunc uerò macredine, & conſumptione afficitur.

Patitur inquàm hæc Generoſa Domina menſium ſuppreſsionem ob craſſos, hærentes, & glutinoſos humores, uias matricis obſerantes, ei quippe communicatos ab ambitu totius corporis, eiſdem repleti humoribus tum propter conſenſum à capite humidæ temperaturæ effecto cõſentiente toti corpori, & utero diſtillatione quadam, materiam promptam ad obſtructionem progignendam, tum uitio facultatis concoctricis uentriculi adgenerantis prædictos humores pituitoſos, qui ſua craſsitie, & hærentia ad totum delegati, & ad uterum ipſum, hinc & inde obſtructionem conducunt, ob quam liberum ſanguinis menſtrualis exitum, idoneo peragendum tempore prohibet. Et ob hanc menſium ſuppreſsionem Magnifica hæc Domina uariis ſymptomatibus afficitur. Primo capitis dolore, eleuatis ab utero ad ipſum uaporibus, qui replẽtes meatus cerebri & ipſum, & pelliculas ſuas extendunt, & dolorem concreant, unà ſimul concurrente plenitudine capitis ex ſuperfluitatibus in eo genitis, ob eius naturalem facultatem concoctricem factam imbecillem uaporibus ab utero ipſum petentibus, ſecundo tenetur debili ſtomachi cõcoctiua, tum ob uitiatum cerebrum conſentiens ſtomacho ſuperfluitates diſtillationis uia. Quæ cum ipſi ſint contumaces, relinquuntur ab opere uirtutis eius naturalis, & ei præter naturales efficiuntur, & ſtomachum grauantes, & mala qualitate afficientes, eius naturalem facultatem perturbant. Et ob hoc patitur tertio debilitatem, & appetentiæ corruptionem, tum propter præſentiam extraneæ ſuperfluitatis, tum ob uapores eleuatos ab utero ad os uentriculi, qui eius ſenſum ſtupidum reddunt, & appetentiã minuunt. Quo fit, ut non debite nutriantur membra, & totum corpus eius macilentum, & conſumptum reſtituatur,

tur, deinceps Magnifica hæc Domina & alui rugitu, & ſtrepitu, atque dolore, tenetur quarto uaporibus in aluo præſentibus ab utero delegatis, qui cum naturam ſpiritus flatuoſi ſapiant, conſimiles effectus progignunt. Et quinto afficitur patiẽs hæc Domina horrore quodam ferè ad omnia corporis membra, communicato, etiam his uaporibus quos uniuerſis muſculis uterus conſentit, qui cum quandoque ſint acuti eos pungunt, propulſantque eorum calorem ad intra, & rigent calore depauperato. Et huic fortè conſentit diſtillatio ab uteri uaporibus ad caput, quæ uel ſui algore, uel fortè acutie horrorem quendam in corporis muſculis conducunt. Et ab eiſdem malæ naturæ uaporibus, tenetur ſexto Magnifica hæc Domina falſis imaginationibus plerumque & falſis cogitationibus, quoniam uapores, qui ab utero ad caput eleuantur, cum turbidi ſint, & ſylueſtres ſpiritibus animalibus, quibus cum miſcentur, eos turbidos reddunt, factoſque ſylueſtres uirtuti animali, Quo fit, ut ea iudicet eſſe quod non eſt, & non eſſe quod eſt. Nempe ex his non immerito contingere poſſet nobilẽ matronam uteri præfocationi ſubmitti, ad quam facile cõſequetur animi defectus, uertigo, epilepſia, & omnia cerebralium ægritudinum genera.

CVRA.

CVm omnis morbi curatio in abolitione cauſæ conſiſtat, ut ſecundo aphoriſmorum, commento uigeſimo ſecundo. Dixit Galenus, & tertio artis medicinalis, ob hoc aliàs ſciui, quod ſi menſium ſuppreſſorum cauſas aboleamus, menſes ipſi reſerabuntur, & cum ſuppreſsionis menſium cauſa, ſit obſtructio nedum uiarum matricis, uerum & ambitus totius corporis, ideo hac obſtructione amota, aperientur menſtrua.

Fiet autem hoc tribus remediorum generibus. Primus

eſt uictus ratio. Secundus eſt medicinarum exhibitio. Tertius uerò eſt manualis operatio.

Pro primo caueat ab omnibus cibis humores craſſos, & glutinoſos, atque hærentes progignentibus, qui & facile in ſpiritum flatuoſum uertuntur. Sequatur autem omnia ciborum genera bonæ concoctionis, facilis penetrationis, & boni nutrimenti.

Sit igitur eius panis de flore farinæ; non recens unius diei, ſed duorum uel trium, non admodum, ut exteriora arida ſint cruſtacea, interiora uerò incocta; is enim deterrimus eſt panis.

Vinum eius non ſit nigrum, non craſſum, non turbidum, non dulce, non potens. Hæc enim uina obſtructionē procurant, & uterum ad ſuperiora commouent, non ſit acetoſum, non acerbum, quoniam utero contumax eſt, ſit autem eius uinum album, uel mediocris coloris, paucifeꝛrum. &c.

Carnes eius ſint boni nutrimenti, & facilis coctionis, ut pullorum gallinarum, caponum, perdicum, faſianorum, fregellarum, pullorum columborum, & generaliter omnium auicularum in arboribus degentium. Quæ autem aues in aquis degunt, ſunt ei inconuenientes, ut anſerum & anatum carnes, & ſimilium. Conueniunt quoque ei hædinæ carnes, & uituli lactantis, & cuniculi iuuenis, & iuuenis caſtrati. Sunt autem ei malæ, ut caro bubula, ſuilla, & ceruina, & caſtrati antiqui, & pecorina tam iuuenis, quam antiqua. Et carnes eius omnes ſint elixatæ, potius quam toſtæ, uel in patellis frixæ, & omnes ſalitæ carnes cuiuſuis ſpeciei, ſunt ei admodum contumaces.

Oua gallinarum ſi ſunt recentia, & non diu aſſeruata, & non dura, ſed tremula, & maximè ſorbilia, & in aqua decocta, & non ſub cineribus aſſa, neque in patellis frixa, ſunt ei conuenientia, præſertim eorum uitellus, malum autem eſt ei albumen.

Piſces

Piſces, ſi ſint de aquis mundis, & de torrente, & ſaxoſo flumine, & de libero mari, & non de paludibus, & aquis ſtantibus, ſunt ei minus mali, & elixati conueniunt, frixi uero in patellis admodum mali ſunt, peſsimi uerò ſaliti.

Olera quæcunque abundantis ſunt humiditatis, ei minus conueniunt, ut lactuca, ſpinachia, beta, & caules, non conueniunt, humorem enim progignunt melancholicū, herbæ autem, quæ non multo abundant ſicco, magis ei cōueniunt, ut bugloſſum, borago, endiuia, & ſimilia.

Fructus omnes ſunt ei contumaces, propter eos facile putreſcibiles eſſe, minus tamen nocent ei ficus, & uuæ benè maturæ.

Legumina omnia ſunt ei nocua, propter eſſe ſpiritum flatuoſum progignentia, admodum tamen ei conuenit iuſculum cicerum rubeorum decoctionis fœniculi, aniſi, matricariæ, & huiuſmodi.

Acetum autem, & omphacium, & quæcunque acerba ſunt, propter eſſe matrici contumacia, & ob eorum ſtipticam uirtutem non conueniunt.

Secunda intentio, quæ eſt medicinarum exhibitio, tribus intentionibus ſpecialioribus completur, prima, digeſtione in materia, ſecunda euacuatione, tertia membrorum confortatione.

Prima intentio perficitur, cùm ſyrupis ſequentibus, in quibus eſt facultas aperiendi uias matricis, & æquandi cauſam obſtruentem eas, & facultatem matricis confortandi, & remittendi omnia ſymptomata ſequentia menſium ſuppreſsionem, ut eſt ſyrupus de duabus radicibus, & de quinque radic. & ſyrupus biſantinus, & ſyrupus de matricaria, & ſyrupus de lupulis, & oxymel, ſimpl. & mel roſatum, & aquæ ſint ad eandem intentionem, & potentias ſyruporum roborantes, ut aqua abſinthii, fœniculi lupulorum, matricariæ, boraginis, bugloſsi, & ſimiles. Digeratur igitur materia per ſeptem dies continuos cum ſequenti ſyrupo,

præcedente tamen uětris lenitione cum lenitiuo, uel cum caſsia, uel manna, uel cum clyſterio lenitiuo, in cuius decoctione bulliant, matricaria, fœniculi, & betonica propter caput, cum mercuriali, & malua, & uiolis. Recip. ſyrupi de duabus radicibus, uel biſantini, ſine aceto. Vnc.I. ſyrupi de betonica pro capite, mellis roſ. col. pro ſtomacho, ana. Vnc. med. Aquarum matricariæ, fœniculi, lupulorum, an. Vnc. i. miſce, uel fiat ſic. Recip. ſyrupi de matricaria, ſyrupi de quinque rad. ſyrupi de betonica, mellis roſ. col. ana. Vnc. med. aquarum matricariæ lupulorum fœniculi, an. Vnc. i. uel loco aquarum uti poteſt patiens decoctione cicerum rubeorum.

Conſulo quoque quod alternis diebus, quibus ſyrupos capiet, utatur ſtomacho ieiuno ſequenti clyſtere, ubi non eſſet bina uentris eductio. Recip. mercurialis, blitis, foliorum maluæ, matricariæ, chamæmeli, aniſorum, ana manipulum unum radicum liliorum alborum. Vnc. med. bulliant uſque ad conſumptionem medietatis aquæ, & colentur. Et de colatura. Recip. lib. I. olei liliorum alborum. Vnc. iii. ieræ ſimplicis drachm. VI. zucchari rubei. Vnc. I. & med. Vitelli oui numero I. Salis comunis, drach. ii. & imponatur clyſtere.

Continuet uerò frictiones mane in coxis, & cruribus cum panno de roſato pro tẽpore aſſumptionis ſyruporũ, uel donec appareat ſigna coctionis. Deinde aggrediatur ſecundam intentionẽ, quæ eſt euacuatio, certè euacuatio duplici ingenio poteſt fieri, uel ſanguinis miſsione, uel purgatione, & omnibus benè penſitatis, & ſi corpus macrum ſit, quoniam tamen inſignis quantitas ſanguinis detenta eſt, quæ ſingulis menſibus ſolita eſt expurgari, qui ſanguis detentus, factus eſt præter naturam nocuus toti corpori. Ideo lata mente iubeo, uel antequàm capiat ſyrupos ſola lenitione uentris præcedente, uel tribus captis ſyrupis, ut aperiatur ſaphena pedis dextri, & ſit miſsio ſanguinis

quattuor

quattuor unciarum tantum, quoniam macra eſt. Demum autem facta ſanguinis miſsione, captiſque ſyrupis, apparentibus ſignis concoctionis, iubeo Magnificam hanc Dominam ſequenti medicina debere purgari, ea quippe capta per horam ante lucem pauliſper ſuperdormiendo. Recip. Diacatholiconis, Diaſenæ lenitiui ana. drach. iii. agarici electi. drach. I. Reubarbari optimi ſcropul. iiii. ſpicæ, zinziberis. ana gran. iii. confectionis hamec. drach. med. electuarii de dactilis ſcrop. ii. infundatur agaricus cum zinzibere in oxymellite ſimpl. per. x. horas. Infundaturque reubarbarum cum ſpica in aqua endiuiæ, & matricariæ, quan. ſuffic. cũ modico uini odoriferi albi per otto horas deinde fiat fortis expreſsio, & omnia ſimul cum decoctione comuni florum, & fructuum, cum qua bulliant matricariæ, betonicæ, polipodii quercini, ana drachm. ii. diſſoluantur, & fiat potus.

Vbi uero potione mulier hæc Magnifica non delectaretur, capiat eadem hora infraſcriptas pillulas.

Recip. pillularum aggregatiuarum ſcropul. ii. agarici trociſcati, ſcropulum unum, pillularum aurearum nicolai, ſcropulum medium, miſce cum ſyrupo de matricaria fiant pillulæ numero quinque.

Vbi uero in forma boli medicina eſſet ei magis grata, capiat infraſcriptum bolum eadem hora.

Recip. Diaſebeſten lenitiui. Diacatholiconis. ana. Vnc. med. ſpecierum ieræ ſimpl. Galeni, drach. I. & med. Reubarbari electi, drach. I. ſpicæ gran. iiii. Reubarbarum cum ſpica ſubtiliter incidatur, & cum modico uini albi odoriferi irroretur, & fiat bolus cum zuccharo.

Conſulo quoque, quod intentione euacuationis ad minus bis in anno duplici ſubmittatur euacuationi, in uere, uidelicet, & autumno, cum iam dicta euacuatione, uel ſecũdum quod ſuis excellentiſsimis medicis uidebitur.

Non ab re tamen eſſet, niſi impregnatio nos impediret,

 Nobilitatem

Nobilitatem ſuam quolibet menſe ſemel in diluculo ſequentes deglutiret pillulas. Recip. agarici electi præparati, reubarbari optimi, aloes loti, ana ſcropul.i. croci, gran.i. & med. miſce cum ſyrupo matricariæ fiant pillulæ numero quinque pulverizatis pulverizandis.

Tertia intentio ſpecialis, eſt membrorum roboratio quæ ſtat primo in roborando principalia, & maxime cor, & cerebrum, & demum matricem, & cum his, quæ ſtomachum ipſum habent corrigere, & appetentiam reuocare; inter quæ expertum eſt ſequens ellectuarium ad hæc omnia admodum ualere, & dicitur ellectuarium de citrio.

Recip. corticum citrii. Vnc.iii. zedoarii, doronici, carabe corallorum rubeorum ana.drac.ii. ſerici crudi minutim incisi, been albi, & rubei, folii ſpicæ, cardamomi, gariophyllorum, anthos, calami aromatici ana. drach.i. oſsis de corde cerui, ambarum margaritarum, rubinorum, iacintorũ, ſmaragdorum, ſem. ſempſuci, limaturæ auri, & argenti, an. ſcropul.i. florum buglosſi, tormentillæ, ſtyracis, calamitæ, ſpodii, ſem. ocimi macropiperis, ana.drach.med. Muſci, ambræ, ana ſcropulum unum, mentæ ſiccæ, matricariæ, calamẽti, ana.drach.ii.& med. maſticis, ſcropul.ii.& med. conſeruæ buglosſi, conſeruæ boraginis, conſeruæ roris marini ana. Vnc.i. croci, ſcrop.ii. terenda terantur, & cum zucchara optimo, quan. ſuffi. fiat ellectuarium doſis eſt, drach.ii. pro uice, tribus horis priuſquàm prandeat.

Et quoniam accepi Magnificam hanc Dominam uniuerſi corporis conſumptione teneri. Ideo laudo, quòd omni mane in diluculo capiat. Vnc.i. infraſcriptæ mixturæ, diſſolutæ cum iuſculo bonæ pullæ ſuperdormiendo, & idem faciat omni ueſperi, cum cubare uoluerit.

Recip. carnis pulparum caponis, & faſiani, ana.Vnc.iii. amigdalarum dulcium mundatarum, pinearũ, piſtaciorũ, ana.Vnc.i.& med. ſem. mellopeponũ, mundatorum. Vnc.i. amyli, draganti, ana.drach.i.& med. croci gran.ii. zucchari

quant.

quan.ſuffic.& fiat mixtura liquida.

Conſulo quoque pro cordis uigore,ut omni mane ante cibum ungatur tota cordis regio cum ſequenti unguento calido ſuperponendo ei petiam de ſerico,de grana , uel de cremiſino.

Reci.olei nympheæ luteæ.Vnc.ii. pulueris florum nympheæ luteæ.dra.i.ſandalorum rubeorum, corallorum rub. ſem.acetoſæ ana ſcropu.i.margaritarũ, ligni aloes,oſsis de corde cerui,ana ſcrop.med.camphoræ,croci,an.gran.iii.ceræ albæ lotæ,cum aqua nympheæ luteæ, quan.ſuffic.& fiat unguentum,puluerizatis puluerizandis pro corde.

Pro cerebri uerò uigore , & capitis dolore, laudo quòd quotidie ueſperi in ingreſſu lecti ſub palato teneat ad quátitatem nucis auellanæ,donec quòd ſenſim lambendo deſcendat,infraſriptam mixturam.

Recip.conſeruæ ſtæcados,conſeruæ anthos,zucchari roſati, ana.Vnc.i.miſce.

Mane uerò utatur ieiuno uentriculo leuibus frictionibus à ſurſum in deorſum, uſque ad pedes fricando , poſt quas , immediate capiat benè mandendo infraſcriptas radices.Recip.radicum acori conditarum.Vnc.med.

Nempe quoniam Generoſa hæc mátrona principali affectione tenetur menſium ſuppreſsione , à qua omnia in ea pendent mala,ideo laudo,ubi per dicta mẽſes non aperiantur,ꝙ & concoctione,& euacuatione præcedẽtibus,alterius diebus,capiat drach.i.& med. ſequẽtis pulueris diſſoluti in aqua,uel decoctionis matricariæ, & ſabinæ,& ſtatim menſes reſerabuntur.

Recip.caſsiæ ligneæ.Vnc.med. cinnamomi drah.i. croci ſcro.med.miſce,& fiat puluis ſubtilis.

In eadem intentione laudo,ut mundato corpore mane & ueſperi ante cibum diluat ſibi à genubus infra , cum ſequenti decoctione.

Reci.calamenti,ſabinæ,matricariæ, pulegii ana.Manip.i.

bulliant

bulliant in ſuffi. quan. aquæ cineris uſque ad conſumptionem medietatis, & uſui ſeruetur.

Vbi autem hæc non contulerint, conſulo, ut in roboratione ſtomachi, & inteſtinorum, & uteri, & illius obſtructionum apertione, ut aggrediatur thermas apponenſes in Comitatu Patauino, quoniam merito ſuæ mineræ, & naturalis temperaturæ, omnia nutritiua membra corroborant, & earum obſtructiones tollunt, & ſtomachum, & inteſtina, atque matricem à ſuperfluitatibus purgant, à quibus fumi eleuantur ad caput, & illius dolorem progignunt, tollendoque dolorem capitis, etiam ipſum caput ſecurium reddunt ab aliis cerebri morbis, ab illis ortis uaporibus. Vltra hoc quod mundificando uias matricis, & eas aperiendo, ſecurè prouocant menſes. Quam aquam ei adminiſtrandam puto in potu, & in balneo uſque ad regionem matricis, & non aliter. Harum autem thermarum idoneum acceſsionis tempus eſt à principio Maii ad medium Iunii, uel circa, & à medio Auguſti ad finem Septembris, ſeruatis, quæ ſeruari debent ad potum aquæ dictæ. Et erunt D. ſuæ Thermæ hæ ſacerrimæ, econtra uerò contumaces.

Quantum uerò ad tertiam intentionem generalem, quæ eſt manuum operatio. Conſulo Magnificam hanc Dominam in eo ſuper quod ſum bene expertus. Et eſt, ut ei conducantur duo cauteria in cruribus infra genu per quatuor digitos in parte ſylueſtri, & teneantur aperta, conducunt enim cauteria hæc humores à toto corpore, quo fit, ut ab utero prouocentur deorſum ſuperfluitates, & eius natura exonerata, menſtrua ſingulis menſibus propellet, diuertenturque uapores ad inferiora, ut ſuperiora membra ſecura reddantur à nocumentis, & præſertim cerebrum, liberabiturque uirtus animalis, ut non falſe cogitet, & imaginetur, eius enim ſpiritus animales non reddentur ſylueſtres ob uapores matricis eis non permixtos,

propter

propter ipſos inferius retractos eſſe. Et ex his ſalutaribus remediis, certè nedum ſuccurremus ſuppreſsioni menſtruorum, uerum & omnia corrigentur ſymptomata, quibus Magnifica & Generoſa Domina male tractatur. Ad Dei Gloriam. Amen.

Benedictus Victorius Fauentinus dum in Academia Patauina Medicinæ Theoricam profitebatur hæc dixit.

FINIS.

IN SVPPRESSIONE, ET ARDORE urinæ inter mingendum Pro Nobili Domino Bernardo Auguſtano

Conſilium XXX.

NObilis, Et Magnificus Dominus Bernardus Germanus, de Auguſta ætatis ſuæ annorũ. XXXIIII. temperaturæ ſanguineæ ex natura, cum inſigni ipſius bilis commixtione, ueluti ſuæ Dominationis habitudo carnoſa id nobis indicat: cum aliquo citrinitatis colore rubedini permixto. Eſtque ſua D. benigna, hilaris, iucunda, amabilis, & admodum grata. Quòd ſi aliquando propter bilem cito, & uelociter iraſcatur, ſanguinis tamen benignitate repente placatur, & quoniam in eo cholera non ab acumine eſt immunis, ideo per eam ſanguis continuè

nue in bilem mutatur,& acutior redditur.Eſt & S.D. iecoris ſatis calidi,ob quod multum ſanguinis procreat,& ipſum procreatum adaucta illius caliditate in bilem uertit, & ob hoc eius aquoſitas toti moli permixta,admodum acuta,& mordicans efficitur, quod nobis indicat ipſius urinæ ignea rubedo,& per hoc notatu dignum eſt epar, S. D. in utraque paſsiua qualitate non multum à temperamento exceſſum obtinere,non enim per humidum, quoniam ex bilis ſiccitate remittitur, non per ſiccum, quoniam humidum ſanguinis ipſum humectat, ſunt & eius renes admodum calidi, tũ difflata ab epate ad ipſos caliditate per latas uias,tum confluxu ſanguinis acuti ad eoſdem,& etiã eſt urinali aquoſitate ad ipſos renes fluente facta acuta, & mordaci ab humoribus,quibus permiſcetur.

Et eius cerebrum calidum pronuntiamus,& humidum: effumante enim iecinoris caliditate,& ipſorum renum,efficitur calidum,& quoniam donata illi caliditate à natura ad ipſum attrahuntur ab infimis corporis partibus non modicæ ſuperfluitates, ideo ultra quod ipſum cerebrum reddunt humidum, & ipſum excrementitium fabricant, & diſtillationibus totum caput afficiunt.Et etiam S.D.cordis calidi exiſtit, quoniam omnia ſecundum compoſitionem Thoracis exiſtentia ſupra calidam cordis temperaturam indicant,præter hoc,quòd uelocis eſt motus ad iram, & eius uentriculi facultas lõgè melior exiſtit facultatibus omnium dictorum membrorum,quo fit,ut eius potentia concoctrix uigens ſit,& non oblæſa.

Patitur inquàm hic Nobilis Dominus cum dictis temperaturis, primo urinæ ſuppreſsionem,ad tempus, ubi cũ deſiderio,& appetitu mittendi urinam, non eſt immunis à forti, & magno conatu egerendi, & ipſe idem ob intenſum excernendæ urinæ appetitum,tunc temporis ſubmittitur immiſsioni ſiringæ per meatum uirgæ, & tunc exit ſanguis ſolus, & non urina, poſt uerò per aliquot dies

guttatim

guttatim urina emittitur, demum uerò liberiori tranſitu urina excernitur, Quòd ſi uelimus Galenum ſexto de locis affectis, capite tertio, huius ægritudinis nomen Diſſuriæ appellabimus. Cum ſit urinæ ſuppreſsio, cum uoluntate eiiciendi, & eiuſdem exitus guttatim ad tempus, & eũdem morbum nuncupat Auicenna. XIX. tertii, & . XVIII. Vrinæ difficultatem.

Et huius cauſam aliqui imaginantur eſſe multitudinem ſanguinis, in epate, & renibus exiſtentem, ob eius complexionem eſſe ſatis ſanguineam, qui ſanguis in aliqua hora ad ueſicam præcipitatur, & ſui multa quantitate uenas colli ueſsicæ replens, ipſum inflat. Quo fit, ut tunc prohibeatur uoluntarius urinæ exitus, & propter eandem ſanguinis quantitatem uenas illas inflantem aliquando dicunt diſrumpi, uel ob ſiringam immiſſam, illas tumidas uenas inuenientem, eas dilaniat, & ſanguis exit. Nempe hanc cauſam ſuppreſsionis urinæ non acceptat Gale. quarto aphoriſmorum, commento ſeptuageſimo octauo, ubi ait, in ipſa enim ſcilicet ueſica uenam rumpi ex influentis ſanguinis abundantia, quemadmodum in renibus eſt impoſsibile, neque enim per eius uenas ſanguis percolatur, ſed ſolum tantum, quantum ipſi ſufficiens pro alimento contribuitur.

Aliam igitur imaginabor cauſam huius urinæ ſuppreſſionis cum Galeno primo, de locis affectis ad principium, & cum Auicenna. XIX. tertii, & eſt obturatio exiſtens in collo ueſsicæ, quam ob alteram trium cauſarum ortum habere dixerũt. Aut quoniam ueſsicæ collum intumeſcit, & induratur, uel propter curſum humorum craſſorum in collo detentorum ipſum tumidum reddentium; quo fit, ut eius urinæ exitus uoluntarius prohibeatur, uel intumeſcit ob cicatricem cauſatam in eo ex uulnere præcedente, aliquando enim creſcit cicatrix, & in quendam tumorem uertitur, quo collum ueſsicæ intumeſcit, & prohibetur uri

næ tranſitus, altera cauſa faciens obſtructionem in collo ueſsicæ poteſt eſſe, uel uerruca, uel caro ſuperflua, uel pori, tertia cauſa poteſt eſſe aliquid tranſmiſſum, uel detentũ in uia, ut lapis, uel craſſus humor, & glutinoſus. In hoc autem Nobili Domino puto cauſam ſuppreſsionis urinæ eſſe triplicem. Vnam procatharticam, & eſt regimen præcedens in ſex rebus non naturalibus, multiplicatiuum humorum craſſorum facile uias obſtruentium. Altera eſt cauſa præcedens, & eſt plenitudo totius corporis ex humoribus glutinoſis, & hærẽtibus ad uias urinæ ueluti ad locum imbecilliorem declinantibus: Et huic etiam conſentit caput, à quo diſtillatione quadam nedum ad uias urinæ, uerum & ad inferna totius corporis craſsi illi humores irruunt, ibi dyſſuriam cauſantes, hic uerò debilitatẽ, & quandam ſtuporis ſpeciem. Tertia uerò cauſa eſt, quam contentiuam dicunt, & puto eſſe præſentiam ad tempus humoris glutinoſi, & craſsi, collo ueſsicæ imbibiti; & ſecundum quod magis ille humor multiplicatur, cauſat ad tempus dyſſuriam ipſam, & aliam dico cõiunctam adeſſe cauſam, uidelicet, cicatricem, quæ ex uulnere occalluit; cùm ante urinæ ſuppreſsionem preceſſerit mictus ſanguinis ex dilaniatione facta in uenis colli ueſsicæ, & corroſione ſubſtantiæ eius carnoſæ ex quadam uiolenta iam capta medicina, ut ait Nobilis patiens, & ob hoc non puto, cauſam huius morbi in patiente iſto eſſe ſuperfluam carnem adgeneratam in collo ueſsicæ, cum longum temporis ſpatium plerumque teneat ſine ulla urinæ ſuppreſsione, & minus præſentiam lapidis.

Patitur ergo Nobilis hic Dominus, continuum urinæ ardorem aliquando clamoſum, eo maximè tempore, quo mictus ſequitur urinæ ſuppreſsionem, aliquando uerò remiſſum ſentit ardorem, eo præſertim tempore, quo libere urinam excernit.

Huius autem ardoris urinæ cauſam procatharticam pu-

to in nobili patiente fuiſſe, quæcunque extrinſecus contingētia corpori, humores corporis acuunt, ueluti longū iter, & quodlibet aliud longum exercitium, & inordinatum in tempore calido, & nimius uſus rerum calidarum, & acutarum, & ſalſarum, & nimius potus uini potentis, & uſus ſuperflui coitus, & hæc certè omnia puto adfuiſſe in nobili patiente. Præcedens uerò cauſa morbi D. S. eſt præſentia humoris acuti multi, progeniti à nimia epatis caliditate, multiplicatiua ſanguinis, & choleræ, & alterius humoris ſalſi, & nitroſi, continens uerò cauſa eſt, urina uitiata ab humore acuto pungitiuo, nullo quidem ulcere exiſtente in collo ueſsicæ, uel alibi.

Sed ego cum his cauſis addo aliam, quam puto eſſe huius morbi cauſam in iſto nobili Domino, quam etiam dixit Auicenna.XIX. tertii tractatu ſecundo, capite tertio, & eſt defectus humiditatis glutinoſæ præparatæ in carnibus glanduloſis colli ueſsicæ, ipſa enim à natura genita eſt, ut urinæ illic permeanti permiſceatur, ut eam æquet, ne in tranſitu per collum ueſsicæ ſua caliditate, & nitroſitate pūgat, & ulceret carnoſam ſubſtantiam colli ueſsicæ. Vbi igitur defecerit hæc humiditas, urina ſic permeans in ſuo calore acuto, & ſalſedine non æquabitur, punget autem collum ueſsicæ, & continuū cauſabit ardorem, & huius humiditatis defectum efficit nimius coitus, ut dixit Galenus decimo quarto, de uſu partium, & Auicenna, ut ſupra. Quem uſum nimii coitus hic Nobilis patiēs admodum exercuit. In nimio enim coitu propter ſimilitudinem, quam habet humiditas illa glutinoſa cum ſpermate, in ſpermatis emiſſione ſuperflui coitus multum attrahentis, euacuatur humiditas illa, ubi collum ueſsicæ in ſui carne glāduloſa, priuatum illa humiditate ab urina, in calore, & nitroſitate nō æquata, pungitur, & ardore ſubmittitur continuo.

In his autem affectionibus, quibus Nobilis hic Dominus Bernardus non modice corripitur, à nobis ſalutaria

petit auxilia. Petitioni cuius cum ex debito obtemperare teneamur: fauente deo optimo præſidia afferemus, quibus ſi D. ſua morem gerat, non dubitamus illa, illi admodum fore proficua.

Vtar igitur, ut docuit nos Galenus in libro de partibus artis medicatiuæ, & Auicenna quarta primi uno uel pluribus trium medicinæ inſtrumentorum. Quorum primum, & nobilius eſt uictus ratio, ut dixit Galenus in libro experimentorum ad finem.

CIBVS, ET POTVS.

IN urinæ igitur ſuppreſsione, ſit eius panis ex tota farina confectus.i.quodhabet aliquid furfuris, eo enim fit humorum glutinoſorum abſterſio, & uiarum urinæapertio, & propter ipſum panemhabere aliquid furfuris non cõtradicit etiam ardori urinæ & non ſit eius panis ſalitus, ne urinæ ardor promoueatur, & non ſit multum fermentatus, ſed parum, quoniam utrique ſuæ affectioni nocuus eſt panis admodum fermentatus, & non ſit in cruſtaceis uſtus, ſed duri cortices amoueantur, & non ſit in intimis incoctus, admodum enim in ſuppreſsione urinæ hic panis contumax eſt, & non ſit unius diei, ne in uentriculo ſupernatet, ut dixit Auicenna ſecundo canone, ſed duorum, uel trium dierum, & non amplius.

Vinum in urinæ ſuppreſsione uidetur conferre, iuxta illud Hippocrat. ſeptimo aphoriſmorum ſtranguriam, & dyſſuriam uini potio ſoluit. In ardore autem urinæ uinum lædere uidetur, ubi Auicenna in potu loco uini commendauit potum lactis acetoſi, à quo extractum ſit butyrum. Nos autem medium tenentes laudabimus uinum pauciferum medii coloris aqua permixtum. Quod ſi Dominatio ſua uellet tolerare illi uino aquam hordei permixtam, uel aquam ſeminum communium maiorum frigidorum.

gidorum. Certè tale eſſet D. ſuæ peridoneum. Caueat autem D. ſua à multo potu uini, & maximè à potu uini, cum poſt cænam uult cubare, ſed aquam ſeminum communium, uel hordei, cum modico Iuleb uiolati, tunc temporis bibere poterit.

Euitet autem D. ſua cibaria quæcunque ſunt difficilis concoctionis, & craſsi alimenti, & ſpiritum flatuoſum progignentia, ut ſunt omnia leguminum genera, præter iuſculum cicerum nigrorum, quod utrique ſuæ diſpoſitioni auxilium præſtat. Et expertus ſum, quod uti ſequenti cibo aliquando de mane plurimum confert in ſtranguria & dyſſuria, Recip. iuſculum cicerum nigrorum, iuſculum aſparagorum, cochlearum ana. Vnc.iiii. olei amigdalarum dulcium recentis. Vnc.i. & med. zucchari. Vnc.i. miſce pro una uice. Omnia genera caſei euitare debet, & præſertim ſaliti, quoniam humorem craſſum, & pinguem progignunt facile inhibentem urinæ exitum, & nedum ſaliti caſei id conducunt, uerum ſalſugine ſua urinæ ardorem prouocant, ſicut & omnia ex butyro cibaria id faciunt. Laudo tamen D.S. lactis exhibitionē, & maxime cum ab eo extractum eſt butyrum, & hoc dixit Auicen. XIX. tertii tractatu ſecundo, capite octauo, ubi ait. Et ſcias, quod lac eſt res magis conueniens eis, cum non eſt febris, ne igitur noceat ardori urinæ ab eo extrahatur butyrum, quod facilè aduritur, & acutum progignit humorem, qui in ardore addit urinæ. Et quæcunque condimenta fiunt ex paſta, eadem ratione ſunt ei nocua, & ideo caueat panem azimum, caſtaneæ, & omnia genera fructuum ſunt ei contumacia, quoniam ſui larga humiditate, & debili caliditate, ſunt ſpiritus flatuoſi progignentia. Et oſtendit Auicenna, difficultatem urinæ aliquando habere cauſam, flatum aliquem. Sunt & fructus facile putreſcibiles, & quia putredo addit caliditatem materiæ ex Galeno, in libro de ſanguinis

miſsione

miſsione,ideo & ipſi in ardore Vrinæ addunt Vbi uero D. S. aliquibus delectaretur fructibus,minus mala ſunt pruna damaſcena, poma dulcia,& pira,præſertim cocta. Caueat à ficubus, & paſſulis, quoniam aliquid in ſe acuitatis habent,quo urinæ ardor concreſcere poſſet. Caueat D. S. ab omnibus cibis ſtipticis ob urinæ ſuppreſsionẽ, etiam omnia toſta,& in patellis frixa cõtumacia ſunt D. S. ſiue oua, ſiue piſces,ſiue carnes fuerint. Elixata uerò ſibi conuenientiora ſunt,& maximè oua in aqua elixata,tremula, & recẽtia. Oua uerò dura, & diu aſſeruata ſunt ei nocua. Caueat quoque à carne bubula,& ſuilla,& à carnibus omniũ quadrupedum,& uetuſtorum animaliũ. Sunt enim mali chimi progignentes horum animalium carnes.

Quæ autem ei conuenientes ſunt carnes, eſt hædina caro,& uituli lactantis, & iuuenis caſtrati, & cuniculi iuuenis,& ericii,& de auibus ſunt perdices, faſiani, pulli gallinarum,capones,turtures,merulæ turdi,francolini,pulli columborum, & omnes Auiculæ in arboribus, uel nemoribus,& in pratis habitantes, ei peridoneæ ſunt. Quæ uerò in aquis degunt,ei ſunt contumaces, ut anſeres, anates,& huiuſmodi.

De oleribus uerò tempore quo non tenetur urinæ ſuppreſsione, ob ardorem mictus, conuenit malua, lactuca, portulaca,ſpinachia,& maximè cocta cum extremitatibus uituli,ſua enim frigiditate alterant, & æquant ſuperfluam urinæ caliditatem,& humorum commixtorum cum ea,& glutinoſitate acquiſita ab extremitatibus uituli, fit reſtauratio humiditatis uiſcoſæ in carnibus colli ueſsicæ,defectu cuius, accidit urinæ ardor. Piſces eius ſint petroſi de aquis mundis, & de torrentibus, & de libero mari,& non grandiores,& piſces ſine ſquamis,& ſaliti, ſunt D. S. ualde rebelles,& etiam qui ſordidas,& lutoſas,ſtanteſque aquas inhabitant,excrementicii enim ſunt, & malum ſuccum progignentes.

Cibaria

Cibaria enim, quæ admodum diuretica ſunt, cum per ea facile irruant materiæ ad uias urinales, ſunt ei nocua, eorum tamen uſus adminiſtrari tunc poterit, cum corpus erit totum bene purgatum, ante uerò conuenient cibaria, quæ urinam leuiter ciunt, ueluti ſunt rapæ, & maximè cimæ foliorum raparum, & paſtinacæ domeſticæ, ac ſylueſtres.

AER.

QVoniam autem aer de his eſt, ſine quibus neque ſanitas teneri poteſt, neque morbus propelli, ut primo de tuenda ſanitate dixit Galenus, & Auicenna ſecunda primi. Ideo tempore quo D. S. ſuppreſsione urinæ tenetur, aer frigidus debet euitari, & quando mingit, uel mingere conatur, non diſcooperiat ſibi pudibunda, ne ad ea multus aer perueniat: ipſa enim aere actualiter frigido, inſigne patiũtur nocumentum, ut uoluit Hippocra. quinto aphoriſmorum, & ut præſeruet ſe à futuræ urinæ ſuppreſsione, fugiat loca ualde frigida, & non deambulet per loca niuoſa, neque moram trahat in his, frigidum enim immobiles facit ſuperfluitates noſtri corporis per ſe.

Tempore uerò quo D. S. ſuppreſsione urinæ non corripitur, ſed continuo ardore urinæ tenetur, tunc aer eius non immunis ſit à frigiditate, & propter urinæ ſuppreſsionis timorem, non ſit admodum frigidus aer, ſed propter utraſque eius diſpoſitiones, aer eius potius declinet ad parum frigidum, & humidum aerem, quam ad calidũ, & ſiccum. Et ideo fugiat D. S. moram in ſole, & in aere ualde calido & ſicco. Caueat quoque ab aere uentoſo, & ubi adſit multitudo fumi, & ab aere ex aromatibus facto calido, & ſicco, maximè cum ſolo ardore urinæ, & non ſuppreſsione corripitur, in his autem quæ aeri annectuntur intentione habita ad ardorem urinæ, non multis ſui corporis

poris cooperimentis utatur die, noctuque, ne illis epar, & renes multum calefiant, & in ardore addatur urinæ. Et lectus ſuper quem dormit, non ſit ex plumis, quoniam eius caliditate, & membra, & humores corporis, ſuperfluitateſque calefiunt in ardore addentes. Dormiat quippe non ſuper dorſum, quoniam inflammantur renes, & inde urina. Neque ſupra latus dextrum, quia inflammatur epar. Dormiat igitur ſuper latus ſiniſtrum, & ob urinæ ardorē leuiter moueat ſe, & reuoluat, ne mictus excitetur frequentius: &c.

MOTVS, ET QVIES.

CAueat quoque D. S. à nimio exercitio, eo enim humores exacuuntur, & urinæ ardorem commouent, neque nimia utatur quiete, hæc enim facit ad humorum craſsitudinem, & glutinoſitatem, quibus facile uiæ claudi poſſunt, & ob hoc urinæ ſuppreſsio contingere poſſet. Sint igitur eius motiones, & quietes non longe à temperamento, conuenienti quoque tempore peractæ, ne illis uirtutes occuparentur in concoquendo. Non fiat igitur exercitium ſtatim uentriculo impleto, ſed complemento concoctionis appropinquante. Et ea quippe corpus quieti nō ſubmittatur, quoniam ſopiretur uirtus, & concoctio à termino proprio magis longa fieret, ideo tunc moderatè moueatur, ab imbecilli quidem motu inchoando, ipſumque eleuando donec ſudor inter duas cutes apparere cœperit, & repente quieſcat.

Annectitur autem exercitio coitus, & iubeo D. S. à nimio coitu abſtinere, eo enim, ut dixit Auicenna. XIX. tertii & Galenus decimo quarto, de uſu partium conſumitur humiditas carnis glanduloſæ colli ueſsicæ, cuius defectu, urinæ ardor facilè conſequitur, eo etiam ex continuo motu, & fricatione humores, & ſuperfluitates ad uias urinæ attrahuntur, obſtructionem in his facile conducentes, &

urinæ

urinæ ſuppreſsionem efficientes. & cet.

SOMNVS, ET VIGILIA.

ET quoniam à ſuperflua uigilia exacuuntur, humores, quibus acutis factis additur in ardore urinæ, ideo caueat D. S. à nimia uigilia, & quia à nimio ſomno ſopitur uirtus concoctrix, ob quod naſcuntur in toto corpore pituitoſæ ſuperfluitates quæ ad loca urinæ, ut ad debiliores partes in S. D. facile earum uias obſtruere poſſent, & urinæ ſuppreſsionem cauſare, & ob hoc fugiat nimium ſomnũ. Diurno quoque ſomno non ſubmittatur, quoniam ab eo omnia contingunt nocumenta in affectionibus S. D. præſertim uentriculo impleto, & ob hoc etiam tunc temporis fugiendus eſt coitus. Reddat igitur D. ſua Nobiliſsimæ Vxori ſuæ debitum uerſus complementum tertiæ concoctionis, quod erit tempus octo horarum poſt impletum uentriculum.

ACCIDENTIA ANIMI.

NOn triſtetur, neque iraſcatur D. S. quoniam exacuuntur humores, & inde inſurgere poteſt urinæ ardor, ex his quoq; dilaniantur, & fiunt imbecilles facultates omnes totius corporis, ut dixit Gale. iii. artis medicæ, & diminuta concoctione, multiplicari poſſunt craſſæ ſuperfluitates urinæ ſuppreſsionem inducentes. Gaudeat igitur, & lætetur modeſte cum gaudentibus, & lætantibus. &c.

INANITIO ET REPLETIO.

DEclinet autem D. S. ad latus inanitionis corporis, & ſubtiliantis dietæ, ut faciebat in cuiuſuis morbi curatione Eraſiſtratus, cum enim corpus modeſte uacuum tenetur natura non oppreſſa à multitudine humorum ipſos corriget, & regulabit, ut neq; exacuantur, neq; craſsi, & glutinoſi fiant, ob quod non accidet timor de urinæ ardore, & eius ſuppreſsione. Teneat igitur D. ſua corpus mundum, & euacuatum, uſu quippe modeſto, uel ſubtiliante diæta, uel alio quodam modo ut poſtea dicemus.

Secundum medicationis inſtrumentum eſt, medicinarum exhibitio, quod quattuor principalibus intentionibus complebimus, uidelicet, minoratione materiæ, digeſtione eiuſdem, euacuatione, & membrorum corroboratione.

Prima intentio eſt admodum neceſſaria, quæ duplici ingenio effici poteſt, uel ſanguinis miſsione, uel purgatione. Conſulo igitur in utroque ſui morbo, ut quolibet anno aduentante uere, fiat miſsio ſanguinis ex epatica. Eſt enim tempus idoneum ad hæc ut ait Galenus in libro de ſanguinis miſsione, & ſequenti die incidatur ſaphena, iuxta præceptum Hippocratis ſeptimo aphoriſmorum, ubi ait, ſtráguriam & dyſſuriam phlebotomia ſoluit, incidere autem oportet eam, quæ in talo uenam, ſcilicet poſt baſilicam, & fiat ſanguinis extractio uſque ad ſex uncias. Laudo deinceps, ut poſt ſanguinis miſsionem ex epatica in ſpatio dierum trium fiat hæmorrhoidarum apertio, ſemper clyſteri præcedente lenitiuo. Confert enim hæc ſanguinis miſsio, ob illud Hippocratis uerbum, melancholicis, & nefriticis hæmorrhoides innatæ bonum, poſt uerò conſulo, ut eodem tempore ueris, ueluti idoneum, & conueniens D. ſuæ ſubmittatur minorationi materiæ pro ſecundo ingenio cum ſequenti pharmaco. Recip. floris caſsiæ nouiter tractæ. Vnc. i. Electuarii de dactilis, drach. ii. fiat bolus cum zuccharo hæc materiæ minoratio eſt conueniens, iuxta Galenum ſecundo aphoriſmorum, commento illius aphoriſmi. Inchoantibus morbi &c. Et hoc, ut natura exonerata reddatur potentior ſupra reſiduum materiæ remanentis ad concoquendum, uel reſoluendum, uel euacuandum, & conſulo D. ſuam quod à medicinis in forma pillulari, quantum eſt ei poſsibile caueat, cum earum ingredientia ſint ut plurimum calida, & ſcamoneata multum oppugnantia epati, & renibus calidis S.D.

Materia igitur minorata, laudo D.S. præparare materiã

ad

ad facilem expulſionem, ubi ſeptem diebus continuis in diluculo, capiat ſequentem ſyrupum, calidum pro ſecunda intentione principali.

Recip. ſyrupi de glyciriza, ſyrupi uiolati, ſyrupi de duabus radicibus, ſyrupi de endiuia, ana. Vnc. med. aquarum ſem. communium frigidorum, dulcis radicis, adianti, ana. Vnc. i. miſce. Octaua uerò die per horam ante lucem, & apparentibus ſignis digeſtionis D. ſua capiat infraſcriptā medicinam, & hoc pro tertia intentione. Recip. floris caſſiæ nouiter tractæ. drach. VI. Mannæ electæ. Vnc. med. confectionis hamec. drach. ii. & med. miſce, & fiat potus, cum decoctione communi pectorali. Quòd ſi potio ſit D. ſuæ abhominabilis, eandem capiat in bolo, uel capiat infraſcriptas pillulas, ubi cum medicinis in alia forma purgari nō ferat. Recip. pillularum aggregatiuarum ſcropul. ii. pillularum ſine quibus, drach. med. miſce, cum ſyrupo uiolato fiant pillulæ numero quinque.

Capta uerò medicina per quattuor dies cōtinuos apud auroram iubeo D. S. capere infraſcriptum potum. Recip. aquæ ſem. communium frigidorum, aquæ adianti, aquæ maluæ. ana. Vnc. i. iuleb uiolati. Vnc. i. miſce pro una uice. Quinta uerò die capiat per horam ante prandium ſequentem bolum. Recip. floris caſsiæ nouiter tractæ. drach. x. pulueris glycirizæ drach. ii. miſce, & fiat bolus. Demum laudo ut in eodem tempore ueris, in diluculo, uel orto iam ſole capiat die quolibet per quindecim dies continuos, Vnc. VI lactis caprini recenter mulcti calidi propria caliditate, uel ouini, cum modico zucchari, & quieſcat ſupra ipſum in lecto per duas horas, & non dormiat, neque exercitetur.

Deinceps per totum tempus æſtatis, conſulo, ut obſeruantiam hanc D. S. habeat, quòd bis in ſeptimana capiat per mediam horam ante prandium unciam mediam floris caſsiæ recenter extractæ, inter enim omnia medicamenta, nullum inuenitur maius cōducens præſidium in utraq;

affectione D. S. quam caſsia.

Aduentante uerò autumno conſulo D.S. iterato purgari debere, eadem, qua & tempore ueris purgatione, poſt quam purgationem iubeo D. ſuam duodecim diebus continuis in aurora capere. Vnc. VIII. ſequentis potionis cum zuccharo. Recip. cicerum rubeorum, granorum halicacabi ana. M. I. foliorum maluæ cum radicibus rad. altheæ, an. M. med. dulcis radicis mundæ, Vnc. med. ziziphorum, ſebeſten ana. numero. XV. ſem. melonum mundatorum. Vnc. I. aſplenii, agrimoniæ. ana. Vnc. med. bulliant omnia in ſufficienti quantitate aquæ, uſque ad conſumptionem medietatis, deinde colentur, & colatura uſui ſeruetur.

His enim omnibus in temporibus prædictis, nedum urinæ ardor tolletur, uerum & à futura urinæ ſuppreſsione D. S. præſeruabitur. Verum ultra hæc conſulo, ut plerumque in menſe in præſeruatione, à futura ſuppreſsione urinæ per duas horas ante cibum mane & ueſperi utatur quantitate. drach. iii. pro uice ſequentis mixtionis. Recip. ſucci altheæ depurati, ſucci radicum raparum, ſucci radicum graminis ana. lib. I. pulueris glycirizæ, agrimoniæ ſiccæ, aſplenii ſicci, florum ſparthii ſiccorum, ana. Vnc. iii. granorum halicacabi, Vnc. I. ſem. apii. Dauci petroſelini, rubiæ tinctorum, ſabinæ, ana. drach. ii. ſem. melonũ mundatorum, amigdalarum amararum excorticatarum, ana. Vnc. I. omnia terenda ſubtiliter terantur, & contundenda contundantur, & cum ſuccis miſceantur, & lento igne bulliant, uſque ad cõſumptionem medietatis ſuccorum, deinde cum zuccharo quan. ſuffic. fiat electuarium.

Conſulo quoque in præſeruatione à ſuppreſsione urinæ bis in menſe D. S. ſedere mane, & ſtomacho ieiuno in ſequenti balneo per mediam horam. Recip. foliorum caulium, foliorum, uel radicum maluæ, radicum altheæ, granorum halicacabi, ſaxifragiæ, agrimoniæ, radicum raparum, radicum raphani, ana. M. I. carui, dauci, apii, fœniculi, rubiæ

tinctorum

tinctorum, ana.M.med. bulliant in ſuff.quan.aquæ, ad conſumptionem tertiæ partis, & colentur, & colatura uſui ſeruetur, & nota quod in actuali ſuppreſsione urinæ, dictum balneum eſt admodum utile, ſi poſt exitum à balneo, repẽte capiat ſequentem bolum. Recip. Terebintinæ lotæ cum aqua altheæ Vnc.med. carnium ſebeſten.drach.ii. pulueris aſplenii, drach.med. miſce, & fiat bolus.

Vbi uerò actu D. ſua teneretur urinæ ſuppreſsione cum conamine, dolore, & appetitu mingendi, hæc obſeruet præſidia. Primo inquàm fiat ſequens clyſtere. Recip. olei amigdalarum dulcium, olei amigdalarum amararum ana. Vnc. iiii. ſucci altheæ drac.iii. butyri recentis drach.iii. terebintinæ drac.VI. uitelli oui nume.I. zucchari rubei. Vnc.I. ſine ſale, & miſce, & fiat clyſtere calidum, & ſtatim ſupra aluum iaceat, & facto clyſteri, & purgato per illud uentre, immediate capiat ſequentem bolum. Recip. floris caſsiæ nouiter tractæ, Vnc.I. carnium ſebeſten.unc.i. pulueris glycirizæ drach.i. miſce, & fiat bolus. Poſt euacuationem à bolo prædicto. Conſulo, quod fomentatio ſequens cum filtro apponatur pluries pectini D. S. & loco medio inter anum & teſticulos. Recip. ſucci altheæ, olei ſcorpionum, ana. libr. med. butyri recentis Vnc.iiii. terebintinæ. Vnc.VIII. croci, drach. med. miſce, & calida applicetur. Vbi uerò non mingeret, ſedeat D. ſua in balneo ſequenti pluries in die, & in exitu bis tantum in die capiat ſequentem potum. Potus eſt, Recip. ſucci limonis immaturi. Vnc.i. aquæ florum ſparthii. Vnc. ii. miſce. Balneum eſt. Recip. foliorum caulium, uiolæ purpureæ, foliorum maluæ cum radicibus, radicum altheæ, fœnigreci, carthami, cardamomi, miſce. Bulliant ad conſumptionem tertiæ partis. Vbi uerò non haberetur. ſuccus limonis prædictus, laudo, quod dum patiens eſt in balneo, capiat ſequentem potum. Recip. pulueris corticum melonum excorticatarum. dra.iii. aquæ ſparthii, Vnc.iiii. miſce, & ſtatim minget, ſi deo placuerit.

Vbi

Vbi uero hæc non contulerint, laudo, quòd ſtomacho ieiuno D. S. capiat ſequentem mixturam. Recip. balſami, ſcropul.med.ſucci limonis immaturi.Vnc.I.aquæ ſparthii. Vnc.I.& med.miſce.&c.

Vltimo pro præſeruatione à ſuppreſsione urinæ,& confortatione membrorum urinalium,& diſſolutione humorum obſtruentium uias urinæ.Laudo primo, ut D. ſua conetur tribus annis continuis habere, & facere deferre ad domum ſuam, aquam balnei de aquario, quod eſt in comitatu Regii in longobardia, & uellem D. ſuam prædictã aquam potare,eo præciſè modo,quo præſenti anno M. D. XXXIX.potauit aquam balnei apponenſis in comitatu Patauino,his obſeruatis etiam ex parte dietæ, & certè ſcio ex iſta aqua D.S. & præſeruari,& curari,dei auxilio.

Secundo laudo tanquàm remedium ſublime, quod D. S.bis in ſeptimana mandat ſcropu.ii.reubarbari optimi,& immediate ſupra ipſum potet.Vnc.ii.aquæ uiolarum.

Item tertio. Laudo quòd omni ſeptimana bis ante cænam capiat unam de infraſcriptis pillulis. Recip.ſpicæ celticæ,ſem.cucurbitæ,laccæ,rubiæ tinctorum ana.drach.iii.terantur ſubtiliter,& cum ſucco napii fiat paſta pillularum, Doſis eſt pillula.I.ſcropul.I.

Laudo quarto ſi D.S. utile præſidium cœperit,quemadmodum ſperat ex balneis apponenſibus à nobis S. D. adhibitis præſenti anno & in potu, & in ducia, ſi S. D. expedientius uideatur, quàm domi potare aquam de aquario, hæc apponenſia balnea iterum aggrediatur ad plus in ſpatio annorum duorum ſequentium, cum dei auxilio. Amen.

Benedictus Victorius Fauentinus cum in Gymnaſio Patauino Medicinæ Theoricam profiteretur hæc dixit.

IN SVPPRESSIONE, ET ARDORE urinæ inter mingendum, Pro Nobili Domino Ladislao Ceſenati,

Conſilium XXXI.

NObilis, & Magnificus Dominus Ladislaus cum ſui temperatura cholerica,& epatis ca liditate iuncta ſiccitati,& Renum calidorũ, atque cerebri calidi, & humidi, corripitur ſuppreſsione urinæ ad tempus cum deſide rio, & appetitu, conatuque tunc tempo- ris egerendi.

Patitur quoque Nobilis hic Dominus continuum uri- næ ardorem, aliquando clamoſum, eo maximè tempore, quo mictus ſequitur urinæ ſuppreſsionem, aliquando ue- rò remiſſum ſentit ardorem, eo præſertim tempore, quo libere urinam excernit.

Huius autem ardoris urinæ cauſam procatharticam pu to in nobili Patiente fuiſſe, quæcunque extrinſecus contin gentia corpori, humores corporis acuunt, ueluti longa iti neratio,& quodlibet aliud longum exercitium, & inordi- natum in tempore calido, & nimius uſus rerum calidarũ, & acutarum,& ſalſarum,& nimius potus uini potentis,& uſus ſuperflui coitus, & hæc certè omnia puto affuiſſe in nobili patiente. Præcedens uerò cauſa morbi D. S. eſt præ- ſentia humoris acuti multi, progeniti à nimia epatis cali- ditate multiplicatiua ſanguinis, choleræ,& alterius humo ris ſalſi,& baurachialis. Contentiua uerò cauſa eſt urina ui tiata ab humore acuto pungitiuo, nullo quidem ulcere exiſtente in collo ueſsicæ, uel alibi.

Sed ego

Sed ego cum his cauſis addo aliam, quam puto eſſe huius morbi cauſam in iſto Nobili Domino, quam etiam dixit Auicenna. XIX. tertii, tractatu ſecundo, capite tertio, & eſt defectus humiditatis glutinoſæ præparatæ in carnibus glanduloſis colli ueſsicæ, ipſa enim à natura genita eſt, ut urinæ illic permeanti permiſceatur, ut eam æquet, nec in tranſitu per collum, ueſsicæ ſua caliditate, & nitroſitate pũgat, & ulceret carnoſam ſubſtantiam colli ueſsicæ. Vbi igitur defecerit iſta humiditas, urina ſic permeans in ſuo calore acuto, & ſalſedine non æquabitur, punget autem collũ ueſsicæ, & continuum cauſabit ardorem, & huius humiditatis defectum cauſat nimius coitus, ut dixit Galenus decimo quarto de uſu partium, & Auicenna ut ſupra. Quem uſum nimii coitus hic Nobilis patiens admodum exercuit. In nimio enim coitu propter ſimilitudinem, quam habet humiditas illa glutinoſa cum ſpermate, in ſpermatis emiſsione ſuperflui coitus multum attrahentis euacuatur humiditas illa, ubi collum ueſsicæ in ſui carne glandoſa priuatum illa humiditate, ab urina in calore, & nitroſitate non æquata pungitur, & ardori ſubmittitur.

In his autem affectionibus, quibus Dominus Ladislaus corripitur, à nobis ſalutaria petit auxilia, petitioni cuius cum ex debito obtemperare teneamur, fauente Deo optimo præſidia afferemus. Quibus ſi D. S. morem gerat, non dubitamus illa illi admodum fore proficua.

Vtar igitur, ut docuit nos Galenus, in libro de partibus artis medicatiuæ, & Auicenna quarta primi uno, uel pluribus trium medicinæ inſtrumentorum. Quorum primũ, & nobilius eſt uictus ratio, ut Dixit Galenus in libro experimentorum ad finem.

CIBVS, ET POTVS.

IN urinæ igitur ſuppreſsione, ſit eius panis ex tota farina

na confectus.i.quod habeat aliquid furfuris,eo enim fit humorum glutinoſorum abſterſio,& uiarum urinæ apertio, & propter ipſum panem habere aliquid furfuris non contradicit etiam ardori urinæ,& non ſit eius panis ſalitus,ne urinæ ardor promoueatur,& non ſit nimium fermẽtatus, ſed parum,quoniam utrique ſuæ affectioni nocuus eſt panis admodum fermentatus, & non ſit in cruſtaceis uſtus, ſed duræ cortices amoueantur, & non ſit in intimis incoctus,admodum enim in ſuppreſsione urinæ hic panis contumax eſt,& non ſit unius diei, ne in uentriculo ſupernatet, ut dixit Auicenna, ſecundo canone, ſed duorum uel trium dierum,& non plus.

Vinum in ſuppreſsione urinæ uidetur conferre,iuxta,illud Hippocrat. ſeptimo aphoriſmorum ſtranguriam, & dyſſuriam uini potio ſoluit. In ardore uero urinæ uinum inimicari uidetur, ubi Auicenna in potu loco uini commendauit,potum lactis acetoſi, à quo extractũ ſit butyrũ, nos aũt mediũ tenẽtes laudabimus uinũ pauciferũ medii coloris aqua permixtũ.Quòd ſi D.S.uellet tollerare illi uino aquã hordei permixtã,uel aquã ſem.comunium maiorum frigidorum,certè tale eſſet D. S. uinũ peridoneũ.Caueat aũt D.S. à multo potu uini,& maximè à potu uini cũ poſt cenã uoluerit cubare, ſed aquã ſem.communium,uel hordei cũ modico iuleb uiolati tũc tẽporis bibere poterit.

Euitet ãt D.S. cibaria quæcũq; ſunt difficilis cõcoctionis, & craſsi alimẽti,& ſpiritũ flatuoſum progignẽtia, & ſunt omnia leguminũ genera,præter iuſculũ cicerũ nigrorum, quod utiq; ſuæ diſpoſitioni auxilium præſtat, & expertus ſum,quod uti ſequẽti cibo aliquando de mane plurimum confert in ſtranguria,& dyſſuria.Recip.iuſculũ cicerum nigrorum iuſculũ ſparagorum limaciarum an.vnc. iiii. olei amigdalarũ dulcium recẽtis vnc.I. & med. zucchari.vnc.I. miſce pro una uice. Omnia genera caſei euitare debet, & præſertim ſaliti,q̃m hũorẽ craſſũ, & pinguẽ progignũt fa-

cile difficultantem urinæ exitum, & nedum ſaliti caſei id conducunt, uerum ſalſugine ſua urinæ ardorem prouocant, ſicut, & omnia butyroſa cibaria id faciunt. Laudo tamen D. S. lactis exhibitionem, & maximè cum ab eo extractum eſt butyrum, & hoc dixit Auicenna. XIX. tertii tractatu ſecundo, capite octauo, ubi ait, & ſcias, quod lac eſt res magis conueniens eis, cum non eſt febris, ne igitur noceat ardori urinæ, ab eo extrahatur butyrum, quod facile adurit, & acutum progignit humorem, qui in ardore additur urinæ & quæcunque cōdimenta fiunt ex paſta, eadem ratione ſunt ei nocua, & ideo caueat panem azimum. Caſtaneæ & omnia genera fructuum ſunt ei contumacia, quoniam ſui larga humiditate, & debili caliditate, ſunt ſpiritus flatuoſi progignentia, & oſtendit Auicenna difficultatem urinæ aliquando habere cauſam, uentoſitatem. Sunt & fructus facile putreſcibiles, & quia putredo addit caliditatem materiæ ex Galeno, in libro de ſanguinis miſsione, ideo, & ipſi in ardore urinæ addunt. Vbi uerò D. S. aliquibus delectaretur fructibus minus mala ſunt, pruna damaſcena, poma dulcia, & pira præſertim cocta, caueat à ficubus & paſſulis, quoniam aliquid in ſe acuitatis habēt, quo urinæ ardor concreſcere poſſet, caueat D. S. ab omnibus cibariis ſtipticis ob urinæ ſuppreſsionem, ideo omnia toſta, & in patellis frixa contumacia ſunt D. S. ſiue oua, ſiue piſces, ſiue carnes fuerint, Elixata uerò ſibi conuenientia ſunt, & maxime oua in aqua elixata, tremula, & recentia, oua uerò dura, & diu aſſeruata ſunt nocua. Caueat quoq; à carne bubula, & ſuilla, & à carnibus omnium quadrupedum, & uetuſtorum animaliū. Sunt enim mali chimi progignentes horum animalium carnes.

Quæ autem ſunt ei conuenientes carnes, eſt hædina caro, & uituli lactantis, & iuuenis caſtrati, & cuniculi iuuenis, & ericii, & de Auibus ſunt perdices, faſiani, pulli gallinarum, capones, turtures, merulæ, turdi, frigellæ, pulli colū

borum,& omnes auiculæ in arboribus, uel nemoribus & in pratis habitantes,ei peridoneæ ſunt. Quæ uerò in aquis degũt,ei ſunt cõtumaces,ut anſeres anates, & huiuſmodi.

De oleribus uerò tempore quo non tenetur urinæ ſuppreſsione, ob ardorem mictus conuenit, malua, lactuca, portulaca,ſpinachia,& maximè cocta cum extremitatibus uituli,ſua enim frigiditate,alterant,& æquant ſuperfluam urinæ caliditatem, & humorum commixtorum cum ea, & glutinoſitate acquiſita ab extremitatibus uituli fit reſtauratio humiditatis uiſcoſæ in carnibus colli ueſsicæ:defectu cuius accidit urinæ ardor, piſces eius ſunt petroſi de aquis mundis,& de torrentibus,& de libero mari, & non grandiores,& piſces ſine ſquammis, & ſaliti ſunt D. S. ualde rebelles,& etiam, qui ſordidas, & lutoſas, ſtanteſque aquas inhabitant, excrementicii enim ſunt, & malum ſuccum progignentes.

Cibaria enim, quæ admodum diuretica ſunt,cum per ea facile irruant materiæ ad uias urinales,ſunt ei nocua,eorum tamen uſus adminiſtrari tunc poterit, cum corpus erit benè purgatum totum, ante uerò conueniunt cibaria, quæ urinam leuiter ciunt ueluti ſunt rapæ, & maxime cimæ foliorũ raparum,& paſtinacæ domeſticæ, & ſylueſtres.

AER.

QVoniam autem aer eſt de his, ſine quibus neque ſanitas teneri poteſt,neque morbus propelli,ut primo de tuenda ſanitate, dixit Galenus, & Auicenna ſecunda primi.Tempore igitur quo D. S. ſuppreſsione urinæ tenetur,aer frigidus debet euitari, & quando mingit, uel mingere conatur, non diſcoperiat ſibi pudibunda, ne ad ea multus aer perueniat,ipſa enim aere actualiter frigido inſigne patiuntur nocumentum, ut uoluit Hippocrat. quinto aphoriſmorum, & ut præſeruet ſe à futura urinæ

ſuppreſsione,fugiat loca ualde frigida, & non deambulet per loca niuoſa,neq; moram trahat in his, frigidum enim immobiles facit ſuperfluitates noſtri corporis per ſe.

Tempore uerò quo D. S. ſuppreſsione non corripitur, ſed continuo ardore urinæ tenetur, tunc aer eius non immunis ſit a frigiditate, & propter urinæ ſuppreſsionis timorem,nō ſit admodum frigidus aer, ſed propter utraſq; eius diſpoſitiones,aer eius potius declinet ad parum frigidum,& humidum aerem, quàm ad calidum & ſiccum, & ideo fugiat D.S. moram in ſole,& in aere ualde calido, & ſicco.Caueat quoque ab aere uentoſo, & ubi adſit multitudo fumi,& ab aere ex aromatibus facto calido,& ſicco,maxime cum ſolo ardore urinæ,& non ſuppreſsione corripitur.In his autem, quæ aeri anneauntur,intentione habita ad ardorem urinæ, non multis ſui corporis cooperimentis utatur die,noctuque, ne illis epar,& renes multum calefiant, & in ardore addatur urinæ, & lectus ſuper quem dormit,non ſit ex plumis,quoniam eius caliditate, & mēbra,& humores corporis,ſuperfluitateſque calefiunt in ardore addentes, dormiat quippe non ſupra dorſum, quoniam inflammantur renes,& inde urina,neque ſupra latus dextrum,quia inflammatur epar.Dormiat igitur ſuper latus ſiniſtrum,& ob urinæ ardorem leuiter moueat ſe, & reuoluat,ne mictus excitetur frequentius &c.

MOTVS, ET QVIES.

CAueat quoque D.S. à nimio exercitio, etenim humores corporis exacuuntur, & urinæ ardorem commouent,neque nimia utatur quiete,hæc enim facit ad humorum craſsitudinem, & glutinoſitatem, quibus facile uiæ clauduntur & ob hoc urinæ ſuppreſsio contingere poſſet. Sint igitur eius motiones, & quietes,non longè à temperamento,cōuenienti quoque tempore peractæ ne illis uirtutes occuparentur,in concoquendo, non fiat igitur exercitium ſtatim uentriculo impleto, ſed complemento con-

coctionis

coctionis appropinquante, & in ea quippe corpus quieti nó ſubmittatur, q̄m ſopiretur uirtus, & concoctio à termi no ꝓprio magis lóga fieret, ideo tũc moderatè moueatur, ab imbecilli quidē motu inchoato, ipsũq; eleuãdo donec ſudor, inter duas cutes apparere ceperit, & repẽte quieſcat.

Annectitur autem exercitio coitus, & iubeo D. S. à nimio coitu abſtineri, eo enim, ut dixit Auicenna. XIX. tertii & Galenus decimo quarto de uſu partium, cõſumitur humiditas carnis glandoſæ colli ueſsicæ, cuius defectu urinæ ardor facile conſequitur, eo enim ex continuo motu, & fricatione humores, & ſuperfluitates ad uias urinæ attrahuntur, obſtructionem in his facile conducentes, & urinæ ſuppreſsionem efficientes. & cet.

SOMNVS, ET VIGILIA.

ET quoniam à ſuperflua uigilia exacuuntur humores, quibus acutis factis additur in ardore urinæ, ideo caueat D. S. à nimia uigilia, & quia à nimio ſomno ſopitur uirtus concoctrix, ob quod naſcuntur in toto corpore pituitoſæ ſuperfluitates quæ ad loca urinæ, ut ad debiliores partes in S. D. facile earum uias obſtruere poſſent, & urinæ ſuppreſsionem cauſare, & ob hoc fugiat nimium ſomnũ. Diurno quoque ſomno non ſubmittatur, quoniam ab eo omnia contingunt nocumenta in affectionibus S. D. præſertim uentriculo impleto, & ob hoc etiam tunc temporis fugiendus eſt coitus. Reddat igitur D. ſua Nobiliſsimæ Vxori ſuæ debitum uerſus cõplementũ tertiæ concoctionis, quod erit tẽpus octo horarũ poſt impletũ uẽtriculũ.

ACCIDENTIA ANIMI.

NOn triſtetur, neque iraſcatur D. S. quoniam exacuuntur humores, & inde inſurgere poteſt urinæ ardor, ex his quoq; dilaniantur, & fiunt imbecilles facultates omnes totius corporis, ut dixit Gale. iii. artis medicæ, & diminuta concoctione, multiplicari poſſunt craſſæ ſuperfluitates urinæ ſuppreſsionem inducentes. Gaudeat igitur,

& lætetur

& lætetur moderatè, cum gaudentibus & lætantibus, &c.

INANITIO, ET REPLETIO.

DEclinet autem D. S. ad latus inanitionis corporis, & ſubtiliantis dietæ, ut faciebat in cuiuſuis membri curatione, Eraſiſtratus. Cum enim corpus modeſtè uacuum tenetur natura non oppreſſa à multitudine humorum, ipſos corriget, & regulabit, ut neque exacuantur, neque craſſi, & glutinoſi fiant, ob quod non accidet timor de urinæ ardore, & eius ſuppreſsione. Teneat igitur D. S. corpus mundum, & euacuatum uſu quippe modeſto, uel ſubtiliante diæta, uel alio quodam modo, ut poſtea dicemus.

Secundum medicationis inſtrumentum eſt, medicinarum exhibitio. Quòd quattuor principalibus intentionibus complebimus, uidelicet minoratione materiæ, digeſtione eiuſdem, euacuatione, & membrorum confortatione.

Prima intentio eſt admodum neceſſaria, quæ duplici ingenio effici poteſt, uel ſanguinis miſsione, uel pharmacia. Conſulo igitur in utroque ſui morbo, ut quolibet anno aduentante uere fiat miſsio ſanguinis ex epatica, eſt enim tempus idoneum ad hoc, ut ait Galenus in libro, de ſanguinis miſsione, & ſequenti die incidatur ſaphena, iuxta præceptum Hippocratis ſeptimo aphoriſmorum, ubi ait, ſtrãguriam, & dyſſuriam phlebotomia diſſoluit, incidere autem oportet eam, quæ in talo. ſ. uenam poſt baſilicam, & fiat ſanguinis extractio uſque ad ſex uncias, laudo deinceps, ut poſt ſanguinis miſsionem ex epatica in ſpatio dierum trium fiat hæmorrhoidarum apertio ſemper clyſtere præ exiſtente lenitiuo. Confert enim hæc ſanguinis miſſio ob illud Hippocr. uerbum. Melancholicis, & nefreticis hæmorrhoides innate bonum. Poſt uerò conſulo, quòd eodem tempore ueris ueluti idoneum, & conueniens D. S.

ſubmittatur

ſubmittatur minorationi materiæ pro ſecundo ingenio, cum ſequenti pharmaco.

Recip. floris caſsiæ nouiter tractæ.Vnc.I. ellectuarii, de dactilis drach.ii.fiat bolus cum zuccharo,Hæc materiei mi noratio eſt conueniens, iuxta Galenum ſecundo aphoriſmorum commento illius aphoriſmi, inchoantibus morbis &c. & hoc, ut natura exonerata reddatur potentior ſuper reſiduum materiæ remanentis ad concoquendum,uel reſoluendum, uel euacuandum. Et conſulo D. S. quod à medicinis in forma pillulari quantum eſt ei poſsibile caueat,cum earum ingredientia ſint ut plurimum calida & ſcamoneata, multum oppugnantia epati, & renibus calidis D. S. Materia igitur minorata laudo D. S. præparare materiam ad facilem expulſionem,ubi ſeptem diebus con tinuis in diluculo capiat ſequētem ſyrupum calidum pro ſecunda intentione principali,Recip. ſyrupi de liquiritia, ſyrupi uiolati, ſyrupi de duabus radic. ſyrupi de endiuia. ana. Vnc. med. Aquarum ſem. communium frigidorum, liquiritiæ,capillorum ueneris ana. Vnc.I.miſce.Octauo ue rò die per horam ante lucem capiat infraſcriptam medici nam,& hoc pro tertia intentione.Recip.floridæ caſsiæ nouiter tractæ.drach.VI. Mannæ electæ. Vnc. med. confectionis hamech.drach.ii.& med.miſce,& fiat potus, cum deco ctione communi pectorali. Quòd ſi potio D. S. ſit abhominabilis eandem capiat in bolo, capta uerò medicina per quattuor dies continuos, apud auroram, iubeo D. S. capere infraſcriptum potum, Recip. aquæ ſeminum communium frigidorum,aquæ capillorum ueneris,aquæ mal uæ ana.Vnc.I.iuleb uiolati.Vnc.I.miſce pro una uice.Quin ta uerò die capiat per horam ante prandium ſequentem bolum. Recip. floris caſsiæ nouiter tractæ. drach.x. pulueris liquiritiæ.drach.ii.miſce,& fiat bolus. &c.

Demum laudo,ut in eodem tempore ueris in diluculo uel orto iam ſole, capiat die quolibet per quindecim dies

continuos,Vnc.VI. lactis caprini recenter mulcti,calidi pro pria caliditate,uel ouini, cum modico zuccharo, & quieſcat ſuper ipſum in lecto per duas horas, & non dormiat, neque exercitetur.

Deinceps per totum tempus æſtatis, conſulo, ut obſeruantiam hanc D. S. habeat, quod bis in ſeptimana capiat per mediam horam ante prandium, floris caſsiæ nouiter tractæ. Vnc.med.inter enim omnia medicamenta nullum inuenitur maius conducens præſidium D. S. in utraque affectione quam caſsia.

Adueniente uerò autumno conſulo D.S. iterato purgari debere, eadem, qua & tempore ueris purgatione, poſt quam purgationem iubeo D. ſuam duodecim diebus continuis in aurora capere. Vnc. VIII. ſequentis potionis cum zuccharo.Recip.cicerum rubeorum,granorum halicacabi ana.M.I.foliorum maluæ cum radicibus rad.altheæ, an.M. med.liquiriciæ mundæ,Vnc.med.iuiubarum,ſebeſten.ana. numero.XV.ſeminũ melonum mundatorum. *Vnc.I.*aſplenii,agrimoniæ.ana.Vnc.med.bulliant omnia in ſufficienti quantitate aquæ, uſque ad conſumptionem medietatis, deinde colentur,& colatura uſui ſeruetur.

His omnibus in temporibus prædictis, nedum urinæ ardor tolletur, uerum & à futura urinæ ſuppreſsione D. S. præſeruabitur.Verum ultra hæc conſulo,ut plerumq; in menſe in præſeruatione, à futura ſuppreſsione urinæ per duas horas ante cibum mane & ueſperi utatur quantitate.drach.iii.pro uice ſequentis mixtionis.Recip.ſucci altheæ depurati,ſucci radicum raparum, ſucci radicum graminis,aſplenii ſicci,florum ſparthii ſiccorum, ana.Vnc.iii. granorum halicacabi,Vnc.I.ſem.apii.Dauci petroſelini, rubiæ tinctorum,ſauinæ,ana.drach.ii. ſem.melonum mundatorum,amigdalarum amararum excorticatarum, an.Vnc. I. omnia terenda ſubtiliter terantur, & conterenda deinde conterantur, & cum ſuccis miſceantur, & lento igne

bulliant,

bulliant,uſque ad conſumptionem medietatis ſuccorum, deinde cum zucchařo quan.ſuffic.fiat electuarium.

Conſulo quoque in præſeruatione à ſuppreſsione urinæ bis in menſe D. S. ſedere mane, & ſtomacho ieiuno in ſequenti balneo per mediam horam.Recip.foliorum caulium,foliorum,uel radicum maluæ,radicum altheæ,granorum halicacabi,ſaxifragiæ,agrimoniæ, radicum raparum, radicum raphani,ana.M.I. carui,dauci,apii,fœniculi, rubiæ tinctorum,ana.M.med bulliant in ſuff.quan.aquæ,ad conſumptionem tertiæ partis,& colentur,& colatura uſui ſeruetur,& nota quòd in actuali ſuppreſsione urinæ, dictum balneum eſt admodum utile,ſi poſt exitum à balneo,repẽte capiat ſequentem bolum. Recip. Terebintinæ lotæ cum aqua altheæ Vnc.med.carnium ſebeſten.drach.ii. pulueris aſplenii,drach.med.miſce,& fiat bolus.

Vbi uerò actu D. ſua teneretur urinæ ſuppreſsione cum conamine,dolore,& appetitu mingendi,hæc obſeruet præſidia.Primo inquàm fiat ſequens clyſtere.Recip.olei amigdalarum dulcium,olei amigdalarum amararum ana.Vnc. iiii. ſucci altheæ Vnc.iii. butyri recentis Vnc.iii. terebintinæ drac.VI.uitelli oui nume.I.zucchari rubei.Vnc.I. ſine ſale,& miſce,& fiat clyſtereũ calidum,& ſtatim ſupra aluum iaceat,& facto clyſteri, & purgato per illud uentre, immediate capiat ſequentem bolum . Recip. floris caſsiæ nouiter tractæ, vnc.I.carnium ſebeſten.Vnc.med.pulueris liquiritiæ,drach.i. miſce,& fiat bolus. Poſt euacuationem à bolo prædicto. Conſulo, quod fomentatio ſequens cum filtro apponatur pectini D.S. & loco medio inter anum & teſticulos.Recip.ſucci altheæ,olei ſcorpionum,ana.libr.med. butyri recentis Vnc.iiii.terebintinæ. Vnc.VIII. croci,drach. med.miſce,& calida applicetur.Vbi uerò non mingeret,ſedeat D.ſua in balneo ſequenti pluries in die,& in exitu bis tantum in die capiat ſequentem potum. Potus eſt, Recip. ſucci limonis immaturi.vnc.i.aquæ florum geneſtræ.Vnc.

ii.miſce. Balneum eſt. Recip. foliorum caulium, uiolariæ, foliorum maluæ cum radicibus. Radicum altheæ, fenugreci, carthami, cardamomi, ana manipulum unum miſce, & bulliant, ad conſumptionem tertiæ partis. Vbi uerò non haberetur ſuccus limonis prædictus, laudo, quod dum patiens eſt in balneo, capiat ſequentem potum. Recip. pulueris corticum melonis exſiccatorum, drach.iii. aquæ geneſtæ. Vnc. iiii. miſce, & ſtatim minget, ſi Deo placuerit. Vbi uerò hæc non contulerint, laudo, quod ſtomacho ieiuno, capiat ſequentem mixturam. Recip. balſami ſcropu.med. ſucci limonis immaturi.vnc.I.aquæ geneſtæ. vnc.I.& med. miſce, & ubi hoc non contulerit potet ſequentem potum & ſtatim minget Recip. uini maluatici. Vnc.ii. uitrioli romani drach.ii. miſce.

Vltimo pro præſeruatione à ſuppreſsione urinæ, & confortatione membrorum urinalium, & diſſolutione humorum obſtruentium uias urinæ, laudo primo ut D. S. ingenietur tribus annis continuis habere, & facere deferre ad domum ſuam, aquam balnei de aquario, quod eſt in comitatu Regii, in Lombardia, & uellem D. S. aquam prædictã potare eo modo, quo alii conſueti ſunt ipſam bibere cum diæta obſeruanda in tali potu ſupradictæ aquæ, quem modum potandi aquam dictam, cum fuerit opportunum, & expediens S. D. ſignificabo.

Et poſt potum iſtius aquæ per duodecim dies conſulo, ut bibat aquam de brandula quæ eſt in comitatu carpenſi, ſicut & ego modum bibendi hanc aquam, illi denuntiabo ſi fuerit expediens.

Secundo laudo tanquàm remedium ſublime, quod D. S. bis in ſeptimana maſticet, ſcropul. ii. Reubarbari optimi, & immediate ſupra ipſum potet. Vnc. ii. aquæ uiolarum.

Item laudo, quod omni ſeptimana bis ante cænam capiat unam de infraſcriptis pillulis. Recip. ſpicæ celticæ, ſeminum

minum cucurbitæ,laccæ,rubeæ tinctorum ana,drachm.iii, puluerizentur ſubtiliter,& cum ſucco napi fiat paſta pillularum, doſis eſt, pillula unius ſcrop.

Conſulo quoque,ut bis in ſeptimana tempore hyemali,capiat ſequentem bolnm; & ieiunet per quinque horas mane ſtomacho ieiuno.

Recip.Iuſtini optimi drach.i. & med.litontripos.drach. I.zucchari uiolati drach.ii.miſce,& fiat bolus.

Iterum conſulo, ut aduentante uere, poſt dimidium martii, uel per totum Aprilis, per quindecim dies continuos capiat apud diluculum ſequentem potum.

Recip.ſucci plantaginis.Vnc.ii.ſeri caprini. Vnc.v. zucchari optimi, drach.ii. miſce,& fiat potus,aduertat tamen patiens,ut immediatè ante potum iſtum, capiat unam de infraſcriptis pillulis.

Recip. Trociſcorum de halicacabo, drach.I. pulucrizentur ſubtiliter, & cum ſyrupo de duabus radicibus, fiant pillulæ numero.iii. quibus finitis,iterum reformentur donec finierit potum prædictum, ſic D. s. procedat. Laudo quoque, ut cum ſyringa iniiciat ſequentem puluerem uſque ad collum ueſsicæ diſſolutum in lacte ouino, uel in ſero caprino.

Recip. Tutiæ præparatæ, drach.ii. non totam iniiciat, ſed quantum expedit pro una uice. Vel diſſoluat quantitatem modicam illius pulueris cum mucilagine ſemi. maluæ, uel pſilii, uel citoniorum, uel cum oleo ſemi. papaueris albi.

Conſulo quoque,ut ſæpiſsimè inungat ſibi Renes,& inter anum,& teſticulos, & totum canale uirgæ cum ſequenti unguento,minus quàm tepido.

Recip. Mucilagin. ſeminum altheæ, Mucilagin. ſeminum pſilii, Mucilagin. ſeminum citoniorum, ana, Vnc. med. ſucci ſolani, ſucci plantaginis, ſucci ſemperuiui,ana Vnc.I.olei mirthini,olei uiolati, an.Vnc.med.ſandalorum

alborum,& rubeorum,ſubtiliter puluerizatorum an.dra.I. ceræ albæ quantum ſufficit, & fiat unguentum molle. Et hæc ſufficiant ad laudem Dei. &c.

Hæc dixit
Benedictus Victorius Fauentinus in Academia
Bononienſi primus ex ordine theori-
cæ medicinæ profeſſorum.

AD VARIA AFFECTIONVM GENERA,
praeſertim hæmorrhoidum,
Pro Magnifico Comite Alexandro Porto,
Nobili Vicentino ac equi-
te aurato.

Conſilium XXXII.

NEmpe Vir Magnifice. Cum de his, quibus affectus es morbis, ſermonem habuimus, mihi ſæpe numero hos excogitanti,ad duo primam mei conduxi mentem,tui quippe corporis ruinam minantia, unum ſanè eſt, hæmorrhoides doloroſæ inſigniter, & anchis,& dorſo dolorem cōſentientes:Quippe & dorſi lacertorum ſuperioribus humerorum lacertis concatenatione ad eos, dolor ſenſim inualeſcit, porrò & ancharū lacertis, his,qui coxis hærent,conſentientibus,coxendicum ducunt dolorem,quo fit,ut circulus, & ei proxima membra

pondere

pondere grauitentur inſigni. Quippe & appetentia cadit, & ſitis urget: & imbecille totum factum eſt corpus. Verũ indicia hæc ſunt dolẽtium hæmorrhoidarum, potiſsimũ, cum ſurdæ, & cecæ effectæ ſunt, non prorupto ab eis ſanguine replente, quo fit, ut earum tenſione orificii meatus obſeretur, & ſpiritus flatuoſi prohibita per anum exſuflatione, plerumque aluus murmuret, doleatque.

Alterum quidem nobilitati tuæ pernocuum eſt, uitiata iecoris temperatura, calido ſanè immoderatè metito, atq; ſicco, quo fit, ut totius corporis habitudo, ſicco calido reſoluente, tabida ſatis effecta ſit. Quippe ut & eo calido toti corpori febris accendatur, quæ ex putreſcẽte uenarum humore fit, & quæ ex caleſcentibus membrorum humiditatibus, originem trahit. At & iecoris uitiata temperatura cauſam poſsidet amplam, & exuberantem, ſanguinis ex hæmorrhoidibus fluxionem, qua ſuper inflammata bile, febrem accendit, & corpus conſumit, natiuam quoq; caliditatem perimens ipſius epatis temperaturam frigidam cõducit, quo fit, ut alimenti uirtus concoctiua pereat, & corpus tabidum fiat. Quippe ut pereat facultas ſanguinem progignens, ut nedum in ſpiritum flatuoſum alimentum uerum & aquam inter cutem concreet, quo fit, ut aluus tumida efficiatur, & totum corpus hidrope moleſtetur. Nẽpe eodem calido epatis natiuo reſoluto uẽtriculi facultas adeò territa imbecillis fit, ut eſcam concoquere nequeat, & amplitudinem ſpiritus flatuoſi progignat, doleatque.

Verum Vir Magnifice Tuarum affectionum curationis ſcopum uno, uel pluribus trium inſtrumentorum perfici poſſe, id Dixit Galenus, in libro de partibus artis medicatiuæ ſumma ſecunda, capite ſecundo, & in libro experimentorum, capite ultimo, cui alludit Auicenna, quarta primi, capite primo. Victus uidelicet ratione, medicamẽtorum oblatione, & manuũ exercitatione. At eorum nobilius uictus ratio cẽſetur, à gal. in lib. experimẽtorũ, cui

medicus

medicus in primis hærere debet, auctore Galeno undecimo methodi, capite quinto.

AER.

SAne curationis methodum principium aggrediens de aere primum ſermonem faciam. Admodum enim ab aere nos ambiente mutamur, ut dixit Galenus tertio, artis medicinalis, commento decimo, & undecimo, & nono methodi non longe à fine, & tertio methodi capi. VIII. Ait enim ambiens uerò is eſt, ſine quo nec tolli morbus, nec teneri ſanitas poteſt, ob quam rem primo de ſanitatis tutela non modicam expedit uim Galenus ipſius tuendæ ſanitatis in boni aeris electione.

Aerem igitur longe fugias craſſum, & nebuloſum cluſumque, nullum recipiens perflatum, cum eo primarum partium facultates admodum uitientur, ut nequaquam ſuarum actionum idoneum terminum conſequi ualeant: ob quod dixit Galenus libro primo de tuēda ſanitate, nec qui ob ſtagnum, uel flumen uicinum nebuloſus eſt aer, nec qui editis undique montibus in cauo loco cluſus nullum recipit perflatum, ſuffocans enim putriſque eſt, Proin de accuratè locum domus tibi conducas, in quo cluſus aer non ſit, perflatus defectum ſuſtinens. Dicente Galeno eodem libro, ſimilis ei, qui in domibus quibuſdam eſt incluſus aer, in quibus ob putredinem, & perflatus defectum, plurimus aceruatur ſitus, huiuſmodi enim aer omni planè ætati noxius eſt, Aerem quoque admodum fugias humidum, qui & ſtagni, & paludis halitu eſt infectus, & qui ex cloacis malam ſpirat auram, & qui ex animalium, & olerum, aut leguminum putredine uitium contraxit, aut fimo coinquinatur is enim uires corporis turbat, & humores corrumpit, at & idonei ſucci gignentem facultatem opprimit. Porrò igitur purum aerem, & clarum tibi

conducas,

conducas, ne impuritate, ac aeris craſsitie principalium facultates tenebreſcant, & hoc dixit Galenus libro primo de ſanitatis tutela, ubi ait, optimum aerem cenſeo, qui prorſus ſit purus, non ſit admodum calidus, ne timor accenſæ in membris febris incrementum capiat. Quippe neque frigidus ualde, ne tui corporis natiuæ caliditatis, imbecillis facultas noxio immodico frigore pereat, auctore Galeno quinto aphoriſmorum commento decimo ſeptimo, & in libro de morborum cauſis ultra principium. Porrò immodicus calor uentriculi officium impedit, ut dixit Galenus libro primo de ſymptomatum cauſis, frigidum uerò undique torpidum efficit corpus, ut libro tertio, de ſymptomatum cauſis uoluit Galenus. Sanè ſingulum Dominationi tuæ noxium eſt. Quam ob rem eas ambientis qualitatis, quas effectiuas appellitant, ab optima tempera tura non admodum delinquentes, tibi conducere ſuadeo, ut ipſius moderato calore officium facultatis uentriculi concreſcat. Quod peridoneum arbitror tuæ modo factæ temperaturæ frigidæ, & ſiccæ. Quippe ut in contumaci ambientis frigiditate in his, quæ totum corpus accendunt febribus apertum præſidium conſequaris. In his uerò quas ambientis paſsiuas qualitates dicunt, iuberem humido in contumaci à temperantia eas exceſſum tenere, ut ipſo moliente humido alui uiæ, & excrementa emollita liberalius excernantur, peridoneum ſanè duris, ac dolentibus hæmorrhoidibus. Quippe & humidum ſiccæ temperaturæ contrarium eam dilaniare ualeat, Quo fiet, ut tabida tui corporis affectio amoueatur, ipſiuſque alitio in uigore conſiſtat. Nempe ſi huius naturæ ambiens defecerit eo in loco, in quo moram trahes, aeris illius temperatura molienda eſt, quod quidem ſolerti tuorum medicorum prudentiæ relinquo, præceptis Galeni ſeruatis nono methodi curatiuæ finem uerſus. Cæterum iuberem D. T. moderato calido caput ſuum munire, & uentriculum, aluumque,

ob id Galeni uerbum quinto aphoriſmorum, commento uigeſimo ſecundo. Calor uerò extrinſecus capitis grauitates tollit, concoquens, atque diſſoluens quæcunque moleſtant.

PANIS.

PAnis electionem ſic habeto, nam ſi Galeni ſermonem obſeruabis primo libro de potentiis alimentorum, capite ſecundo. Tui panis facturam ex ſolo tritico iubebis, ipſum enim nedum apud omnes nationes frequētiſsime, immo ſumma cum diligentia uſurpatur, atque utilitate, Quippe illi natura calida moderate, & temperies in humido & ſicco debetur, ut etiam exigua mole corpus ualentiſſimè nutriat, tibi ſanè opportunum.

Ex triticeis namque panibus D. T. peridoneus eſt ille, qui ex tritici ſimila conditus eſt, ſinceriſsimus enim panis eſt, naturalia non grauitans, nō inflatiuus, neque deorſum aluum implens, & peroptimè nutritiuus, auctore Galeno eodem in loco, at & princeps, ſecundo canone, capite DLXXIII. Sermonem hunc dixit, *panis de ſimila eſt melior* eo, qui de farina, nutribilior, & eius nutrimentum eſt melius.

Sitque panis is, non admodum fermentatus, ſui enim ſuperfluente acetoſitate facultati uentriculi concoctiuæ noxius eſt, iuxta illud Principis ſecundo canone. capite. CCLXXXV. & in eo eſt uirtus infrigidatiua propter ſuam acetoſitatem. Quippe neque omnino fermento careat, ob id Galeni uerbum primo, de facultatibus alimentorum, capite ſecundo. At qui omnino fermento caret, nemini *prorſus* erit accommodus.

Porrò non ſit D. T. Panis ſalitus, ob id Galeni uerbum ſecundo, de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, capite decimo octauo, Sal noxium eſt propter grauedinem.

Non ſit ex communi tuo uſu panis admodum coctus, ut

ut qui cruda, incoctaque interiora habet, ambuſta uero ob aridа, & cruſtacea exteriora. Ignis enim uis in totum panem nequit penetrare, ideoque illum non percoquit, ſed crudiorem relinquit, maximèque intimas partes. Is enim dixit Galenus primo de facultatibus alimentorum deterrimus panis cenſendus eſt, & uentriculo inimicus, qui in cruſtaceis admodum aduritur, in intimis uerò incoctus relinquitur.

Sitque panis, quo communi eſu uteris recens dierum trium. Sanè quidem calidus non edatur ob illud principis uerbum ſecundo canone, cap. DLXXIII. Panis enim calidus non eſt apud naturam receptibilis. Sitim facit, & natat propter ſuam uaporoſam humiditatem. &c.

VINVM.

Vinum, quo communi potationis uſu D. T. utitur nequaquam craſſum ſit, & ponticum, atque acetoſum; Dicente Galeno in libro de ſubtiliante diæta, & cæteris uinis magis inutilia ſunt, quæcunque pontica, thoraci, pulmoni, adde & uentriculo, quia uirtus uentriculi concoctiua, atque inteſtinorum haud facile laborat his uinis.

Non ſit dulce uinum, album, aut nigrum, cum ſiticuloſum ſit, atque flatuoſum, & facile bileſcit, ex Galeno tertio de uictu acutorum ad principium, & tu plerumque ſiti turbaris, ob id quod iecoris inordinata caliditas ad inſtrumenta appetentiæ exufflata, ſitim conducit. Flatuoſus quoque es imbecilli, uentriculi, & alui, facultate concoctiua iam effecta, quo fit, ut in his doleas ſpiritu flatuoſo in his perpetuo concreato, bilem quoque progignis, ut alui indicant excrementa, & febris, & ſitis.

Porro ſit eius uinum album, tenue, odoriferum, non uehementium uirium, album quippe, quoniam nigrum aſtringens eſt, & tenue, cum craſſum obſtruat, & haud facile permeat, porrò odoriferum, ut eo uentriculi concoctio

robur capiat, & ſemicrudoshumores attenuet, & *ſpiritus* flatuoſos dilaniet, non uehementium uirium, ne caput tẽtet, & in toto corpore magis febrem accendat, & hanc ſentẽtiam uoluit Galenus quinto de locis affectis, capite quinto, ubi ait. Si uerò ſiti cruciaretur, ex uino madidum, & quidem albo, atque modicum ſtringente, & quarto de ſanitatis tutela, ubi ait, nec tamen à uino eum abſtinemus, concoquit enim, & id ſemicrudos humores quãtum aliud quoduis. Et eodem in loco ait. Quòd ſi crudos iam ſuccos ſatis attenuatos ſperas, uinum dabis, quod & ſubſtantia ſit tenue, & colore fuluum, albumue, hoc & ad ſucci bonitatem, & concoctionem facit. Vnum tamen te ſcire uellem, ubi iecoris, lieniſque, atque renum uitio D. T. careret, indubitato, imbecillium uirium uinum album, dulce, perlucidum tibi non denegarem ob id Galeni uerbum in libro de cibis boni, & mali ſucci, ubi ait, eamque ob cauſam, qui indigent refectione, ut dulce uinum potent, ſuadendi ſunt ac tum præcipuè, cum horum iecur, *lienque*, & *renes uitio* carent. Poſtremo uerò cum uinorum *diuerſitates rebelles* ſint, atque contumaces facultatibus membrorum noſtri corporis, & potiſsimum concoctrici uentriculi facultati. Quippe cum rei ipſius non naturalis, ſubita ſatis, ac aſsidua mutatione natura terreatur, ut nedum concoquere ualeat, uerum & faſtidio affecta, appetentiam amittit, & ſitis urget, ideo horum uinorum diuerſitates D. T. longe fugere intrepida fronte iubeo.

CARNES.

ANimalia quæcunque peditantia temporis uetuſtate terrei alimenti naturam ſibi conceſſerunt, eorum carnes cauere debes, cum, nonoptimi ſanguinis, ſed feculenti materiam facile progignant, refectioni D. T. ſatis contumacis. Quippe, & ſingulæ affectionis tuæ ſatis noxiam ueluti bubulacaro, auctore Galeno tertio de potentiis alimẽtorum, capite primo, ubi ait, Bubula caro alimentum ipſa

quoque

quoque nō exiguum,nec diſcuſſu leue præſtat,ſed ſanguinem craſsiorem,quàm par eſt, progignit. Quales & ſunt ceruorum carnes,capreolorum,caprarum, arietū, & uetuſtorū caſtratorū,auctore Gal.iii.de facultatibus alimētorū.

Nempe quod experientia didici, id admodum ſequi opinor. Dixit enim Galenus decimo, ſimplicium medicamentorum, capite ſecundo, ſolam experientiam fidem facere, compertum autem experimento iam eſt, ſuillam carnem uentriculum grauitando craſſum progignere alimentum,& ſui natura non facile concoqui, auctore Galeno ſeptimo methodi curatiuæ,capite ſexto.Quam ob rem ſuillæ carnis quamlibet adminiſtrationem D. T. fugere ſanè arbitror. Cum humoris geniti craſsitie, atque hærente uiſcoſitate,uentriculo noxia ſit,at non idonei ſucci ipſa gl gnitiua, quidquid de ſuilla carne dixerit Galenus tertio. de facultatibus alimentorum,capite primo, & in libro de cibis boni,& mali ſucci.

Sint igitur tuæ carnes facilis concoctionis,& optimi nutrimenti, ſanè quæ non facilem concoctionem apud uentriculum tenent, naturali enim facultate uentriculi imbecilli facta, flatuoſam humiditatem ipſa progignit, tendentem quippe uentriculi tunicas, & his dolet. Porrò & non idoneum ſuccum iecori conducit,quo fit,ut ipſum cætera membra male gubernet,maleque reficiantur D. T. noxiū ſatis. Sint igitur in communi tui eſu carnes. Quales ſunt, pullorum gallinarum,faſianorum, perdicum, turturum, columborum,iuuenum cuniculorum,hædorum,agni,atq; uituli,& iuuenis caſtrati,& horum omnium carnes ede elixas, ſanè ſanius eſt, cum toſta, atque frixa admodum adſtringentia ſint, tuis quippe hæmorrhoidibus pernocua.

Sint porrò carnes cuiuſuis generis, quas uſitato eſu D. T. deuorat, pinguedine nudæ,pinguedo namque humida res eſt,admodum,ſimilis oleo uetuſtate incraſſato,auctore Galeno libro tertio,de potentiis alimentorum,capite deci

 mo,hoc

mo,hoc ſane oſculo uentriculi noxium.

Verum uir magnifice eorum animantium, quæ uolatu fidunt, carnes ob facilem concoctionem, atque leuiſsimi alimenti & peroptimi præſtantiam, præcipuam laudem in tuis merentur affectionibus. Qualia ſunt, ut plura uno nuntiem uerbo. Quæcunque quorum uictus, atque habitatio in pratis,agris,arboribus,& nemoribus,reperitur,ueluti ſunt perdices,faſiani,francolini,columbi, turdi,merulæ,ficedulæ,ortulani,& ſimilia.

Cœterum tibi ſuadeo animalium carnes cauere, quæ in ſtagnis, aut paludibus, atque lacuſtribus degunt, qualia ſunt anates,anſeres,& ſimilia. Dicente hoc Galeno in libro de cibis boni,& mali ſucci, Præterea aues,ut ita dicam,omnes boni ſucci ſunt,exceptis lacuſtribus,paluſtribus,& quæ in immundis fluminibus,ac turbidis degunt: Caro enim animantium, quæ uiuunt in aquis eiuſmodi deterrima eſt. &c.

PISCES.

ILlos ſanè piſces cauere debes,qui in cænoſis,& ſordidis aquis ueſcuntur, porrò & qui in paludibus & lacubus capiuntur, excrementitia namque,& mucoſa eſt eorum caro,auctore Galeno tertio, de potentiis alimentorum,capite uigeſimo quarto. At excrementitiam carnem eam dixit Galenus eodem libro,cap.XL. quæ pituitoſam humiditatē in ſe reſperſam continet,tibi certè nocuam.

Fluuialium uerò piſcium caro non adeo D.T. noxia eſt, & tanto minus quanto fluminis aqua rapida,& multiflua eſt, ut ipſius torrentis fluxu, piſces admodum fatigentur. quo fit,ut eorum caro minus excrementitia, atque mucoſa reddatur. Omnium uerò piſcium caro, qui in puro natant mari adhuc D.T. minus nocua eſt,maximè cum uentorum difflatu agitatum tollitur,auctore Galeno tertio, facultatis alimentorum,cap. XXIII. ubi ait, in ſilente namq;

mari

mari nulliſq; agitato fluctibus, tanto piſcium caro uilior eſt, quanto minus exercitata. Quam ob rem quanto piſciũ carnes exercitio minus mucoſæ, & excrementitiæ redduntur, tanto tibi magis peridoneæ ſunt. Qui igitur in ſtagnis ueſcuntur piſces, eorum caro deterrima eſt, plurimumque D.T. incommodabit. Qui uerò ſaxatiles piſces appellantur, non admodum tibi noxii ſunt, ob id, quod minus excrementitiæ atque mucoſæ ſunt eorum carnes. Quippe de his, qui in ſaxoſis aquis piſcibus naſcuntur loquens Galenus tertio, facultatis alimentorum, capite uigeſimo ſeptimo, ait. Eorum porrò alimonia non modo concoctu facilis eſt, uerum etiam hominum corporibus ſaluberrima, ut quæ mediæ conſtitutionis ſanguinem procreet, medium autem ſanguinem uoco, qui neque tenuis eſt, neque aquoſus, neque impendio craſſus porro D.T. peridoneus.

Salitos tibi non admitto piſces; ob id Galeni uerbum ſecundo, de compo.med.s.l. cap. XVIII. ubi ait. Sal noxium eſt propter grauedinem, & maxime capitis. Quippe & omnia ſalſedine affecta tibi contumacia ſunt, ob id potiſsimũ, quòd de ulceratis hæmorrhoidibus dubium habuimus.

Piſces autem, quos ex comuni eſu edis, coctu parentur ſuper ignitis carbonibus, ut ſi quid excrementitiæ, & mucoſæ humiditatis adfuerit, ſicca caliditate cõſumatur, quippe & in perlucida aqua elixati, non adeo tibi inconuenientes ſunt, ſi paululo cinnamomi, & petroſelini, modiciſsimoq; omphacii condiantur. Piſces in ſartagine frixos, nequaquam tibi admittimus, nedum enim naturæ rebelles ſunt, uerum & praui ſucci progignentes.

OVA.

QVæ ab animantibus oua naſcũtur, inter hominum numerantur alimenta apud Galenum tertio facultatis alimentorum, capite uigeſimo primo. Quorum ſummam alitionis laudem gallinarum oua, demum

faſianorum

faſianorum obtinuere. Porrò cum albuminis uis adſtringens ſit, quæ admodum dolentes hæmorrhoidas incommodat D. T. ſolo oui uitello accommodatam fore non ambigo.

Nempe ſint tui oua recenter nata, & non diu aſſeruata. Hæc ſanè recentia facili obediunt concoctioni, diu uerò aſſeruata, nedum cōcoctioni pertinacia ſunt, ſed prauorum progignentia ſuccorum, ob quam rem dixit Galenus tertio, potentiæ alimentorum, capite uigeſimo primo. Recentium porro ouorum ad uetera, non mediocris eſt differentia, quippe optima ſunt recentiſsima, peſsima perquandiu aſſeruata.

Non ſint oua, quæ D. T. communi eſu largimur cocta ſeu dura, ob id Galeni uerbum eodem libro, ubi ait, cocta, ſeu dura oua difficilis ſunt concoctionis, & tardi tranſitus, craſſamque alimoniam corpori exhibent, quæ tuo corpori maximè noxia eſt, ſint porro tremula, & ſorbilia, quæ tibi admittimus oua, dicente Galeno eodem libro. Tremula, molliaue oua, omnium belliſsimè nutriunt.

Nempe in aqua decocta ſint, quæ acceperis oua, ob id, quod in ferueſcentibus cineribus aſſata, longe tardioris ſunt meatus, & craſsioris ſucci.

Quippe quæ in ſartagine oua condimento parantur longius diſtent à communi uſu D. T. ob id Galeni uerbum tertio alimentorum, capite uigeſimo primo. Quæ uerò in ſartagine ad craſsitiem uſque friguntur, deterrimi omnino ſunt alimenti. Dum namque coquuntur, nidorē ac fumum edunt, ſuccuſque ex his prognatus, non ſolum craſſus, uerum etiā prauus, & excrementitius eſt, qui quantum tibi noxius ſit, non te latere debet. Demum cum aliis coagulata eduliis non admodum tibi idonea ſunt oua, nempe cum his dura ducuntur, prauorum gignentia ſunt ſuccorum, auctore Auicenna, ſecundo canone, capite. CCCCCXXVIII. ubi ait, & melius eorum artificium eſt, ut

non

non cum alio coagulentur.

LAC.

LAc numerandum eſſe inter cibos, qui ab animalibus proficiſcuntur, compertum eſt, à Galeno libro tertio, de facultatibus alimentorum, capite decimo quarto, & in libro de cibis boni, & mali ſucci, Quippe D. T. moleſtiſsimam eſſe eſcam facile arbitror. Cum uentriculi frigidam patiaris temperaturam, quo fit, ut in eo lac aceſcat, dicente Galeno quinto àphoriſmorum ſexageſimo quarto. Si non benè concoquatur lac, in quibuſdam aceſcit, in quibuſdam autem euaporat, in uentriculo quidem frigidiore aceſcit, in calidiore uerò euaporat, Verum Vir Magnifice cum ſuſpenſa ideſt inflata, uel flatuoſa poſsideas ilia, lac tibi contumacem eſſe alimoniam non ambigo, auctore Galeno eodem in loco, ubi ait. Vbi enim in his, qui integra ſanitate fruuntur, uidemus lac capiti dolorem afferre, & ilium inflare, nihil mirum excogitanti, quod his, qui iam caput dolent, uel ſuſpenſa habent ilia ſit inimiciſsimum. Quippe & nocere dixit lac ilijs murmurantibus, tibi certè iunctis. Dicente Galeno. Maior itaque offenſio iliis diſtentis, minor uerò murmurantibus, ſed tamen neque his eſt utile lac.

Non ne D. T. ſitiens eſt, & dixit Hippocrates, & ſitientibus lac malum eſſe, inquit enim Galenus. Euaporat enim in ipſis, ſiue natura ſitierint, ſiue ex àliquo tempore ſitis aduenerit.

Porrò & ex te bilioſa deiiciuntur excrementa, quo fit, ut cauſa calida, lac ad fumoſum alteretur, & febrem augeat, & caput tentet, auctore Galeno eodem in loco. Cum igitur his paſsionibus lac plurimum aduerſatur, tibi edulium moleſtiſsimum eſſe fateor ipſum lac.

CASEVS.

CAſeum ex iniecto lacti coagulo formari, dixit Galenus tertio, de potentiis alimentorum, capite decimo ſexto,

ſexto, quippe dum formatur acrimoniam accipit, totamque humiditatem relinquit, eoque magis inueterata creſcit acrimonia, & is calidior, atque urentior redditur, concoctionique contumacior, & deterrimi alimenti procreator. Quam ob rem à tota rei natura caſeum D. T. nequaquàm dandum puto. Et quanquã facultatis attenuatoriæ craſſorum corporis humorum caſeus ſit, quo fit, ut in te flatuoſi ſpiritus cauſa dilanietur, & murmur, & uentriculi, atque alui dolor tollatur, plus porrò damni his paſsionibus affert caſeus, ex ſucci prauitate, & æſtuanti feruore, Quàm craſſorum attenuatio prodeſſe poſsit, auctore Galeno eodem in loco.

Forte non admodum errore ductus eris, ſi recentis, & diurni caſei nonnunquàm modeſto utaris eſu, ob id Galeni uerbum tertio alimentorum, capite decimo ſexto ubi ait. Laudatiſsimus inter omnes caſeos recens habetur, gratiſsimus ori, & ſtomacho minime noxius, aliiſque omnibus caſeis concoctu facilior, ſucco *conſtans non uitioſo*, neque uſque adeo craſſo, quod omnium tamen caſeorum commune uitium eſſe ſolet.

Cœterum uir Magnifice te ſcire uelim cum ex eo, quod in lacte pinguiſsimum eſt, butyrum progignatur, facultatem leniendi, atque molliendi ſibi conducens, quo fit, ut leni ſui mollitie hæmorrhoidibus præſidium præſtet. Cum porrò generatiõis bilis materia exiſtit, proculdubio eum D. T. cauere iuberem. Quod ſi ipſum uiolacea aqua elotum paululo cinnamomi, & zucchari aſperſo modeſte *eſi*taueris, nõ tibi admodum contumax erit, cum lotura *hac* quod in eo tenue, ac feruefcibile eſt, tollatur, & adeo idoneum non erit ad bilem progignendam.

OLERA.

QVæ ex oleribus D.T. eſitare debet, porro excalfacientia,

tia, atque exſiccantia minime ſint. Qualia ſunt hyſſopus, menta, calamentum, fœniculus, ſiſimbrium, ſaluia, betonica, & ſimilia, uerum ea ſimplicia tibi denegare audeo, his tamen iuncta, quæ emolliendi uim quandam habent, eius affectionibus peridonea eſſe facile arbitror. Hæc quippe emolliendo ſiccitati obuiant, illa uerò uentriculum roborando, ac iecoris ſerata orificia aperiendo tum hærentes ſuccos attenuando, ſpiritus flatuoſi generationem tollit, tibi ſanè peridoneum, qualia ſunt borago, bugloſſum, endiuia, lactuca, ſpinachia, cichoriũ, & ſimilia, quæ cum prædictis condimento parabis; paululo addito cinnamomi, & zucchari. &c.

Terræ namque bulbos cauere debes, qui mordaci acrimonia prædíti ſunt. Qualia cæpæ, allia, aſcaloniæ, porri, & huiuſmodi. Acrium quidem omnium aſsiduus uſus à te euitandus eſt, cum facultatem quandam alendi corpus obſcuriſsimam habeant, auctore Galeno ſecũdo, ſimplicium pharmacorum capite ultimo. Et quæ excalfaciendi facultate admodum prædita ſunt, potiſsimum cauere debes. Qualia piper, zinziber, gariophylli, cinnamomum, crocus, macis, & ſimilia. Quorum omnium ſolum plerumque paululum cinnamomi, ut uentriculi facultas oblectetur, tibi admittere audeo. &c.

FVNGI.

FVngos quouis modo condiendi paratos, ſanè cauere debes, quippe nedum mali ſucci ſunt, uerum & alimonia ex his procedens, pituitoſa, gelidaque eſt, os uentriculi anguſtians, auctore Galeno ſecũdo, facultatis alimentorum, cap. LXIX. ubi adhuc inquit, fungi etiam cum ſiccari nequeant, uitium in ſe habere maximè indicant. Dixit quoque princeps ſecundo canone capi. CCLXXIIII. Accidit ex fungis, qui non interficiunt, præfocatio. &c.

FRVCTVS.

DE fructibus,quibus homines uefcuntur,te non latere debet,uir magnifice,hos quidem horarios Priſci appellitant,qui in anni hora naſcuntur, quippe anni horam uocantes id tempus, in cuius medio canicula exoritur,aūctore Galeno ſecundo facultatis alimentorum, capite ſecūdo, hos quidam terræ fructus nuncuparunt. Quales ſunt cucurbitæ,mellopepones,cucumeres,pepones & huiuſmodi.Qui cum humidæ ſint conſiſtentiæ,atque larga humiditate affecti,ne dum humidam progignunt alimoniam, at exiguam,& facile è corpore excernibilem,ut Galenus dicere audeat,id genus omnia uitioſo ſucco notata. Quam ob rem & ſi humectando ea tibi non ſint uitioſa, pluris tamē incommodi erunt, tum ſui algore uentriculum imbecillem reddēdo, tum natiuam iecoris modicam caliditatem opprimendo. Quo fit, ut ilia ſuſpenſa.i. inflata, & flatuoſa fiant, & alui tumor, dolorque concreſcant. Nempe ſi ut pueri uoraci appetentia pulſi D. T. quempiam horum cuperet,tunc paululo piperis, uel cinnamomi condiantur ut noxia eorum frigiditas aromatica caliditate rumpatur.

Eos uerò, quos arboreos fructus appellitant, qui hominum cibos adiuuant, auctore Galeno ſecundo, alimentorum, capite ſeptimo, à tota rei natura D. T. non admittimus.Hi enim,quorum mollis, atque humida eſt conſiſtentia,nedum tenuem, humidamq; ex ſe corpori alimoniam afferunt,uerum & flatuoſam,tibi admodum nocuam.Quales ſunt ficus,pira,poma,perſica, armeniaca, ceraſa,pruna, & huiuſmodi.Quòd ſi eodem deſiderio ductus, quempiā horum eſitare decreueris,maturas ficus, ueluti minus nocuas,tibi tradere iuberem, minus namque praui ſucci adgenerant omnibus his, qui fugaces,& autumnales uocantur fructus, & ſi penitus huius uitii non immunes reddantur ficus, auctore Galeno ſecundo alimentorum, capite octauo. Quippe & ipſæ uentrem flatibus implent. Quo fit,

ut

ut non mediocrem ingerant moleſtiam & uentriculo, & aluo. Niſi Galeno credamus dicente, earum è uentriculo deſcenſum celerem eſſe. Quo fit, ut in uétribus multi temporis interuallum trahere non ualeant, ut in his inflare ſinantur, ob quam rem dixit Galenus ficus cæteris autumni fructibus innocentiores eſſe.

Nempe poma, piraque, ferueſcentibus cineribus cocta, nonnunquàm eſitare poteris, excalfaciens certe ignis, nedum humidum nocuum minuit, uerum & flatuoſum ſpiritum ſenſim excernit, ſoluitque. &c.

LEGVMINA.

COeterum ob id, quod legumina nulla gratia, nullaq; iucunditate commendantur, quippe & flatibus uentres admodum implent, auctore Galeno libro primo, de potentiis alimentorum, & hoc porro tibi nocuúm ualde, ea proculdubio cuiuſuis generis paratus adfuerint, tibi ingratas eſcas pronuntio, ob quam rem, ut eorum fuga te munias, aperta fronte præcipio. Quòd ſi tui inordinata appetentia ad hæc fuerit, plerumque iuſculum cicerum rubeorum ſorbere iubeo, quod haud puto admodũ inutile.

MOTIO.

HVmani corporis excogitata dimotio non ſolum ad ſanitatis tutelam, uerum & ad bonam corporis habitudinem neceſſariam eſſe priſci omnes prædicarunt, auctore Galeno libro primo, de tuenda ſanitate. Igitur ut D. T. bonam ſibi conducat ualetudinem, præcipere oportet, ut corporis motione, atque exercitatione gubernetur. At quoniam non leue incommodum nonnullis accidit, cum repleti cibo ſe exercitant, ut Galenus ſexto, de tuenda ſanitate dixit, non ab re eam impleto uentre exercitari nollem, ea inquàm motione uaporibus plerumque impletur caput, atque non concoctum alimentum uiolentia quadam membra rapiunt Potiſsimum igitur tui motio ſit ante cibum,

bum,nihil tamen quin & poſt cibum. Quippe ante cibum quoniam ea uirium corporis robur augere ſolet, auctore Galeno ſexto de locis affectis. cap. VI. Quippe & ea exiguos meatus expurgat,& excrementa pellit,& ob hoc dixit Galenus ſecundo de ſanitatis tutela uerbum hoc. Vtilius eſt ante cibum exercitationem adhibere.

Nempe & poſt cibum non omni hora exercitationi ſubmittaris: quoniam tempus ad exercitationem commodiſſimum dixit Galenus ſecundo de tuenda ſanitate,eſt, cum externus cibus duplici concoctione iam prorſus ſit confectus,& ea, quæ in uetre,& ea,quæ in uaſis ſanguinis agitur, ac iam denuo cibandi tempus inſtat. Quòd ſi aut prius, aut poſterius exercitatione utere,aut crudis hominem impleueris,aut pallidæ bilis prouentum auxeris.

Porrò ut Galenus ſexto de tuenda ſanitate dixit, exercitationes, quæ poſt cibum fiunt, quàm maximè eas lentas eſſe expedit, ne celerius quàm oportet, membris cibus rapiatur,illas namque, quæ ante cibum fiunt, magis citas eſſe oportet, ut quæ cauitates ſuperflua implent, natura exercitatione in uigore conſiſtente, ualentius deiiciantur. Quippe non has citas eſſe expedit, quales feſtinabundi uſurpamus,opere aliquo urgente, quoniam cuilibet facultati nocumentum afferunt.

SOMNVS.

SI ambo ſomnum, atque uigiliam coniectari uoluero, hæc ſanè fieri ſecundum innati caloris motiones comperiam,auctore Galeno ſecundo aphoriſmorum,commẽto primo; ſomnum quidem ad intima corporis, uigiliam uerò ad exteriora natiuo calore promoto. Quam ob rem cum in ſomno reuocato calore uirtus concoctiua plurimum confortetur. In uigilia uerò eius ſparſione ad exteriora minus, auctore Galeno ſecundo de ratione uictus acutorum,commento. LVII. & primo aphoriſmorum,commento. XV. non ab re iubeo D. T. pluri gaudere ſomno,

quá

quá uigilia. Vtroq; tamen non magis modo facto. &c.

LAETITIA.

CVm animæ paſsiones noſtra dilanient corpora, & eá, quæ à natura conſtitutionem permutant, auctore Galeno tertio, artis medicinalis, non ab re te lætari iubeo. Quippe & gaudio afficiar magno, cum te lætitiam potiri accepero, ab his enim quæ corpus lacerát paſsionibus omnem tui affectionem originem trahere comperimus, ob quam rem earum ſanatio eſt mente lætari. &c.

REPLETIO.

CVm natiua tui caliditas imbecillis ſatis ſit, ideo inanitione non eges. Quippe cum tui membra tabeſcendo ſuccedant, impletio peridonea eſt, non quidem immoderata, ob eam non obedire debili concoctioni at ſi impletionem ſucci mali accipere uelimus, eius amotionem cum euacuatione poſtea dicenda corrigere non negligam. &c.

MEDICATIO PER POTIONEM.

ALteram rem aggrediar, quam morbi profligandi facultatem libro de ſanitatis tutela Galenus appellitat. Nempe igitur uir Magnifice mihi nullo ductus errore ſua deo D.T. binis medicationibus per anni temporis ſpaciũ medicari oportere, una uernali, altera uerò autumnali tempore initiantibus. Quippe huiuſcemodi erunt medicationes præcauentes morbum, qui futurus eſt, atque curantes illum, qui iam imminet, ut præcauendi, ac curandi morbũ eodem ſcopo procedam.

Initio igitur ueris pereunte, medicamentis purgari iubeo. Idoneũ enim id tempus purgationibus exiſtit, auctore Gale. in libro de ſanguinis miſsione. Primum igitur urgente ex dolore hæmorrhoidarũ neceſsitate, quas certè tumidas intus, factaſq; cecas puto, libera mẽte auderem, ſolá ſanguiſugá uni uenarũ hæmorrhoidaliũ, ut & benè purgatá iniũgere. Cũ.n. ſanguinẽ è profundo nõ extrahat ſanguiſuga, iuxta illud Galeni in libro de hyrudine, ſciẽdum autẽ

eſt

eſt ſanguiſugas haud eum, qui in profundo eſt, ſanguinem extrahere, ideo maius præſidium naſci puto, ex ea, remiſſo dolore, quàm quod incommodi D. T. ex uirtutis imbecillitate contingere poſsit, at nedum locus earum, uerum & abſque moleſtia totum purgabitur corpus, auctore Galeno in libro de atrabile capite quarto. Quòd ſi in hoc tui mens cadet, prius alui lenitate utere. Sic Mannæ peroptimæ vnc.ii.& med.accipito, cum aqua coctionis iuiubarum, liquiritiæ, paſſularum, uiolarum eliquato, & potui dato. Vel ſic, diaſenæ lenitiui.drach.vi. diaſebeſten lenitiui. drach.ii.ſumito, & prædicta cum decoctione ſoluito, & potationi dato. His porrò duobus peractis, uel alui lenitione ſolum, ſuccedētibus ſex continuis diebus ſyrupum in diluculo capies, ſyrupi uiolati vnc.i. ſyrupi de cicorea abſque reubarbaro, mellis roſati collati, de quolibet vnc. med. aquæ lupulorum, bugloſſæ, endiuiæ, de qualibet vnc. I.accipito, & potui dato. Septima ſuccedente die, hora qua diei lux ad nos accedit ſequentem potabis potum. Mannæ electæ vnc.I.& med.diaſene lenitiui.vnc.med. cum coctione pectorali communi potum facias, & bibe.

Succedente ergo toto æſtiuo tempore continuatis cuiuslibet menſis decem diebus ſequentem in diluculo potabis potum. Portionem quartam unius caponis anteriorem non pinguem benè tamen carnoſam, & hordei mundi vnc.ii.accipito, & in perlucida aqua ebullito, quoad ferè carnes conſumantur, demum colato, & modico cinnamomi & zucchari permixto potui dato.

Diebus uerò aliis, quibus potum hunc non capis, iuberem plerumque D. T. ſequente uti confectione tribus horis ante ſumptum prandium, & cum cubare uolueris modiculam eius portionem accipies ad ſomnum iuuamentum præſtantem.

Seminum papaueris albi, ſem. lactucæ, ſem.endiuiæ, de quolibet.drach.ii.ſeminum mellonum, & cucurbitæ cuiuſ libet.

libet.vnc.med.amigdalarum dulcium, pinearum piſtaciorum de quolibet vnc.i.penidiarum vnc.ii.ſpodii, drach.i. & med. cinnamomi drach.ii.carnis pulparum caponis, & faſiani,& teſtudinis nemoralis cuiuslibet vnc.iii.omnia ſimul peroptimè contundantur,& cum aqua uiolata,& zuccharo,quod ſufficit,artificialiter fiat confectio.

At quia uentriculi facultas imbecillis facta eſt, eius robur procuretur, tum duo coclearia ante cibum ſequentis mixturæ accipiendo,ſyrupi de menta,mellis roſati de quolibet vnc.ii.tum quotidiano utendo unguento iſto, priuſquàm mane è lecto ſurgas olei maſticini, abſinthii, ſpicæ, citoniorum,cuiuslibet Vnc. med..corallorum rubeorum, ſem.roſarum rubearum, nucis muſcatæ,gariophyllorum, ligni aloes de quolibet, drach. med. paululo addito ceræ, conficiatur unguentum molle.

Et cum ferè tempore continuo T. D. alui torſionibus moleſtatur, non ab re eodem tempore aluũ ipſam ſequenti unguento inungere iuberem,quo & ſpiritus flatuoſi ſoluentur,& dolor tolletur.Quòd ſi anchas eodem tanges unguento præſidio tibi erit,olei de cheiri, amigdalarum dulcium de quolibet Vnc.i. unguenti aragon,unguenti martiaton,cuiuslibet Vnc.med.miſceto,& uſui ſeruato.

Cum uerò iecoris,cuius malam affectionem cognouerim, aquam inter cutem minantem, non ab re ſequentis confectionis quotidiano uſu portionem capere duabus ante prandium horis præciperem,ea quippe epatis obſtructiones aperientur,& facultas ſanguinis gignitiua concreſcet;hoc tibi neceſſarium ualde.Limaturæ calibis præparatæ,& in ſubtiliſsimum puluerem ductæ.Vnc.ii. ſpecierum dyarodonis abbatis Vnc.i.epatis lupi optimi,& ſubtiliter puluerizati Vnc.i.& med. paſſularum ſine oſsibus Vnc.ii. Reubarbari puluerizati,& cum uino albo irrorati drach.i. ſucci lupulorum depurati, ſucci pomorum dulcium, de quolibet.Vnc.ii.de zuccharo quantum expedit, conducatur

cur

tur mixtura.Et te non latere uolo mixturam dictam D.T. ab omni futuro malo ſecuram efficere.

Nempe cum uigilia immodica te laborare acceperim, a tota natura rei tibi pernocua duplici præſidio D.T.ab ea amouebo.Primum eſt ſem. iuſquiami albi drach.ii.accipito.Vini albi potentis, & dulcis vnc.VIII. hæc ſimul bullito quo ad totius tertia conſumatur pars.Ea quippe hora qua cubare uolueris, uino iſto calido, nares, tempora, aurium extremitates tanges,& dubio procul dormies.

Secundum præſidium eſt,corticum papaueris recentiũ ſui anni Vnc.I. tortellarum de ſeni,Vnc.med. ſemin.aneti, aniſi,de quolibet drach.ii.maſticis drach.i. ex his fiat ſubtiliſsimus puluis, cui permiſceto penidiarum pulu. Vnc.ii. menſura eſt drach.ii.in pulli iuſculo cum cubare uolueris.

Verum enim uerò, cum tui corporis moleſtia,& animi turbatio ſit, ingens hæmorrhoidarum cæcarum dolor, D. T. conſulo his debere gubernari medicamentis; primum quotidie,uel alternis diebus alui lenitione curabis,ſequenti antidoto,floris caſsiæ recenter extractæ Vnc.i.aniſorum puluerizatorum drach.ii.zucchari Vnc.med.accipito, hæc permiſceto,& duas drachmas ante cibum accipito, ſuper quod hauſtum iuſculi pulli bibito.

Demum ſequentibus utere medicamentis, quorum exercitatio dolore ſtimulante etiam à principio,& tempore quo præcedentibus medicaris medicamentis ſimul fieri poteſt.

Primum eſt, ut uicibus duabus quotidiana utaris ſeſſione,in ſequenti balneo.Maluam,biſmaluam,altheã, uiolariam,braſsicam,uerbaſcum,camomillam,mellilotum,fenugrecum, ſem. lini accipito, & in fluuiali aqua ebullito quoad pars tertia aquæ ſoluta ſit,& in reſiduo tepido horæ moram trahas.

balneũ ad dolorẽ hemorrhoidũ

Balneum aliud in quo certum reperiri præſidium eſt, olei oliuarum lib.XXX.Radicum altheæ.Vnc.iii. accipito,

& ebulito

& ebulito,eodemque ſedeat modo. Cõfeſtim poſt exitum à balneo lanam ſuccidam oleo dicto madidam circulo calidam applicato, & ſimul femori frequenter apponatur, ſpatio temporis dimidii horæ ſic continuabis. Demum repente,ſequentis confectionis drach.iii. accipies, & duabus ſequentibus horis cibum capies, ſucci radicum uerbaſci, vncias quattuor, penidiarum,uncias tres, pulueris liquiritiæ, unciam mediam, zucchari quod expedit, & mixtura conficiatur.

Quod ſi aluus tibi adſtricta erit,duobus ſequentibus utere clyſteri. Primum eſt olei oliuæ prædicti Vnc x.butyri recentis.vnc.iiii.ſucci foliorum porrorum vnc.i & med.zucchari,vnc.i.& med. uitelli oui numero.i. ſalis drach.i.ſi ulcus non fuerit,accipito, & clyſtere conficito.

Aliud clyſtere dictæ coctionis herbarum Vnc.x.olei oliuæ Vnc.iii. butyri recentis. Vnc.ii. ſucci apii Vnc.i.& med. uitelli oui unum,ſalis comunis,& zucchari ut expedit,accipito,& clyſtere iniicito.

Quod ſi penſitabis hæmorrhoidas ulcere affectas fore, te ſcire uelim frequentem huius clyſteris uſum,& dolorē, & ulcerationem tollere,lactis uaccini Vnc.x. mellis roſati, Vnc.ii.aloes drach.ii.ſucci apii.Vnc.i. uitelli oui unum accipito,& clyſtere frequentato cum zuccharo.

Vnum tamen te ſcire uelim,in cuius experientia optimè edoctus ſum,ſi triginta diebus continuis,frequentem liquorem calidum per circulum loco hæmorrhoidarum cum ſiringa uel ſuccida lana bis in die applicueris indubitato ſanaberis,ſucci porrorum Vnc.ii. ſucci apii Vnc.i. butyri uaccini,olei nucum,olei decoctionis, cataputiæ cuiuſlibet Vnc.i.& med. olei raphani.Vnc.i. ſepi renum capræ. Vnc.i.& med.accipito, & linimentum conficito. &c.

Aliud unguentum mihi ſecretum, quo & hæmorrhoides dolentes,& ulceroſæ proculdubio ſanantur,ſi ad eas ſequēs unguētū iūgatur,ſucci mediani, corticis ſābuci.vn.ii. Vnguēnt

YYY ſucci

ſucci apii. Vnc.i. ſucci celidoniæ Vnc.i. & med. Butyri recentis, ſepi renum caprarum de quolibet Vnc.i. maxillarum lucii, porcelinorum terreſtrium, uermium terreſtrium, omnium exſiccatorum, de quolibet Vnc.i. olei decoctionis catapuciæ. Vnc. med. ſingulis pulueriżatis pulueriżãdis cum paululo ceræ fiat unguentum molle, cuius portio cum lana ſuccida loco hæmorrhoidarum imponatur, uel in lacte uacino liquata, locus ter, uel quater die uno ſiringetur.

Aliud mihi ſecretum à quo hæmorrhoides dolentes, & ulceroſæ indubitato curantur, ſi eo frequenti uſu patiens utatur. Succi celidoniæ, pinguedinis colli muli ubi ſunt crines, de quolibet. Vnc.iii. accipito, & miſceto, eius quidẽ portionem, uel ſiringa, uel ſuccida lana loco patienti imponito.

Aliud quod à me expertum eſt, optime ualere, ſi patiẽs frequentet ſeſſionem ſuper tabula calida de ligno pini inuncta pinguedine renum caprarum, & mirabilem aſſequeris effectum, unum tamen te ſcire uelim, quod ſi tanti uigoris dolor affuerit, ut iam ſcriptis medicamentis ſolui non poſſet, timore non afficiaris, ſi unicuique eorum unguentorum grana quattuor opii miſceantur.

Nempe autumnali tempore ad nos accedente, iteratò corpus ſuum mundet. Primum igitur ſecũdam irudinem uni ſolum hæmorrhoidarum applicandam cenſeo. Demũ ſex continuis diebus ſequentem ſyrupum potet; ſyrupum biſantinum, & uiolatum, & de lupulis, & mel roſatum põdere Vnc. med. accipito, aquam cuſcute, apii, & cicoreæ, põdere. Vnc.i. ſyrupis miſceto, & potui dato.

Septima uerò die purgetur corpus ſequenti medicamẽto, medullam cartami drach. ii. diaſenæ lenitiui drach. VI. mannæ electæ Vnc.i. accipito, & cum pectorali coctione communi potum facito, & exhibeto, Hyberno uerò tempore currente, ultra hæc, quæ iam diximus, medicamenta. quæ & hyberno tempore exercitare poteris, mirabilem effectũ

reperies,

reperies, ſi quotidiano uſu ſpacio temporis dierum decem cuiuslibet menſis in diluculo ſequentis mixtionis drach.ii.ceperis, ei ſuperpotando iuſculi cicerorum rubeorum Vnc.iiii.mirabolanorum indorum, beliricorum, emblicorum aqua bugloſſæ elotorum quouſque ab eis amaritudo amoueatur, cuiuslibet Vnc.med.Radicum taſſi barbaſſi.drach.VI.zinziberis, cinnamomi, galangæ, nucis muſcatæ, de quolibet ſcropulos duos, ameos, ſpicæ, ſquinanti, cuiuslibet ſcropulum unũ, ſcoriæ ferri præparatæ.drac.VI. penidiarum.Vnc.iiii.zucchari ut expedit, & efficiatur mixtura.

Et hæc ſunt ſalutaria remedia, quæ pro ſanitate D. T. pronuntianda erant, Quòd ſi lumine ſuperiori adiuta, optimum aſſequantur finem, omnipotenti gloria tribuetur. Sin uerò nobis non deerunt uiæ aliæ, quibus ſanitatem tuam amplecti poteris, ad illius gloriam, qui nos gubernat &c.

Benedictus Victorius Fauentinus ſic Dixit, dum in Patauino Gymnaſio medicinæ Theoricam primo loco profiteretur.

FINIS.

dum aquoſus inuenitur,& minoris quantitatis nullis feci bus mixtus, ueluti & urinæ nunc temporis tenues,& aquoſæ, minoriſque quantitatis minguntur.

Indicia autem futuræ menſtruorum eruptionis, atque fluxus ſanguinis per ſedem, Illuſtriſſima hæc Domina aſſeruit eſſe dolores quoſdam locum pectoris occupantes, tribus ante diebus, modo ad dextrum, modo ad ſiniſtrum aliquando uerò in medio pectoris perceptos, qui cum locum pectinis attingunt, confeſtim menſes reſerantur.

Hæc ſunt, quæ de affectibus Illuſtrisſimæ D. Mariæ de Medicis ex informatione ſuorum excellentium medicorum ad nos delata, facile accipere potui.

In quibus affectibus Illuſtriſsima hæc Domina à nobis ſalutaria perquirit auxilia. Cuius uoluntati obtemperando illius bonitate, & fauore, qui nos regit, & noſtra corpora gubernat, dicam, quæ mihi magis idonea præſidia uidebuntur, ut eius ſperata conducatur ſanitas. &c.

CVRATIO.

OMnium affectionum curationis ſcopus tribus perficitur inſtrumentis, auctore Galeno in libro de partibus artis medicatiuæ, ſumma ſecunda, capite ſecundo, & in libro experimentorum, capite ultimo uidelicet, uictus ratione, medicinarum exhibitione, & manuum operatione, cui ſententiæ alludit Auicenna quarta primi capite primo. Idcirco omnium trium inſtrumentorum exercitationem exacte perficere deberem, præſertim rationis uictus, cui medicus primo hærere debet, auctore Galeno undecimo, methodi, capite quinto, ſed quoniam non fugit me Illuſtrisſimam Dominam regi, & gubernari ab Excellentibus medicis in uictus ratione benè edoctis, ideo in ea uictus rationem ſub ſilentio præteribo. Quoniam etiam hæc longiori indiget tempore, & maiori ſcribendi ocio, non mihi per nuncios D. ſuæ Illuſtrisſimæ conceſſa.

DE AERE.

ATtamen aerem negligere nolo, propter Galeni uerbum tertio, artis medicæ, commento decimo, &.xi. & tertio methodi, capite octauo, & nono, non longe à fine ubi ait, Ambiens uerò is eſt, ſine quo neque morbus tolli, neque ſanitas teneri poteſt, & libro primo de tuenda ſanitate, non modicam expedit uim ipſius tuendæ, atque inducendæ ſanitatis in boni aëris electione. Sanè igitur purum aërem ſibi conducat, & clarum, ne impuritate, & craſſitie cerebrum offendat, & ſuperfluitates multiplicet, & ſpiritus flatuoſos progignat, quorum alterum diſtillationes adauget, alterum uerò flatuoſos conducit dolores, à quibus duobus hæc Domina ſatis corripitur. Et ob hoc dixit Galenus primo, de tuenda ſanitate, optimum aërem cẽſco, qui prorſus ſit purus. Idem etiam in actiuis ſit temperatus, uel non multum ad frigidum tendens, quoniam ſuæ D. natura indiget retentione, quæ frigido perficitur, non tamen admodum frigidus ſit, aer, ob dictum Galeni quinto aphoriſmorum, commento uigeſimo quarto, ubi ait frigidum partibus thoracis inimicisſimum, & ex capite diſtillationibus in thoracẽ offendit. Et non ſit ualdè frigidus, quoniam tempore magni algoris fluxus ſanguinis per ſedem uidelicet, hyberno tempore Illuſtrisſimam Dominam corripuit. In paſsiuis uerò uergat in ſiccum, quoniam omnes ſui affectus ſicco corriguntur. Conſulo igitur Illuſtrisſimam hanc Dominam inſtantem aerem mutare, & in comitatu ſui dominii, idoneum locum perquirere. Cuius aer in actiuis parum ad frigidum declinet, in paſsiuis ſatis ad ſiccum, & illo loco habitandi uſum perſepe ſequatur. &c.

DE VINO.

COnſulo quoque Illuſtriſsimam hanc Dominam propter timorem de flatuoſis doloribus, à quibus in al‑

uo

uo ſæpe turbatur, & in ſtomacho fortè, ab aquæ potu omni adminiſtratiōe cauere. Sit igitur eius potus uinum ſubrubeum, pauciferum, in quo uirgæ auri duri ignitæ pluries extinguantur, & plus laudo extinctionem calibis in eodē, de reliquis autem ad rationem uictus attinentibus, relinquo ſuis doctis medicis, & de ſecundo inſtrumento ſermonem faciam, ut facilem profligandi morbum uiam habeamus.

Offertur igitur mihi per delatam informationem Illuſtriſsima Domina Maria de Medicis, quæ fluxu ſanguinis per ſedem corripitur, ut ſupra enarratum fuit.

Nempe dico cum ſerapione in ſuo breuiario, quoniam plures medicorum non poſſunt decernere ægritudines, propter quas fit ſanguinis per annum excretio, oportet quod denudemus ſermonem in illa.

Ob hoc ſanè conſiderandum cenſeo, nunquid ſanguis in Illuſtriſsima D. eruptus per ſedem ab epate fuerit, ut à loco læſo, aut ab inteſtinis, aut ab hæmorrhoidibus, hæc enim conueniens eſt curationis methodus uidelicet, morbum cognoſcere, auctore Galeno primo de ratione uictus acutorum, commento tertio, & dixit Auicenna non curabis ægritudinem, niſi cognoueris eam.

Cui dicendum primo ſanguinem illum non fore ab inteſtinis ita, ut inteſtinalis dyſſenteria uocitetur. Quoniam ut uoluit Galenus ſexto, de locis affectis ad principium, ante horam erupti ſanguinis per ſedem, adeſt dolor, & inteſtinorum tormenta in dyſenteria inteſtinali, ſicut in Illuſtriſsima D. non apparent, ut ex informatione cognoui. Item dixit Galenus primo, de locis affectis. Dyſenteria eſt uulnus inteſtinorum ſcilicet dolor, & nocumentum in initio generatur à quadam materia pungente, per inteſtina tranſeunte & cet. Et eandem ſententiam uoluit Auicenna. XVI. tertii ob hæc igitur mihi ſuadeo fluxum hunc cruentum per ſedem non eſſe inteſtinalem dyſenteriam.

Minuſque

& epatis natura ſentiens ſe grauatam ſanguine illo, ſuper fluo, illum pellit ad inteſtina, & ad ſedem. Huius autem cauſæ indicium habeo, quoniam Illuſtriſsima hæc D. ante annum M D XXXVIII. & cum iuuenis erat ob rubedínem faciei, non ei dilectam crebris, & à diuerſis partibus ſui cor poris utebatur ſanguinis miſsionibus. Quòd ſi fortè his non uſa fuiſſet, tunc temporis D. ſua in hunc incidiſſet flu xum ob ſuperfluum tunc ſanguinem multiplicatum, for te autem ab huiuſmodi ſanguinis miſsionibus ſe abſtinẽs poſt annum M D XXXVIII. in hunc incidit cruentum per ſe dem fluxum, qui cum longo perdurauerit tempore, alterã ſui ipſius conduxit cauſam, quæ eſt debilitas primo uirtu tis naturalis concoctricis epatis, quia non generat bonum ſanguinem, ſed ut aiunt, ſanguinem admodum aquoſum, ſecundo uerò uirtutis retentricis nõ enim potens epar ſan guinẽ retinere, ipſe derelictus ab opere naturæ epatis, fluit ad uiam, quã ex longitudine morbi ſibi aſſuetam fecit, ui delicet, ad inteſtina, & ad ſedẽ, quo fit, ut ferè continue ex his multũ uel aliquid ſanguinis fluat, & ex hac ſecũda cau ſa facile poteſt haberi tertia, quæ eſt obſtructio epatis in Il luſtriſsima D. facta à debilitate uirtutis naturalis generã tis craſſas ſuperfluitates, uias epatis obſtruentes, propter quã ſanguis ille quoquo modo genitus in epate, non po teſt ad mẽbra penetrare, fluit igitur ad inteſtina, & aliquã do multum, & aliquando parum per ſedem fluit, & durũ eſt credere, quòd ægritudo hæc, quæ tam lõgam traxit mo ram, nullam ex parte epatis grauitatem, uel tẽſionem, uel duritiem progenuerit, præſertim cum iam agitur annus, quo in Illuſtriſsima D. ut aiunt, & oculi, & facies, & tibiæ tumuerunt. Quæ omnia indicant epar uitiatum fore, aucto re Galeno & Hippocra. ſecundo prædictionum libro.

Quoniam autem morbi curatio conſiſtit in remotione cauſarũ illius ut dixit Gal. iii. artis medicinalis, & ſecundo aphoriſmorũ com. XXII. Ideo huius Illuſtriſ. D. cruentum

per ſedem fluxum corrigemus per abolitionem cauſarũ, quas iam diximus. Et quoniam non eſt ægritudo recens, & in principio, ſed in proceſſu, & diuturna iam facta. Et ob hoc in ægritudinem frigidam tranſiuit, auctore Galeno in commento illius aphoriſmi ſecundæ particule, acutorum morborum &c. Non audeo loqui ſupra ſanguinis miſsionem, & ſi hæc Domina in præteritum aſſueta fuerit. Timens ego ne naturalis uirtus epatis ſanguificatiua ad maiorem duceretur imbecillitatem, & eiuſdem temperatura maiori frigiditatis gradu occuparetur ex ſanguinis miſsione. Et hæc Illuſtriſsima D. ob id facile poſſet hydropi occurrere, in quam ex iſto affectu ſatis parata eſt, conſulo igitur, ut ſanguinem cõſeruet pro theſauro ſuæ uitæ. Iterum conſulo, ut eius curatio non fiat cum rebus, quæ obſtruendo adſtringunt, ut docet nos Auicenna. XIIII. tertii, & XVI. tertii, ubi dixit. Et multotiens quidem linit inſipiens epar in hac excretione, cum inſpiſſantibus ſanguinem, & extinguentibus epar, per hoc, quod ſunt frigida, & in hoc eſt mors, & præparatio putrefactionis. *Et. XIIII. tertii.* Et uehementior error eius eſt, qui retinet eos, cum oppilatiuis cõſtrictiuis, & dixit. XVI. tertii. Immo oportet cum ſcieris, quod cauſa in ipſo eſt oppilatio in epate, & meſeraica, ut intendas cum apertione obſtructionis, & poſt dixit, & quãdo eſt excretio ſanguinea epatica, tunc non oportet, ut retineatur de ſubtus aliquid noxium, & accidat per illud nocumentum, & melioretur regimen deſuper.

Vbi uero ſanguinolenti exitus per ſedem ab epate cauſa fuerit debilitas uirtutis retentricis epatis, cui aſſocietur debilitas concoctricis perficiatur curatio cum ſtipticis aromatibus roborantibus utramque uirtutem.

In tendendo igitur cauſæ opilatiuæ epatis. Conſulo primo, ut dixit Auicenna XVI. tertii, ut ſtatuatur debitum regimen in cibo, & potu, & aliis ſex rebus non naturalibus quod, ut dixi, ſuis excellentibus medicis relinquo.

Vnum

Vnum tamen dico, quod omnes eius carnes elixæ ſint,potius quàm toſtæ,in quibus continuæ bulliant paſſulæ pingues,& herba illa, quàm millefolium appellamus, immo laudo, quod de iſta herba comedat etiam cum pane tempore æſtatis cum recens fuerit,in hyeme uerò in elixatis cibis,& in ea benè expertus ſum, & contulit. Et expertus ſum,quod ubi Illuſtriſsima D. in prima menſa primo potaret. Vnc. iii. iuſculi cicerum rubeorum decoctionis millefolii, cum modiciſsimo cinnamomo,multum cõferre. Laudo quoque, ut Illuſtriſsima hæc Domina loco moderati exercitii leuibus frictionibus utatur à ſcapulis infra antea quàm mane,& ueſperi cibum inglutiat. Dico autem hoc ſuppoſita uirtutis conſiſtentia, quam ex informatione non ſatis bene potui concipere,faciunt enim, ut moderatum exercitium ad obſtructionum apertionem,& trahendo à centro ad circunferentiam auertit ſanguinem à fluxu ad inteſtina frictione uocatum ad exteriora,& hoc eſt,quod dixit Auicenna.XIIII.tertii,& non denudetur patiens epatis oppilationem à frictionibus ipſis.Quo autem ad exhibitionem medicinarum per os,conſulo primo, ut minoretur materia, faciens oppilationem epatis cum medicina eam ſoluente ut infra. Recip. Reubarbari electi, drach. ii.infundatur in aqua decoctionis paſſularum pinguium, & millefolii per noctem,deinde facta forti expreſſione diſſoluatur cum eadem aqua, & apud diluculum Illuſtriſsimæ patienti detur. Deinde conſulo, ut digeratur materia faciens oppilationem cum præſentia cruenti fluxus ſanguinei per ſedem, uel ſine cum ſequenti ſyrupo, mane in aurora exhibito,& ueſperi per tres horas ante cibum. Recip.ſucci citoniorum,ſucci millefolii, ana.vnc. iii.ſem.acetoſæ,ſem.endiuiæ,ſemin.plantaginis,ana.drach. iii.Corticum mirabolanorum citrinorum Vnc. med. bulliant in ſuffi.quan. aquæ uſque ad conſumptionem tertiæ partis,deinde coletur,& colatura cum zuccharo albiſsimo

dulcoretur, de quo, Recip. Vnc.i.& med. ſyrupi de cicorio cum reubarbaro. Vnc.med.aquæ decoctionis cicerum rub. vnc.iii.miſce pro una uice, continuato uerò ſyrupo per.vi. dies, conſulo, ut ſeptima die purgetur cum ſequenti pharmaco. Recip. folii bugloſsi, folii boraginis, roſarum rubearum, anà.Manipul.med.ſem.endiuiæ, ſem.plantaginis, ana. drach.ii.corticum mirabulanorum citrinorum. Vnc.med. paſſularum enucleatarum, drach.ii. bulliant in ſuffi. quan. aquæ calibeatæ uſque ad conſumptionem tertiæ partis, de inde facta forti expresſione coletur, & cum colatura diſſol ue reubarbari electi parum torrefacti. drach. ii. & fiat potus, qui Illuſtriſsimæ patienti exhibeatur apud auroram, facta uerò hac ſecunda euacuatione. Laudo Illuſtriſsimam Dominationem ſuam quolibet mane tribus horis ante cibum capiat. drach.ii. infraſcripti electuarii, ipſum autem cum confidentia capiat, & continuet, quoniam in fluxu epatico eſt de optimè conferentibus, & eſt expertum, Recip. paſſularum pinguium Vnc.ii. epatis, lupi, Vnc.i.ſucci millefolii, uel herbæ ſi ſuccus haberi non poſsit, drac.ii. omnia inſimul benè contundantur, deinde adde reubarbari electi ſubtiliter pulverizati, drach.ii. & cum zuccharo albiſsimo quan.ſuff. fiat electuarium.

Item conſulo Illuſtriſsimam D. ſuam omni hora diei ſorbere duo, uel tria coclearia infraſcriptæ mixturæ. Recip. corticum radicum aſparagi, ruſci, verbenæ, paſſularũ, dulcis radicis, ana, Manipul.med.ſem. portulacæ, ſem.acetoſæ utriuſq; torrefa. ſem.plantaginis, ſpodii, granorũ myrthi, ana, Vnc.i. & med. coquantur in tribus libris aquæ fontis claræ uſque ad conſumptionem medietatis, deinde colentur, & colaturæ adde uini citoniorum Vnc. iiii. & Vnc.i. zucchari optimi fiat mixtura.

Conſulo iterũ Illuſtriſ.D. quolibet ueſperi in ingreſſu lecti capere unam de infraſcriptis pillulis. Recip. trociſcorũ de reubarbaro recentium. Trociſcorum de ſpodio, cũ ſem.

acetoſæ

acetoſæ ana.dra.i.trociſcorũ de carabe.dra.med.puluerizẽtur ſubtiliter,& cum ſucco citoniorum fiant pillulæ.XII.

Poſt multa,quoniam audio Illuſtrıſ.D. extrinſecus uſam fuiſſe balneo de uilla comitatus lucani, & per certum tempus bene habuit,igitur conſiderata temperatura aquæ balnei de uilla,& omnibus conſideratis quæ ſe tenent ex parte ſuorum morborum, & plus conſiderato quod dicitur ab Auicenna in ſecundo canone cap.CCLII.de uino,& aqua ferreis,lata mente dico Illuſtriſ. D. poſt conuenientẽ purgationem præſenti anno potare aquam de la uilla,eſſe præſidium illi peridoneum,cum in ſimili caſu alias,in aliis expertus ſum,& bene habui, uerum nedum conſulerem Illuſtriſ.D.aquam illam potare ſolum,ſed illius etiam tunc tẽporis balneo uti, cum unum alterius operationem perficiat,& plus iuuaminis ſuæ Illuſtriſ.D.continget in morbo cruenti fluxus,quã fuerit nocumentum,quod euenire poterit,ob deſtillationem,uel flatuoſum dolorem.

Vltimo attingendo tertium inſtrumentum, conſulo de præſidio quod puto Illuſtriſsimæ ſuæ D. fore admodum utile,tum deriuando, tum diuertendo,& euacuando, optimè etiam conferente dolori flatuoſo inteſtinorum, & diſtillationi materierum à capite,& eſt,ut præcedente purgatione duo conducantur cauteria in ambobus cruribus infra genu,per quattuor digitos,uel quinque intra duos muſculos in parte ſylueſtri, & teneantur aperta, ad ea enim à toto corpore,mali conducuntur humores, ut dixit albucaſis. Et his puto auxiliis Illuſtriſſ.hanc Dominam ad illam, quam iam habuit ſanitatẽ fauente Deo peruenire, adhuc ſtante manca,& mutilata informatione, quàm de morbis Illuſtriſsimæ ſuæ D. habuimus. &c.

Ita conſuluit

Benedictus Victorius Fauentinus in Gymnaſio Bononienſi primus ex ordine medicinæ practicæ profeſſorum.

IN SVPERFLVENTE SANGVINIS hæmorrhoidalis profluuio & renalis calculi non paruo cruciatu, ac mentis pauore.

Pro Pantaleone Fontano Iuriſperito,

Conſilium XXXIIII.

ABtuliſti mihi corpus Excellens Pantaleonis cuiuſdam Fontani Iuriſperiti temperaturæ quippe cholericæ,non immunis tamen à pituita,& melancholia,quòd fluxu ſanguinis hæmorrhoidalis ſuperfluentis aliquoties corripitur, quod unà ſimul non mediocri moleſtia renum calculo laborat.

Patitur quoque mentis timorem,ob memoriam ſui genitoris,ne in morbum concidat attonitum,quem apoplexiam uocant.

Certè Doctor Excellens,propter ea,quæ ab Hippocrate ſexta particula aphoriſmorum habentur, ubi ait. Atra bile uexatis,& renum paſsionibus hæmorrhoides superuenientes bonum, non poſſum aliter coniectari, niſi quod huius Excellẽtis Doctoris affectiones ſunt admodum formidoloſæ & curatu difficiles, cum quæ ſolent iuuare non iuuerint, proculdubio formidoloſa eſt prognoſticatio. Solet enim hæmorrhoidarum fluxus calculo renum ſuccurrere,quod in iſto nequaquam contingit, cum moleſtia enim, & renum calculo una ſimul hæmorrhoidarum fluxu corripitur. &c.

Altera nempe ex parte opinor morbum attonitum uerendum,atque timendum in iſto nobili Doctore, cum audiuerim ipſum ſæpius corripi profluuio ſanguinis hæmorrhoidalis

morrhoidalis

morrhoidalis, quo facultas primi principii debilitatur, atque infrigidatur, pituitaque in eo progignitur, quæ accumulata in meatibus cerebri, facile morbum attonitum conducet, his tamen non obſtantibus concreſcit fiducia, & ſpes futuræ ſalutis, ſi corpus in uigenti, & uiridi ætate conſtitutum eſt, Quòd per literas tuas minime accepi.&c.

Salutaria igitur remedia,atque præſentanea, quæ mihi uniuerſalibus præcedentibus occurrunt, de diæta uidelicet, atque concoctione materiæ, & eius euacuatione, hæc ſunt.

Ad ſuperfluum fluxum hæmorrhoidarum conſulo, ut natura aſſueſcat ad oppoſitam regionem,quòd bis in ſeptimana ſanguis mittatur à ſuperioribus uenis, ſcilicet à duabus baſilicis lateris dextri,& ſiniſtri, una quippe die à baſilica lateris dextri, altera uerò die ſiniſtri, ſanguis, qui extrahitur pro uice non excedat duas uncias, & ſic continuarem ego per menſem unum, omni ſeptimana bis ſanguinem mittendo.

Ad idem quotidie mane,& ueſperi diluere hæmorrhoidas cum ſequenti dilutione frigida tamen,expertum eſt.

Recip.limaturæ ferri bene mundi Vnc. VI. Radicis conſolidæ minoris minutiſsimè tritæ, Vnc.ii. bulliant ſimul in libris ſex uini nigri ſtiptici uſque ad conſumptionem medietatis,deinde coletur, & cum colatura fiat ablutio dicta ſimul abluendo totam dorſi ſpinam uſque ad regionem ſuperiorem renum, caueat tamen Excellentia tua,ne impetuoſe, & repente hæmorrhoidas claudat, ne contingat error aliquis, de quibus dixit Hippocrates, in ſexta particula aphoriſmorum, ubi ait, à diuturnis ſanato hæmorrhoidibus,ſi una non ſeruatur. &c.

Ad idem,& eſt expertum, ſi patiens quolibet mane ſtomacho uacuo capiat unam de infraſcriptis formulis bibendo immediate ſuper ipſam hauſtum uini nigri ſtiptici decoctionis radicis coſolidæ.

Recip.

Recip.Reubarbari optimi,& electi.Reupontici, an.ſcro. coral lorum rubeorum; ſeminum roſarum rubearum,ſemin.acetoſæ.an.drach.med.

Spodii,charabe.litii.Terræ ſigillatæ optimæ, ana. ſcrop. med. Torrefiant omnia paululum,& ſubtiliter puluerizētur, & cum zuccharo diſſoluto in uino citoniorum quantum ſufficit,fiat cōfectio in rotulis, duarum drachmarum pro qualibet &c.

Ad idem,& eſt expertum, Recip.puluerum trociſcorum de charabe. Vnc.i. adipis hircini. Vnc.med. ſucci radicum conſolidæ,uel pulueris.drach.i.ceræ quantum ſufficit cum modico oleo mirthino fiat unguētum,quo ungatur à medio infra tota ſpina dorſi uſque ad caudam,ungātur & hæmorrhoides relinquendo unam apertam . &c.

Ad tollendam uerò calculi generationem, & ipſius calculi generati eductionem cum urina remedium tale eſt,& expertum. &c.

Recip. lachrimi terebinthinæ drach.ii. ſucci limonis acerbi.Vnc.i.uini maluatici. Vnc.ii. miſce, & detur patienti in potu. &c.

Ad idem,& eſt expertum,ualet quoque in dolore uehementi.Recip.pulueris foliorum mori celſii, pulueris oſſiū meſpilorum, ana.drach.i. pulueris lapidis inuenti in capite cancrorum. drach.med.diſſolue puluercs iſtos cum ſufficienti quantitate aquæ ſaxifragiæ , & detur patienti in potu. &c.

De eo timore Excellentis Doctoris ad morbum attonitum . Certe uictus ratio modeſta præſeruabit ipſum à tali timore dum tamen bis in ſeptimana per ſeptem horas ante cibum capiat infraſcriptum bolum. &c.

Recip.Mithridati optimi.drac.i.& med. pulueris cranei humani.drach.med,zuccari roſati,drach.i.miſce,& fiat bolus,& patienti detur. &c.

Quod autem de aquis mineralibus conueniſti me, quæ ſcilicet

ſcilicet earũ cõueniens ſit,in calculoſa affectione,atq; renũ dolore,& ſuperfluo hæmorroidarũ fluxu. Dico oẽs aquas calidas,mineramq; calidã habẽtes ſunt cõtumaces, primo quoniã attenuant,& aperiunt,& hoc nõ patitur ſanguinis fluxus hæmorrhoidarũ. Secundo quoniã tẽperaturam calidã adaugẽt,neq; hoc uult calculoſa renũ affectio,ob quã rem ſulphureæ aquæ,atq; aluminoſæ,nitroſæ,ſalſæ, atq; bituminoſæ in caſu iſto minime ſunt conuenientes. Quod ſi forte fortuna in partibus tuis naturales thermarum aquæ inueniantur,quarum natura ſit alteratiua ad frigidum mẽbrorũ generationis unitiua,atq; uiarũ plus opportuno latarum adſtrictiua, & quippe in caſu Excellentis Doctoris admodũ idoneæ ſunt,ueluti ſunt aquæ ferreæ naturæ,& argenteæ,non fugio aquas naturæ aureæ, cum non recedant à temperamento in aliqua primarũ qualitatũ, & hæc ſunt Doctor Excellens, quibus uolui obtẽperare affectionibus tuis,offerẽs me ad maiora ſemper paratiſsimum. Vale.

FINIS.

AD COXENDICVM DOLOREM,

ubi etiam aderat timor, ne
aſthma ſuperueniret,
Pro Nobili quodam Germano

Conſilium XXXV.

DIxit Gale.in nono de morbis curandis cap. XV.& in ſecundo de temperaturis,capit.VI. Temperaturã ægrotantis, & membrorum eius eſſe præmittendã,hoc aũt fieri nequit, niſi ægrotans ipſe fuerit medico domeſticus, & familiaris, aliter enim ægrotantis

temperaturam, admodum cognitione difficilem putauit Galenus, ut ſupra. Dixit enim haly.ſecundo artis medicæ, Medicum eſſe ſenſualem artificem.Ideo ſenſu ipſo indicia ægritudinis debet dignoſcere manuducentia ipſum in cognitionem ægritudinis,ſed dicá ego, quomodo ſiet iſtud, quoniam uirum non cognoui, neque ex aliquo firmam habui notitiam,neque de temperatura eius,neque de indiciis ſignificantibus ſuper eam? Quo fit, ut non poſſim aliquid de eius temperatura recenſere, & ſuorum membrorum,niſi quoniam ab aliquo accepi,eius corporis habitudinem muſculoſam eſſe cum capillis aliqualiter criſpis,& cum multitudine pilorum in barba non fugientium aliquid ipſius criſpitudinis, & quantum ad motum eius eſſe uelocis inceſſus,& quãtum ad animi paſsiones eſſe ipſum ægrotantem promptum ad iram,quo fit, ut ipſius naturalem temperaturam uergere ad cholericũ non dubitarem, Dicam igitur,quod offertur Nobilis quidam, & Magnificus Germanus,omni quippe uirtute præditus,præclaruſq; & celebris,ætatis. LX.annorum,uel circa,temperaturæ quidem cholericæ,qui aduerſa fortuna tenetur dolore coxendicis cum uehemẽti timore ad caſum in aſthma,ob quam rem,ut Nobilitas ſua à præſenti morbo curetur, & à futuro,quem timet, præſeruetur,hujus noſtri ſalutaris conſilii duo proponemus capita.Primum caput erit curatiuum illius doloris coxæ,quo actu moleſtatur.Secundum uerò caput erit præſeruatiuum à futuro Aſthmate, quod ſua. N. non ſine cauſa futurum timet.

Quantum igitur ad caput primum. Tria in curatione præſentis doloris ſciatici percurremus,primum eſſentiam morbi,& eius cauſas cognoſcere conabimur, iuxta ſententiam Galeni primo,de ratione uictus acutorum,commento tertio,& primo artis curatiuæ ad Glauco.capite primo, ubi ait,quod oportet medicum prius ægritudinem cognoſcere, quam uult curare, & idem dixit Auicenna, prima

quarti,

quarti,cum dixit,& non curaueris morbum,niſi cognoue ris ipſum. Et quoniam morbi curatio pendet ex cognitio ne cauſarum eius, ut dixit idem Galenus loco, ut ſupra. Ideo merito cum cognitione morbi,eius cauſas percurramus, ſecundo uerò aliquid pronoſticationis afferemus de termino morbi,quo Nobilitas ſua tenetur. Tertio, uerò morbum ipſum curare conabimur. Quod ſi Nobilitas ſua ſalutaria noſtri præcepta obſeruabit, proculdubio putamus Deo fauente ad primam ſui ſalutem reuocari.

Laborat igitur Nobilis hic Dominus dolore ſciatico, quem ornatè loquentès appellant coxendicum dolorem, & eſt dolor ſciaticus, ut dixit Auicen. fen. uigeſima ſecunda tertii,de ſumma dolorum iũcturarum, & eſt dolor,qui incipit à iunctura anchæ, & deſcendit retro ad coxam, & quandoque extenditur uſque ad genu,& ad calcaneum,& quandoque protenditur uſque ad digitos, & hanc ſententiam uoluit Galenus ſecundo methodi curatiuæ non longè à principio, ubi dixit. Iſchyas. i. coxendicum morbus. Idem quoque ſenſit Hippocra.ſexto aphoriſmorum quinquageſimo nono.Idem quoque Galenus, in libro de diffinitionibus medicis. Vbi ait. Coxarum dolor diuturnus ad uſque poplites,& ſuras conſequitur. Cuius doloris coxendicis intenſionem menſurauit Auicenna, ſecundum quantitatem materiæ,& eius maiorem extenſionem,nam quanto plus intenditur dolor,& extenditur,magis uerſus inferius ſecundum longum,etiam ſecundum latum, cum intenſione doloris arguitur maior quantitas materiæ aggrauantis, & dolore afficientis crus, quo dolore, & præſentia materiæ aliquando luxatur, & reſilit uertebrum à loco ſuo,& tunc eſt cum priuatione ambulationis. Quod ſi eſt ſine reſilitione claudicant in eundo,iuxta ſententiam Hippocra. ſexto aphoriſmorum ſexageſimo, aphoriſmo. Et hanc ſententiam longiori ſermone declarat Galenus, commento ſexto.

Huius autem coxendicis doloris cauſas procatharticas ſeu primitiuas afferre non poſſum, cum non fuerim ego neque à patiēte, neque ab aliquo informante introductus in his cauſis procatharticis, de quibus certè non eſt habenda magna ſollicitudo, licet aliqualiter cōferant & ad morbi cognitionem, & ad eius curationem, ut dixit Galenus, in libro de procatharticis cauſis.

Cauſas uerò iſtius morbi præcedentes, & contentiuas tantum aggrediar, & in hoc etiam procedam eas inueniēdo cauſas, à quibus ſecundum plurimum huiuſcemodi dolores contingunt, cum alias præcedentes cauſas, quæ multæ in Nob. ſua potuerunt eſſe, tangere non poſſum, cū omnino ab informatione ſim expoliatus, & non niſi certificatus Nobilem uirum pati coxendicum dolorem.

Dico igitur quod huius coxendicis doloris præcedens cauſa eſt materia pituitoſa, uel quæ ſui multitudine, & debilitate contentiuæ cerebri, irruit ab eo ad partem ſciæ, & plenitudo eiuſdem humoris in toto, quæ ad crus tāquàm ad debiliorem locum à toto delegatur. Hoc autem mihi declarat patientis ætas, iam enim Nobilitas ſua conſtituta eſt in ætate ſenili, in qua plurimum pituitoſæ humiditates progignuntur, licet illi pituitæ permiſceatur aliquid choleræ quo moueatur, & currat ad membra, eſt enim pituita de ſui natura immobilis, quoniam frigida. Hanc ſententiā uoluit Auicen. XXII. tertii, tractatu. II. cap. V. ubi ait. Et plurimum quidem fit à phlegmate cum cholera. Deinde à crudo, deinde a ſanguine, poſtea à cholera, & rarò fit à melancholia. Idem uoluit Galenus tertio aphoriſmorum, commento uigeſimo ſecundo, ubi ait. Coxendicum autem dolores ex malignitate humorum, & frigiditate fieri par eſt, & eandem ſententiam uoluit Galenus ſexto aphoriſmor. commento. LIX. ubi dixit. Sæpe in articulis humor pituitoſus aceruatur, quem mucorem appellant, & commento LX. ubi dixit. Quod ſi ob multitudinē mucoris extra ſuū

locum diu coxa ſteterit,eſt quidem iam hoc cruris claudicatio. Dico etiam in iſto Nobili Domino catarrhum eſſe concauſam huius doloris ſciatici,declarat autem mihi, cũ eadem materia pituitoſa, quæ ui reumatiſmi irruit ad partes coxæ,aliquando eius pars delegatur ad membra anhelitus,quo fit,ut in eo difficilis fiat reſpiratio,ob quam accidit ei timor,ne in poſterum aſthmate teneatur, & hoc dixit Auicenna ut ſupra,ubi ait. Et cauſæ diuiſionum huius ſunt catarrhi,& coryzæ.

Cauſa uero coxendicum doloris coniuncta eſt, ut dixit Galenus in libro de diffinitionibus medicis,quæ cum præſens eſt,eius quoque effectus adeſt,cum uerò deſinit,etiam effectus euaneſcit,ob quam rem pituita præſens in articulo coxæ delegata ab ea uſque ad calcaneum, uel ad digitos cauſa eſt coniuncta ipſius doloris coxendicum.

Quod autem de termino huius morbi prædicendum ſit,ſermonem faciam propter illud, quod dixit Galenus, in primo de ratione uictus acutorum, commento tertio, ubi ait. Prognoſticationem magna afferre commoda ad morbos ipſos curandos.Et hanc ſententiam uoluit Hippocrates, prima particula prædictionum. Primo igitur dico coxendicum dolorem factum diuturnum, diſſolutu difficilem eſſe. Dixit hoc Galenus in libro de diffinitionibus medicis,ubi ait.Coxarum dolor diuturnus diſſolutu difficilis eſt,tum etiam quoniam propter ætatem ſenilem augmentatur cauſa doloris ſciatici, & decreſcit uirtus naturalis membri ad illam corrigendam, uel pellendam, cuius oppoſitum contingit in ætate iuuentutis & cum dolor coxendicum incipit eſſe.

Dico ſecundo,quod ſi iuncturarum ægritudines confirmentur,& fiant conſuetudinariæ non curantur, maximè illæ,quæ generatæ ſunt ex humoribus diuerſis.Intelligo hoc ſecundũ plurimum,quoniã & ratione, & experimẽto ſalutari medici prudentis cũ dei auxilio,uidi multos à dolore

coxendicum

coxendicum liberatos fuiſſe.

Dico tertio, quòd cum Dei gratia Nobilis patiens libe ratus fuerit à dolore coxendicum, tunc uti debet Regimine conuenienti, ne iterato in ipſum eundem dolorem incurrat, & dico hoc, propter dictum Auicennæ, uigeſima ſecunda tertii, ubi ait, quod dolores iuncturarum, quæ ſunt præter ſciaticam, cum curantur, & eradicantur, eorum materiæ non redeunt uelociter. Sciatica uerò, & podagra, cum curantur, & eradicantur, eorum materiæ ſunt ex eis, quæ redeunt uelociter, qualibet ex cauſa.

Quarto dico, quòd ſi coxendicum dolor in Nobili patiente fuerit in coxa ſiniſtra, tunc dolor ſuper ipſum erit uehementior, & deterior, & diſſolutione difficilior. Dixit hoc Auicenna uigeſima ſecunda tertii, & huius rationem, quoniam à fortiori prouenit cauſa, quæ cum difficultate propter ſtricturam uiarum ad articulum coxæ, & genu, & calcanei, & digitorum pedis penetrare ualet.

Quantum uerò ad curationem uno trium utar inſtrumento, uel pluribus, ſicut nos docuit Galenus, in libro de partibus artis medicatiuæ, & Auicenna quarta primi, ad principium inſtrumenta enim medicationis tria ſunt, uidelicet, uictus ratio, & medicinarum potatio, & manualis operatio. Et quoniam uictus ratio nobilius inſtrumētum eſt cæteris, ideo ab eo initium faciemus.

Sit igitur eius panis, quem in communi eſu edit de flore farinæ, quoniam optimi nutrimenti eſt, & non grauitat naturalia, & citius permeat, & non ſit panis unius diei neque calidus, quoniam ſui recentia, & caliditate natat in ſtomacho. Non ſit admodum antiquatus, quoniam difficulter permeat, & malos adgenerat chymos. Non ſit admodū fermentatus eius panis, quoniam ſui acetoſitate nocet ſtomacho, & articulis, & ſit panis duorum dierum uel trium ad plus, & non multum ſalitus, quoniam ſal anxiatiuum eſt, & capiti nocuum, ut ſecundo, de compoſitione medicamentorum

mentorum ſecundum locos, dixit Galenus, Et non ſit admodum coctus panis, ita, ut cruſtacea ob arida ſint interiora uerò incocta, hic enim deterrimus eſt panis, & toti corpori contumax, hæc omnia uidebis à Galeno primo de potentiis alimentorum.

Vinum autem iuberem, ut nullo hauſtu guſtaret, propter id, quod dixit Galenus quinto aphoriſmorum, commento illius aphoriſmi. Si quis repente obmutuerit. &c. Dixit enim uinum ſua penetratione conducit ſuperfluitates ad iuncturas, & neruos. Quo fit, ut per ipſum nocumēta in iuncturis, & neruis acquirantur. Quòd ſi eius deſiderium fuerit ad uinum, utatur uino paucifero medii coloris inter album, & nigrum, & non dulce, non craſſum, non nigrum, neq; ſubtile, album, tum propter incraſſationem humorum, tum propter apertionem uiarum, qua conducitur facile materia ad iuncturas. Vbi enim patiens biberet loco uini hydromel decoctionis hyſſopi, & ſaluiæ, & modico cinnamomi non haberem pro inconuenienti, immo pro re ſatis idonea, D. ſuæ, & in curando morbum actualem, & in præſeruando ipſum à futuro morbo aſthmatico.

Et quoniam in cauſa uidetur eſſe materia frigida pituitoſa, ideo caueat à cibis multæ ſuperfluitatis, ſicut ſunt carnes bubulæ, arietinæ, & ouillæ, & ab omnibus piſcibus, & fructibus humidis, & quantum ſit ex parte doloris ſciatici ſufficiunt ei res aſſatæ, & carnes nemorum auium, quæ ſunt paucæ ſuperfluitatis, & ideo conuenit eis caro pulli perdicis. faſiani, turturum, pullorum columborum, hædi, & aliquando uituli, dum tamen omnes illæ carnes condiátur cum origano, aneto, hyſſopo, & ſaluia. Et generaliter D. ſua utatur diæta attenuante, & in ueſperi parciſſimè comedat, ne in hora ſomni uirtus naturalis concoctiua, à multo cibo grauitetur, Quo fit, ut maior cibi pars in ſuperfluum uertatur, caueat quoque D. ſua à ſomno diurno,

no,in quantum poſsibile eſt,eo enim progignuntur multæ ſuperfluitates in omnibus membris corporis noſtri, & maximè in capite,à quo inde irruunt ad iunćturas earum dolores concreando. Caueat quoque à ſuperflua uigilia, quoniam ea concoćtio minuitur,quo fit, ut multæ ſuperfluitates per uiam diminutæ concoćtionis adgenerentur. Caueat quoque D.S. à ſuperfluo exercitio,quoniam eo iũćturæ admodũ imbecilles fiunt, ad quas poſtea confluunt multæ ſuperflitates tanquàm ad locum debiliorem, neq; ſubmittatur multæ quieti,quoniam ex tertio, artis medicæ, cauſa eſt multiplicationis multarum ſuperfluitatum propter impedimentum quod fit in opere uirtutis concoćtiuæ.

Aer quoque D.S. declinet ad calidum,& ſiccum uel natura,uel arte, cum cauſa faciens morbum & præſentem,& quem timet futurum,ſit frigida,& humida,iterum iubeo, quod teneat corpus ſuum mundum, & aliquando euacuatum, & fugiat omne genus repletionis nedum obnocuæ articulis,uerum & toti corpori.

Vltimo iubeo D.S.lætari modeſtè quidem,quoniam uiuidæ fiunt uirtutes,malas corporis humiditates ſuperfluẽtes,diſſoluentes,fugiat autem metum, & triſtitiam,& non timeat multum de futuris,quoniam hæc ſunt, quæ exterminant corpora noſtra, & maſſam ſuperfluitatum in corpore noſtro progignunt. &c.

Secundum uerò inſtrumentum,quod eſt medicinarum exhibitio,ſic compleatur.Cum enim in dolore coxendicũ materia ſit multum profundata in iunćturis,& ſecundum plurimum frigida,repercusſiua conferre nunquàm uidentur,uel quia materiam incraſſarent, & redderent ipſam indiſſolubilem,& ineuaporabilem,uel eam magis profundarent,ob quam rem,relićtis ipſis repercuſsiuis, ſi homo nimis ſit plenus ſanguine etiam cũ aliis humoribus, iubeo phlebotomiam prius fieri de baſilica, & ſi adhuc non ſufficit

ficit fiat ſecundò ſanguinis miſsio de ſciatica exteriori in clauicula pedis. Vidi enim multos, in quibus ægritudo hæc non fuit diuturnata ab huiuſcemodi dolore coxendicum prædictis phlebotomiis liberari, ſemper ad illas phlebotomias præponendo clyſtere lenitiuum, facta phlebotomia. Conſulo, quod tēpore ueris, uel autumni corpus purgetur præcedente prius concoctione in materia. Hanc ſententiam uoluerunt Hippocr. & Galenus ſexto aphoriſmorum, commento. LV. illius aphoriſmi. Dolores podagrici uere, & autumno magna ex parte mouentur. Idem uoluit Auicenna uigeſima ſecūda tertii. Iubeo igitur nobilem patientem capere prius apud diluculum ſequentem bolum. Recip. floris caſsiæ nouiter tractæ. drac. VI. ſpecierum hieræ ſimpl. Galeni dr. ii. & med. betonicæ ſubtiliter puluerizatæ drach. i. miſce, & fiat bolus cum zuccharo.

Sequenti uerò die per ſeptem dies non intermittendo apud diluculum capiat infraſcriptum ſyrupum.

Recip. ſyrupi de betonica, ſyrupi de hyſſopo. an. dra. VI. ſyrupi de glyciriza oximellis ſimp. an. Vnc. med. aquarum betonicæ, hyſſopi, cicorii, ana. Vnc. ii. miſce pro una uice. Quòd ſi tempore, quo ſyrupos acceperit, non habuerit alui obedientiam, conſulo, ut alternis diebus, faciat ſibi imponere clyſtere lenitiuum, quod fit ex decoctione betæ foliorum maluæ, mercurialis, & craſſo furfure ligato in petia ſuperaddendo caſsiam, zuccharum rub. ſalem cum uitello oui, & oleo communi. Octauo uerò accedente die poſt ſyruporum potationem, & apparentibus ſignis concoctionis & ſi non complete. Conſulo, nobilitatem ſuam ſequenti purgatorio purgari debere. Recip. diaſenæ lenitiui, diacatholiconis. an. vnc. med. electuarii indi, dr. ii. pulueris Turbith boni, & gūmoſi drac. med. omnia diſſoluātur cū aqua decoctiōis betonicæ, iuæ, ſaluiæ, & florū, & fructuū cōium, & fiat potus. Demū iubeo patiētem quieſcere per. IIII. dies poſt quos cōſulo, ut alternis diebus per. iii. horas an̄ prādiū

faciat ſibi imponeretur clyſtere ſequens. Recip. betonicæ, iuæ,ſaluiæ,maioranæ,florum ſtæcados arabici,chamæmeli, corticum radicum capparis,ana manipulum unum,corti. radi.colocynthidos.& pulpæ eius,ana drach.I.& med.agarici electi drach.ii.hermodact.Vnc.med.ligentur colocynthis, & agaricus in petia,& bulliant omnia in ſimul ad cōſumptionem medietatis,deinde colentur, & de colatura: Recip.lib.i.& med.olei rutæ.Vnc.iii.Hieræ logodionis.dra. VI. benedictæ.Vnc.med.zucchari rubei. Vnc.i. & mediam, uitelli oui numero.i. ſalis communis drach.ii.& imponatur clyſtere.

Finitis his tribus clyſteribus, ſic alternis diebus peractis, cōſulo per ſeptē dies continuos Nobilitatem ſui ingredi ſedendo balneum ſequens,à principio anchæ uſq; ad plantam pedis.Recip. florum chamæmillæ, melliloti,aneti, fenugreci,ſeminum lini, ana manipulum unum, Abſinthii, menthæ,pulegii,calamenti,abrotani,carui,ameos,polipodii quercini,betonicæ,florum ſtæcados arabi.ſaluiæ,acori, herbæ paralyſis, origani, granorum iuniperi, baccarum lauri, ana manipulum unum & medium, roſarum rubearum,camedreos, camepytheos,granorum mirthi, ſpicæ, ana manipulum medium, ſulphuris uiui Vnc.ii. ſalis nitri Vnc.I.miſce,& bulliant omnia in centum quinquaginta libris aquæ currentis, uſque ad conſumptionem tertiæ partis primitus prædictis rebus craſſo modo contuſis, & in colatura calida ingrediatur patiens,in qua moram trahat per ſpacium temporis unius horæ. Demum uerò lectum calidum ingrediatur ſtatim cum exierit balneum,& ſic ſtet per duas horas ſudando.Demum uerò corpore bene abſterſo à ſudore,inungat ſibi locum doloris ſciatici,in quacunque parte cruris fuerit cum ſequenti unguento. Recip ſaluiæ,acori, herbæ paralyſis,iuæ,origani,betonicæ, florum ſtæcados arab.ana manipulum unum, thuris, maſticis, nucis muſcatæ, ligni aloes, ana drach.ii. hæc omnia

bene

benè contuſa ponantur in uentre uulpis maſculi,& buliat uulpis in ſufficienti quantitate aquæ,& uini albi odoriferi uſque ad conſumptionem totius carnis uulpis,deinde forti expreſsione uulpis facta in dicta decoctione,ponatur ad aerem frigidum quouſque coaguletur,uel congeletur,pinguedo ſupra ſuperficiem aquæ,& uini, quæ diligenter colligatur. Cui pinguedini adde medullæ crurum cerui, pinguedi. Taſſi,pingued.humanæ,pinguedi. Vrſi, ana. Vnc.ii. ſanguinis ranarum,ſanguinis teſtudinis,ana.vnc.i.& med. olei maioranæ, terebenthinæ, ana Vnc.i. & med. Galbani diſſoluti in aceto forti.vnc.med.omnia inſimul apud ignē in catia tantum agitentur,quibus bene agitatis,omnia colentur, & colaturæ adde balſami drach.ii. uel olei balſami. Vnc.ii. & iterum bulliant apud ignem cum modico ceræ fiat unguentum molle,cum quo calido toto crure inūcto, ſi dolor eſt in toto crure immediate ſuper ligetur cruri pellis uulpis ſuffumigata cum thure, nuce muſcata, & ligno aloe,& ſic continue,uel ſtet in lecto,uel quieſcat,& ſic per ſpatium dierum duodecim balneando,& inungendo, mirabilem experientiam Nobilitas patientis cognoſcet. Laudo quoque, quòd immediatè poſt exitum à balneo antequàm lectum ingrediatur capiat infraſcriptum bolum. Recip. conſeruæ ſtæcados, conſeruæ anthos, ana.dra. ii. zucchari roſati. drach.i. Mithridati optimi. drach.med. miſce,& fiat bolus. Conſulo quoque, ut aliquando, præcipue, cum tempus non fuerit magni æſtus, ut ad minus ſemel in ſeptimana,capiat infraſcriptum bolum. Recip.zinziberis uiridis,drach.ii. turbith boni,& gummoſi, drach.i. & med. ſubtiliter puluerizati,pulueris hermodact. drac.i. miſce, cum modico ſyrupi de ſtæcade,fiat bolus. Vbi uerò his peractis remediis, Nobilitas ſua illam, quam ſperaret ſanitatem non adipiſcatur, conſulo, ut indubitato admoueatur ei cauterium in crure offenſo infra genu per quattuor digitos in parte ſylueſtri,& portetur apertum,& hác

intentionem habuit Hippocrat.ſexto aphoriſmorum.LX. ubi ait, quibuſcunque à coxēdicum dolore moleſtatis diuturno excidit coxa, his crus tabeſcit, & claudicant, ſi non urantur: eandem ſententiam uoluit Auicenna uigeſima ſecunda tertii, cum alia non contulerint; & iſtud apud me frequēter expertum eſt, huiuſcemodi dolores facile diſſolui, & immediate ex iſto celebrato cauterio. vltra hoc, quod ſexto Epidemiarum ipſum commendauit Galenus, & Albucaſis dixit, quod ad tale cauterium confluunt ſuperfluitates à toto corpore. Et hæc uolui dicere pro tertio inſtrumento, quo medicus debet uti ad huiuſcemodi dolorem coxendicum curandum.

Caput ſecundum.

Cum non minoris afflictionis apud iſtum patientem, ſit timor, quem habet de futuro aſthmate, quam præſentia doloris ſciatici. Ideo huic timori obuiantes, dicemus, rem admodum conſiſtere in uictus ratione, quam ſua. D. exactè debet obſeruare. Quam uictus rationem ſatis dixi in præcedenti capite, cum ab eadem materia & dolor coxendicum, & aſthma in ſua nobilitate concreentur. Vt tamen nobilitas ſua præſeruetur, ne in illum horrendum lapſum labatur, poſt debitum rationis uictum, ſi ſequentia remedia obſeruabit, & liberaliter eis utatur; certe ab aſthmate futuro præſeruabitur.

Conſulo itaque primo D. ſuam non etiam contradicendo, neque etiam contra operando dolori coxendicum, ſed ei admodum conferendo, quod in quolibet menſe decies, ideſt decem diebus alternatis, capiat bolum infraſcriptæ mixturæ ante cibi ingurgitationem per horas tres, Recip. Terebintinæ lotæ cum aqua hyſſopi uncias quattuor, penidiarum uncias duas, olei amygdalarum dulcium. Vnc.i. pulueris betonicæ, pulueris liquiritiæ, ana drach.i. zucchari. Vnc.i. miſce, & diu agitentur uſque quo fiat forma electuarii.

Item

Item laudo, quod bis in menſe iuxta præceptum Galeni quinto de tuenda ſanitate in diluculo capiat infraſcriptum potum. Reci. terebintinæ lotæ cum aqua iuæ.drac.VI. pul.liquiritiæ drac.i.& med.miſce,& fiat bolus.

Item laudo, quod ex uſu ſuo frequenti,& in omnibus temporibus,in quibus non eſt magnitudo æſtus, per tres horas ante prandium capiat.Vnc.med. infraſcriptæ mixturæ. Recip. butyri recentis in aqua ungulæ caballinæ loti. vnc.iiii.caricarum pinguium,nucleorum pini,paſſularum enucleatarum, dactilorum, amigdalarum amararum,ſingulorum,ana.Vnc.ii.ſucci glycirizæ, dragaganti, ana.Vnc. med. hyſſopi,ireos,thimi,ſaturciæ,praſſii, pulegii, ſem.urticæ,ana.Vnc.med.cinnamomi,zinziberis, piretri,ana.dra. iii. gariophyllorum,galangæ,piperis nigri,aniſi cardamomi,carui,ana.drach.ii. ligni aloes,nucis myriſticæ, ana.dra. I.aquæ mellis,libras quattuor; ſic conficito. Caricas, paſſulas,& dactilos omnibus bene tritis in aqua mellis triduo fundito,poſtea lento igne coque, & uiolenter ſuccum exprime, cui tepido ſucco butyrum, & mellis ſpumati libras ſex miſceto,& iterum lento igne coque. Iteratoque colato, cui colaturæ grana pini, & amygdalas bene omnia contuſa addito, quæ omnia in uaſe nulla intermiſsione optime ducito, cæteraque in ſubtiliſsimum puluerem reducta illis imponito, & pulmonis uulpis in puluerem facti.Vnc.i. iungito,& diutius permiſcendo conditum perficito. &c.

Quoniam autem dixit Ariſtoteles, in problematibus balnea naturalia calida eſſe ſacerrima, ideo uel omnibus prædictis obſeruatis,uel non omnibus obſeruatis,conſulo niſi obſtet ætas,quam credo ætatem non obſtare D. ſuam debere ingredi balnea quædam naturalia ſulphurea quidem, aluminoſa, & nitroſa quemadmodum ſunt balnea apponenſia,in Comitatu Patauino ſita,non quippe bibendo,quoniã cũ eius uirtus ſit ſatis attenuatiua,timẽdũ eſſet,

ne

ne propter aquæ potum humiditates capitis,& totius cor poris eliquatæ,ob aquæ prædictæ facultatem attenuātem, irruerent ad partes membrorum anhelitus,mouētes aſthma,& ad crus ipſum offenſum, augmentando coxendicū dolorem.Sed aperta fronte conſulo,nobilitatem ſuam du ciam prædictæ aquæ cadentis ab alto ſupra commiſſuram coronalem accipere debere, quoniam huiuſcemodi aqua ultra hoc,quod caput roborabit, quod puto eſſe in cauſa, & aſthmatis, & doloris coxendicum etiam craſſos humores in eo attenuabit,incidet,& reſoluet, & nedum duciam laudo ex prædicta aqua ſupra, commiſſuram coronalem, uerum & ſupra articulum coxæ, quoniam quod iam defluxum eſt ad ipſum,facile ex uirtute dictæ aquæ diſſoluetur.Et propter eandem rationem.Conſulo D. S. ut quotidie poſt aſſumptam duciam,præſertim de mane, ingrediatur balneum prædictæ aquæ, quoniam eaſdem operationes conducet in crure,& Dolorem coxendicum diſſoluet. Ad laudem Dei. &c.

FINIS.

AD VLCERA QVAEDAM,

ubi etiam uidebatur apparere tranſitus ad febrem hecticam,

Pro Franciſco Caſtellino, Foroliuienſi,

Conſilium XXXVI.

FAteor planè uir doctisſime, te adeo exactè, & doctè uerendum caſum tui ad nos deſcripti iuuenculi, enarraſſe, ut neminem talis uerborum facundiæ, tuarumque functionum prudentiæ inuenire crediderim, Qui & in capitum diſcrimine morbi, & eorum, quæ ei annectuntur, æquali ſermone, ſcientificoque decurſu, ſanè neque maiori tibi iungi ualeret, Nempe quàm curioſe ea, quæ in hoc morbo actui theorico capita attinent enumeraſti, obſeruaſtique præcepta Galeni, & principis hinc & inde, & tu ſicut & ipſi eorum numerum quinariũ ſtatuiſti, ſcilicet, ægroti temperiem, quam ei natura condidit, & morbi nomen, quod ipſi Autores tribuerũt, & morbi cauſam, & eius indicia, atque prænotiones. Reliquum uerò caput ſextum, quod actum decernit practicum, & ei attinet, non derogans amplitudini tuæ ſcientiæ, neque optimis præſidiis, quibus certè ualetudinem huic Iuuenculo condonare facile potueris, nobis ueluti ſenioribus dereliquiſti, petiiſtique.

Obſeruaſti igitur Doctor Excellens Galeni præceptum cum caput primum decurriſti, dicentis nono methodi curatiuæ capite decimo quinto. Non eſſe uiam cognitionis morbi, & ſuarum cauſarum, eorumque profligationis, niſi naturalis temperantiæ totius, cognitio præceſſerit, & mébror um

brorum principalium, maximè & eorum, quæ ipſis atti-
nent,ſeruiuntque. Idem uoluit Galenus in primo de dyſp
nœa,dicens,ut cognoſcamus quantum ægritudinalis com
plexio diſtet à naturali temperie ægrotantis,ipſam natura
lem temperiem cognoſcere licet, & huic ſententiæ alludit
Princeps.IIII. primi, capite primo.Dicens,ut facilè cogno-
ſcere posſimus, quali proportione medicamenta condo-
nanda ſint corpori ægroto, quoniam in illa proportione,
quam habet complexio præter naturam ad naturalem tẽ-
periem. Cognoſces quoque ex naturalis temperantiæ co-
gnitione, quæ ægritudines ſint naturæ proportionales æ-
grotantis, & quæ non, ut docuit Galenus ſecundo apho-
riſmorum, commento illius aphoriſmi trigeſimi quarti,
in morbis minus periclitantur ægrotantes &c. ob hanc
igitur cauſam fuiſti contentus,quam etiam nos docuit ga
lenus primo, artis curatiuæ ad Glauconem capite primo.
Iuuenculi tui naturalem craſim enarrare. Eam quippe au-
diui te in latitudine actiuorum ad frigidum locaſſe, pasſi-
uorum uerò ad ſiccum. Quo fit, ut in iſto nunc in ætate
pueritiæ conſtituto, naturalis temperies melancholica in-
ueniatur. Niſi obſtet quod ſcriptum eſt, de eius iecinore,
cui calidam,& ſiccam temperaturam condonaſti. Dixit
enim Galenus ſecundo artis medicæ,Totius noſtri corpo-
ris temperiem naturalem ex primis particulis ortum ha-
bere,præſertim ex duabus uidelicet, corde, & epate. Cum
enim ſiccum ſit adaugens, & exacuens calidum, ut ſenſit
Ariſt.quarto metheororum, non tanta erit cordis frigidi-
tas ut iecinoris adauctam meritò ſicci caliditatem, epar
ducatur ad frigidam temperaturam, uel ad tantam quali-
tatis refractionem,ut ex corde, iecinoreque totius corpo-
ris temperatura frigida progignatur, caliditas enim agen
tior eſt,ex quarto metheororum. Vbi uerò epar eſſet cali-
dum & humidum abundantius, cor ſui frigiditate poſſet
infrigidare epar, quoniam humidum pluſquàm oportet
aſſociat

aſſociat ſibi frigiditatem maiorem, quàm oportet, ut ex Galeno habetur in libro de temperaturis, & ex principe prima fen.primi.Doctrina tertia capite primo,& tu poſui ſti epar pueri eſſe calidum,& ſiccum.Humidum enim maius,uelocius reddit corpus frigidum,quàm maius ſiccum. Id etiam obſtat,quod nobis à colore indicaſti, albus enim color,uel ſubalbidus dominium indicat pituitæ,niger uerò atræ bilis auctore Galeno in ſecundo, de temperaturis & Principe ſecunda fen.primi. Doctrina tertia, ſumma prima,capite ſeptimo. Quòd autem attuliſti, immò pallidiuſculum potius ad colorem uergit, id non uariat pituitoſam temperaturam, ut ex Galeno habetur ſecundo, de temperaturis,& ex principe ſecunda fen. primi,tertia Doctrina,ſumma prima,capite tertio, ſed gipſeus color frigiditatem ſignificat,& rem phlegmaticam, & ſtamneus frigiditatem,& humiditatem ſignificat cum pauca re melancholica, quoniam eſt albedo cum pauco uiriditatis pallidus certè color his duobus atteſtatur. Obſtat quoque quod dixit Excellentia Tua ſcilicet uitioſos ſuccos totum eius corpus obtinere, quorum mordacitas naſcitur ex mixtione choleræ cum phlegmate aquoſo. Dixit enim Galenus ſecundo,artis curatiuæ ad Glauconem, temperaturam totius corporis naturalem,facile conducere corpus ad temperaturam præter naturalem,conſimilem temperaturæ naturali, & idem uoluit ſecunda, aphoriſmorum trigeſimo quarto. Et princeps ſecunda fen. primi, igitur ſi eius temperies naturalis ſit frigida, & ſicca, non conducet ratione humoris ſalſi totum corpus obtinentis, in præternaturalem temperaturam humoris à Dominio calidi,& ob hoc non facile timendum eſſet de caſu huius pueri in febrem habitualem, quæ ſiue principium capiat, nullo alio præcedente genere febrium, ſiue non, ſemper ipſa à calefacto eſſe membrorum dependet, & non à frigefacto eſſe, ut in de differentiis febrium notat Galenus, &

Princeps prima quarti,cap.proprio.Sed Doctor Excellens dicam me potius ſub ſilentio tranſeundum fore, quàm in ſignificationibus temperantiæ huius pueri malè loqui, iuxta illud Galeni primo, de diebus decretoriis, capite ultimo. Dicentis in ſignificatione ſilere melius eſt, quàm procedere ſuper iudicium cum errore. Et ob hoc dixit Galenus nono methodi curatiuæ,capite decimo quinto. Quod corporum temperaturæ certiſsimè dignoſcere eſt ualde difficile,cum quod non uidimus,non certè iudicamus,neque quod alio iam non percepimus ſenſu, non cognoſcit enim medicus ſine ſenſu præuio,tum etiam quoniam contingit in ſignificationibus temperaturæ naturalis, facile medicum in morbis errare,quoniam ſignificationes temperaturæ naturalis plærumque latitant, abſconduntur'ue ſub indiciis temperaturæ morbi,ob has igitur cauſas excuſatum me habebis,ſi huius pueri ſui corporis totius temperaturam non decernam,neque & illius interiorum mẽbrorum,quoniam eorum temperaturæ ex his,quæ iuuant aut nocent dignoſcendæ ſunt,ut ait Galenus ſecũdo, artis medicæ. Tum etiam quoniam tales eorum temperaturæ non niſi ex operibus cognoſcuntur,ut ſecũdo complexionum dicitur à Galeno capite ſexto. Nempe minimè fui expertus,quæ huic puero iuuamentum præſtent,noceantùe, minuſq́ue quales fuerint intrinſecorum membrorum functiones dignoui, quoniam in illum nunquàm operatus ſum,igitur nunc adiſcentis officio fungar, iuxta illud Ariſto. poſteriorum primo,oportet adiſcentem credere. Credam igitur tibi Doctor Excellens, talem eſſe huius pueri temperaturam,qualem doctè examinaſti, ſuorumque intrinſecorum membrorum. Quòd ſi aliquid in cõtrarium me adduxiſſe uidear,id feci,ut mentem tuam,& intellectũ tuum ad altiores ſenſus excitarem,ſed de his hactenus. Medicum enim prolongare ſermonem,in his,quæ nullum iuuamen afferunt medicationi ſuperfluum eſt, auctore Gale

no

no in primo, de ratione uictus acutorum, commento. III.

Nempe in ſecundo capite aſſecutus es, Doctor Excellens, præceptum Galeni dicentis primo, de uictus ratione In acutis, commento tertio, neminem ad curam morbi ſe accingere, niſi prius cognouerit ipſum, quæcunque enim ipſo morbo ignorato ipſi ægroto contigerint, hoc à caſu, uel fortuna eueniſſe putandum eſt, ut in primo de dyſpnœa, dixit Galenus, cui aſſentit Princeps ſecunda, fen. primi, & quarta primi, ubi ait neminem morbum curare, niſi ipſum cognouerit. Primum igitur adduxiſti morbum, quo pluribus iam elapſis diebus, menſibuſue adoleſcentulus tuus facile corripitur, & eſt ulcus, aliquas illius occupans particulas, pedes ſcilicet & manus, non longe tamen ab earum articulis. Nomen autem ulceris nondum ſpecie diſtinctum inueni, quod maximè obſeruari debet in medendi methodo, iuxta illud primo, de morbis curandis, capite primo & ſecundo, ubi ait. Quoniam igitur & nos iam docendi modum ingredimur, neceſſe alicubi rebus nomina imponamus, an uerò dilucide id uos extimetis licet. Et capite ſecundo ait. His ita diſtinctis inſpicienda diligenter eſt diuerſitas nominum, quæ ægritudinibus ipſorum primi autores impoſuerunt, dices autem tu, ut dixit Galenus. Subinde enim à læſa particula ſunt nomina indita. Vt pleuritis à pleura, & peripneumonia à pulmone, & coxendicum à coxa, ſic & adoleſcentis morbo nomen inditum ſit, ulcus pedis, & manus. Hoc certè uoluit Galenus, quoniam dixit ipſorum uerò morborum, quæ nec locum affectum nomine repræſentant, nec cauſa quæ eos effecit, perpauca ſunt nomina, inter quæ Galenus nominat ulcus, non enim ſpecialiori nomine debet ulcus à loco nominari, cum multa noſtri corporis loca ulcere corripi poſſunt. Quo autem, & quali ulcere corripiantur, nequaquam audiui, minuſque uidi, ac ſenſi. Sed iterum dices tu, cauſam attuli, quæ ulcus ipſum effecit ſcilicet ſuccum uitioſum

mordicantem,ac erodentem, prognatumque ex mixtura choleræ cum aquoſa pituita ob iecinoris caliditatem.

Certè ſcis,Doctor Excellens,quod multa in noſtris corporibus ulcera progigni poſſunt,quæ diuerſis nominibus à medicis indita ſunt.Et ſi ab eadem cauſa mordente,uitioſa, ac erodente,ſalſaque ortum habeant,ut Herpes,Herpeſeſtiomenus, ſecundum unum modum, & Ereſypelas, ſecundum aliquam ſui ſpeciem, & alia. Et hæc eſt Doctrina Galeni ſecundo, ad Glauconem, & ſecundo methodi, & decimo quarto methodi,& Auicennæ tertia quarti, tractatu primo. Igitur ex tuo relatu nomen morbi huius generale concipiam,hoc uidelicet ulcus, fugit autem impoſitionem à loco, quoniam ulcus uaria ſibi determinat loca,id tamen pedi hæret, & manui, & particulari nomine ulcus pedis dicatur, manuſque, & id cognita cauſa, beneficio artis noſtræ curabimus. Alterum quoque adoleſcentis morbum ſub nomine ethicæ nobis ſignificaſti, qui & ſi hunc primum poſuiſti illius morbum, mihi autem opportunius, cum poſui ſecundum, præſertim cum uiderim te præcedentis morbi exquiſitam ſcientiam habuiſſe, huius uero ſermone perplexo loquutum eſſe, opinor inquàm, Doctor Excellens, te à nobis ſcire uelle, an æger hic tuus in præſentiarum ethicus cenſeatur, an ne. Vbi non, an paratus ſit ad caſum in ethicam; an ne, & ſi paratus eſt, quibus præſidiis ſeruandus eſt, ne in Ethicam cadat, Si uerò actu Ethica laboret, quibus ingeniis curandus ſit, præſeruanduſque ne in phthiſim concidat. Quo fit, ut nos his ſatisfacientes, duplicem actum medicationis compleamus, ut ait, Galenus tertio, artis medicæ, ſcilicet actum præſeruationis à futuro, & curationis illius, quod inſtat. Nos autem Doctor Excellens pro illa,quam poſſimus debili noſtri ingenii facultate,honeſtæ tuæ petitioni morem in ſequentibus geremus &c.

Quod in capite tertio adſcripſiſti, uidelicet cauſarum morborum inuentionem, hoc dixit Galenus ſecundo, de facultatibus naturalibus, capite nono, ubi ait, cauſam mor bi cognoſcendam eſſe ab eo, qui ratione morbum curare uoluerit, ibi quoque oſtendit, quæ ſequuntur utilitates in curatione morbi ex cognitione cauſæ ipſius, & primo ar- tis curatiuæ, ad Glauconem, capite primo, induxit morbi cauſam cognoſcendam fore, quoniam effectus, & in eſſe, & in cognoſci à ſua pendet cauſa, ut ex Ariſtotel. habe- tur ſecundo naturalium, & ſecundo poſteriorum, & ſecun do aphoriſmorum, commento uigeſimo ſecundo, dixit Galenus, morbi curationem in abolitione cauſæ eius conſi ſtere. Igitur non profligabis morbum, niſi eius cauſam cognoueris, & idem dixit Princeps ſecunda primi, capite de cauſis. Dico igitur, quod cuiuslibet morbi materialis, cauſæ ſub tribus comprehenduntur generibus, ut uoluit Galenus in libro de cauſis pulſuum, capite primo. Vnum genus procatharticæ, uel præincipientis eſt cauſæ, aliud eſt præcedentis cauſæ, de quibus duobus cauſarum generibus ſermonem habes, à Galeno, in libro de cauſis morbo- rum, capite ſecundo, & tertio, de præſagitione in pulſi- bus, capite penultimo, & in libro de cauſis procatharti- cis, capite ſecundo. Tertium genus eſt cauſæ contentiuæ, de qua loquutus eſt Galenus ſeptimo aphoriſmorum, cõ- mento trigeſimo, & in libro de cauſis pulſuum, capite pri mo. Morbus igitur huius pueri à nobis iam factus pri- mus cauſam habet procatharticam, quam externam ideo nominat Galenus, quoniam extra corpus poſita, quicquã in corpore alterat, ueluti indebita uictus ratio eorum, quæ extrinſecus corpori contingunt, ut ea, quæ epar eſtuant, & bilem generant, quæ ſi opere naturæ errãtis aquoſo phleg mati commiſcebitur, ſalſa facilè progignetur pituita, quæ non gubernata à natura petet membra debiliora, ibi- que ſalſedine ſua mordicando, erodendoque in eis ulce-

ra

ra reponet. Et ſi ulcera illa eſſent ambulatiua, tantum dicetur ſimplex formica, quod nequaquàm affirmo, cum non ſit mihi relatum adhuc, ſi permeant ſolam cutim. Si uero non ſolum cutem permeant, ſed & carnem, quam corrodunt, & perforant, & cito uulnerant, ad oſſaque penetrant, & ea percutiunt mixtam dicemus, & manducantem formicam, prima enim a cholera ſimp. rub. cauſatur, Secunda uerò, à cholera phlegmati mixta, hanc ſententiam habes à Galeno decimo quarto, methodi ad finem, & ſecundo, ad Glauconem, & à principe fen. tertia quarti, tractatu primo capite ſexto. Si uerò hæc formicæ ulcera nolueris dicere, penſitare debes ſi ſunt de aliquo frigidorum affectuũ genere, & hoc non, quoniam eorum cauſam attuliſti, choleram ab æſtuãte iecinore prognatam ex admixtione eius cum aquoſo phlegmate, forte ſicut uidi in molli & humida temperatura, poteſt ſtruma adgenerari, cui ex temporis mora ſuperuenit ei putredo, & marceſcentia, & poſt ad exituram peruenit, & ulcus factum eſt, à quo ſanies exhibat uitioſa, & mordicatiua facta calida, & acuta, propter caliditatem à putredine ortam. Dixit enim Galenus in de ſanguinis miſſione, omnem putredinem addere caliditatem materiæ, & dum incipit merito putredinis calefieri, uidetur phlegmon oriri, & cum creſcit putredo, ſimul caliditas augetur, acuiturque, & ſtrumæ ſuperiorem cutem, & eius foliculum diſrumpit, & carnem, & os percutit, & dicitur tunc ſtruma ulcerata. Ambigo tamen ſuper hoc ut dicis, ulcera hæc digitos pedum, manum'ue corripere, quorum ſubſtantia non adeo mollis eſt, ut mereatur ſtrumis occupari, ut uoluit Galenus ad Glauconem, & princeps, tertia quarti. Loquar inde de cauſis præcedentibus ulcerũ puerum tuum corripientium, & dicam cum Galeno in libro de cauſis pulſuum, capite primo. Quod præcedens cauſa morbi huius eſt, quæ in humoribus corporis exiſtit, & ut ais tu, eſt plenitudo humoris calidi, & ſicci, facti quippe

ex

ex mixtione choleræ cum pituita aquoſa, ex qua oritur pituita ſalſa, quam in iſto patiente generat epar ex abundantia caliditatis ſuæ. Quo fit, ut plenitudo humoris ſalſi, & abundantia caliditatis epatis, ſint præcedentes cauſæ illorũ. Si trahamus morbum ad ulcus, & dicamus morbum illius eſſe ulcera ſalſa, ſi uerò uertamus ulcus ad ſymptomata, anceps ſum, quæ ſunt illorum ulcerum præcedentes cauſæ, neſcio enim an ſequantur phlegmonem, an ſtrumam, an formicam, quoniam & talia contingunt ulcerari, & quoniam in genere eorum ulcerum cauſæ præcedentes ſunt ſymbolæ, & ferè in unum coeuntes, ideo cum afferam eorum præſidia, in his rectum curationis modum non peruertam. Continentem autem morbi cauſam appello, quæ proximo iungitur affectui, illum in effectu conducentem, & ut clarius referam, eſt cauſa contentiua, quam neoterici dicunt coniunctam, qua mutata, mutatur affectus, & non mutata permanet affectus, auctore Galeno primo, de cauſis pulſuum capite primo, ubi ait, neque enim poteſt ulla continens cauſa mutari, ut conſtans maneat effectus eius. Igitur contentiua cauſa ulcerum pueri eſt humor ſalſus illis iunctus, illa in effectu efficiens. Sanè alterum attuliſti morbum, quo adoleſcens tuus, uel laborat, corripiturque, uel paratur in illum facile irruere, & hunc dixiſti ethicam febrem, quam nobis notificãs Galenus in libro de inæquali intemperie ait, cum omnes corporis ſolidæ particulæ ex calfactæ ad abſolutionem iam ſunt, eiuſmodi febrem ethicam Græci uocant, ut non amplius iam in humoribus & ſpiritu, ſed in corporibus iis, quæ habitus rationem comprehenſam habent, & idem dixit Galenus primo, de differentiis febrium, capite ſeptimo, & octauo. Et ſcio te non latere huius febris ethicæ tres eſſe ſpecies, ut ait Galenus decimo, methodi curatiuæ, capite undecimo, & primo de differentiis febrium, capite octauo, & nono. Prima quidem eſt, cum febris propriam partiũ humiditatem ex qua nutriuntur,

triuntur, depaſcit, & hoc clarius explicans Galenus primo de differentiis febrium ait, cum enim naturalis caloris cordis temperies primum euerti inceperit, neque natiua humiditas protinus aboletur, neque uirtus plurimum laborat, ſed primo fit, ueluti quædam efferueſcentia humiditatis, hæc eſt prima ethicæ febris ſpecies. Cum uerò depaſcit febris carnoſum genus, quod circa tum fibroſas, tum membranoſas partes ſolidorum corporū hæret, meritò hanc ſecundam ethicæ febris ſpeciem uocabimus, ſi uerò deinceps ipſas ſolidas partes depaſcit, hæc tertiam dices eſſe febris ethicæ ſpeciem, ab ea itaque tertia ſpecie cōnaſcitur diſpoſitio illa, quam omnino tabem dicimus, & hæc febris eſt, quam ethicam tabidam appellat Galenus primo de differentiis febrium capite octauo, quæ in decrepita ætate ſolet contingere. Sed etiam pueros uidimus inquit Galenus incidiſſe quamplurimos, opinor igitur cum Galeno triplicem eſſe febrem ethicam. Vnam ſcilicet quæ nondum exiſtit tabida, ut quæ eſt primæ ſpeciei. Secūdam uerò, quæ non omnino tabida exiſtit, & eſt ſecundæ ſpeciei febris ethicæ. Tertiam uerò, quam omnino tabidam pronuntiauimus, & eſt tertiæ ſpeciei ethicæ febris. Ex his igitur ſi adoleſcens iſte iam facta ægritudine, quam ethicam dixiſti, corripitur, uel eſt ethicus, nondum tamen tabidus, & idem erit in prima ſpecie febris ethicæ, uel eſt ethicus, non omnino tabidus, & ipſe erit tunc in ſecunda ſpecie ethicæ, uel eſt ethicus omnino tabidus, & erit tunc aggreſſus tertiam febris ethicæ ſpeciem, quam Galenus auctore Philippo ſenectam ex ægritudine appellauit, in quá non ſolum ſenes, ſed etiam pueri facilè cadere poſſunt. Igitur Doctor optimè, quoniam uidi te ipſum dubitare, an puer iſte iam ethicus factus ſit, opinor ego, ſi ethicus eſt, ſit primæ ſpeciei febris ethicæ ethicus, ob hoc, quoniá febris ethica primæ ſpeciei difficilioris eſt cognitiōis, quá curationis, ut ait Galenus primo de differentiis febrium,

capite

capite nono.& decimo,methodi,capite undecimo.ob quã rem huius febris ethicæ nondum tamen tabidæ, quam de prima ſpecie ethicæ diximus, cauſas perſcrutabimur, ſermone neceſſario.Super uerò cauſas aliarum febrium ethicarum tabidarum,obiter loquemur,ut ſi forte fortuna tẽpus curationem expoſtularet,uiam haberemus ad morbũ profligandum ex abolitione ſuarum cauſarum ut ait Galenus ſecundo aphoriſmorum,commento uigeſimo ſecundo.Dico igitur,quod ethica febris, quæ nõdum tabida exiſtit,à qua facile nunc temporis puer hic poſſet teneri, cauſas habebit procatharticas,uel præincipientes,ſi nulla præcedente ephemera, uel ardente febre, ab initio ortum habuerit.Sed dices tu Galenum contrarium aſſeruiſſe primo de differentiis febriũ,capite ſeptimo, ubi ait.Ethicæ febres nunquã ab initio inuadere conſueuerunt,dicam tibi id noluiſſe Galenum,ſed hoc,quod ubi ethicæ febres abſque cauſis procatharticis generantur, nũquàm ab initio inuadere conſueuerunt,quoniam neceſſe eſt,ubi non habuerint cauſas præincipientes,præcedere eas alia febrium genera,quo fit tunc, ut ethicæ febres non generentur à cauſis præincipientibus, ſed à cauſis præcedentibus ſolum ortum habeant, ob hoc rectè dixit Galenus, Ethicis febribus non eſſe inſeparabile eas oriri à cauſis procatharticis, quoniam & cætera febrium genera à talibus oriuntur, & ipſæ aliquando non oriuntur à cauſis præincipientibus, ut cum ſequuntur ardentes febres, Eſt tamen eis proprium, ut ait Galenus ex primo quidem proprii modo, à Porphirio dicto, quoniam ſoli febri Ethicæ accidit, eam à procatharticis tantum ab initio oriri, nullis uerò aliis generibus febrium accidit ſolum à procatharticis ab initio oriri, immo neque ephemeris. Non enim omnibus illis accidit ab initio oriri à ſolis cauſis procatharticis, cum aliqua incipiat à diſpoſitione corporea, ut dixit Auicenna, prima quarti, capite proprio.

Igitur cauſas ethicæ febris nondum tamen tabidæ exiſtentis ſic habeto. Aegrū incipientem febricitare interrogabis, ſi antequàm cœperit febricitare, nimium iratus, triſtatuſq; fuerit, uel ſi uehementi laborauerit exercitio, uel ſub irradiante, & nimium calido ſole peragratus fuerit, uel ipſe eduliis admodum calidis, atque potationibus nimium inflammantibus, & urentibus uſus fuerit, & ubi hæc eſſe uera inuenies, inde febrem conſiderabis ſi utique ad ſequentem diem extendatur, neque ad quietem, uel ad maiorem inualeſcentiam tranſierit, maioremque in huius pueri corpore, aliqualem ariditatem repræſentauerit, proculdubio dices ethica non tabida puerum correptum fore, & ſic facile poteris ſuſpicari ipſum ethicum eſſe primæ ſpeciei, quo fit, ut puerum iudices ethicū à ſolis cauſis procatharticis, uidelicet ab ira, triſtitiaque, uel à forti fame, & tollerantia ſitis clamoſæ, & ab aliis dictis, quoniam ab his in puero poteſt conduci quædam efferueſcentia humiditatis natiuæ, quæ ipſa non ex toto aboletur, ſed quædam in eo apparebit ſiccitas, non adhuc ex magna parte natiua humiditate abolita, & hæc talia in febre ethica primæ ſpeciei locum habent, ueluti cauſæ præcedentes ethicæ non omnino tabidæ, quæ eſt ethica ſecundæ ſpeciei, orta quidem à quadam conſumptione efferueſcentiam ſequente in longum iam protracta, à qua ſimilares partes, quæ ſunt ueluti cordis elementa ſicciores redduntur, & tenuiores, ex alimenti iamexſiccati inopia, & hæc cauſa facta contentiua cauſa ethicæ ſecundæ ſpeciei, & ſic eſt cauſa præcedens ethicæ tertiæ ſpeciei, quæ ethica omnino tabida iam dicta eſt, in qua in tantum efferueſcentia febrilis adcreſcit, ut membra ſolida depaſcat, & ad ultimum arefaciat, & hæc cauſa, cum iungitur effectui eſt contentiua ethicæ omnino tabidæ. Et hæc eſt Doctrina Galeni primo, de differentiis febrium, capite ſeptimo, octauo, & nono. Nempe cum uniuerſalis cauſa tenens omnem ſpeciem febris ethicæ in re-

ςta earum curatione dignoſcenda ſit, quæ eſt mala tempe ratura calida,& ſicca,ut ait Galenus, ideo ut huius capitis finem adipiſcar. Dicam, quod cura huius pueri, ſi ethica corripiatur, perficietur ex abolitione malæ temperaturæ calidæ & ſiccæ, ſiue ethica febris ortum habuerit à proca- tharticis cauſis, ſiue à præcedentibus aliis febribus, ſicut loquar in ſexto capite. &c.

Caput quartum ſigna morborum huius adoleſcentis declaratiua ſecundum quod enarratione habita ex tui do ςta informatione potui concipere,conabor inuenire, & di cam quod primus, quem à principio aſſumpſi morbus, uidelicet ulcus,duobus generibus ſignorum facile digno- ſcitur.Primum genus eſt,quod ſit ulcus,dignoſcitur enim ex ratione formali ulceris, quam habes à Galeno quarto, methodi capite primo, ubi ait.Vnum eſſe morborum ge- nus,ipſam quoque continuitatem ſolutam diximus, quæ in parte carnoſa facta ulcus dicitur.Et idem dixit Galenus quarto methodi, capite primo, & in libro de differentiis morborum,capite undecimo,& Princeps id aſſeruit quar ta quarti, tractatu tertio,capite primo ob hoc igitur dico, quod cum ulcus morbus quidam ſit.Signum quod mor- bus ſit ulcus eſt,ſoluta carnis continuitas,quæ facile digno ſcitur, apparetque, cum tunc ſit in propatulo carnem eſſe diuiſam,ac ſeparatam in partibus, quæ ſeparatio ſenſu ui- ſu,ac tactu percipitur. Secundum uero genus ſignorum ulceris eſt qualitatis,& quantitatis eius,qualitatis quippe, ut quod calidum ſit ulcus,cuius indicia ſunt,rubedo in eis apparens,& citrinitas, ſuperfluitatis acuties, mordicatio, & corroſio,abraſioque cutis,& carnis,& pruritus,& dolor & frigido delectatur,& hæc quoque ſignificant ſupra cau- ſam ulceris calidam, ut quod ſit cholera uel ſanguis, uel ſalſa pituita,ut iam dictum eſt,ſi uero frigidam ulcus tem peraturam poſſidebit, erit tunc in colore album, molle, cum pauco pruritu non mordicans,neque cutim, uel car-

nem corrodens,& calido delectatur, & iſtius erit cauſa pi- tuita,uel melancholia. Quod ſi in atram uertatur bilem, ex abundante iecinoris caliditate,ut contingit in ulcerato cancro, apparebit color citrinus,cum liuiditate, & ali- quali nigrore ſignificans ulcus illud in radice frigidum factum fuiſſe ex calore adurente calidum aliquantiſper, & hoc indicat eius ambulatio, & coroſio, ulcera uero quæ humida ſunt, uel ſignificantur per multitudinem uel paucitatem ſuperfluitatum à radice earum effluen- tium. Et Doctrinam hanc habes à Galeno primo,& quarto libro de compoſitione medicamentorum per ge- nera, & à Principe quarta quarti, tractatu tertio, capite primo. Quoniam igitur ulcerum ſigna huius adoleſcen- tis, ut ſcribis, indicant & cauſam calidam, & ulcera cali- da fore, Ideo & nos in profligatione eorum abolebimus cauſam,& malam eorum temperaturam, Et quoniam du bitaſti de altero morbo, uidelicet, an ethicus factus ſit, an paratus ad ethicam.Vtriuſque ſigna puto eſſe in propatu- lo Excellentiæ tuæ. De his autem dicam, non ut doceam, ſed ut ordinem mei ſermonis obſeruē,& ut ea melius no- bis ad memoriam reducantur. Igitur cum ethica primis diebus difficilè cognoſcatur, difficile quoque erit & nos in primis diebus indicia eius enarrare Sententiam hanc habeo à Galeno ſecundo,de criſibus capite decimo tertio, & tertio de præſagiis ex pulſibus capite quarto. Vt autem mihi ipſi ſatisfaciam, difficile quod eſt, facili quodam de- curſu diſtinguere conabor. Dico igitur, quod ab initio ſic cognoſcam febrem ethicam iam factam.Si qui eſſent inter ægrotos febricitantes, qui ſe negarent febricitare, eorum febris ipſo cordis corpore occupato,planè confirmata eſt, & facta habitus. Hoc habes à Galeno tertio, de præſagiis ex pulſibus capite tertio, quo fit, ut febris ethica non con tingat niſi læſo corde, auctore Galeno primo, de differen- tiis febrium, capite nono, ubi ait. Neque ullam omni-

no ethicam febrem efficere,prius,quàm cor patiatur,incipit autem ipſi cordi hæc paſſio,idem uoluit Galenus in libro de maraſmo capite ſeptimo. Vbi igitur talis febricitans dicens ſe non febricitare malam cordis intemperiem, atque illius affectionem ſæpe ſenſerit,iudicium tuũ certius efficietur, quod ſit ethicus firmatus, & ut magis res ad certitudinem ducatur ultra conſiderabis ſi ei contingat ſignum,quod omnibus febribus ethicis commune dixit eſſe Galenus primo,de differentiis febrium,capite nono,ubi ait,commune eſt utique omnibus febribus ethicis quod puſillæ, ac ſemper à principio uſque ad finem ſunt æquales, qualis autem ſit hæc æqualitas, narrat Galenus tertio, de præſagiis, ex pulſibus, capite tertio, ubi ait, nec inuaſionem ullam acceſſionis, nec incrementum, nec uigorem, nec remiſſionem habeant, & inde conſiderabis ſi cibum Adoleſcenti obtuleris, quo oblato quidem febris non longe accendatur, pulſuſque ad magnitudinem, & uelocitatem augeatur nullo facto horrore, neque extremarum partium ulla facta infrigidatione, neque rigore, neque typo, neque inæqualitate caliditatis uel pulſus, niſi quantum attinet oblato cibo, ſtatim cum præcedentibus dices, puerum teneri febre Ethica, & ubi ultra procedes in tactu corporis, in primo quippe tactu mitem caliditatem inuenies, in proceſſu uerò temporis acrem, & mordacem, offeretque ſe aridum manui, huiuſmodi febrem Ethicam eſſe exiſtimabis, dum tamen iis coeat pulſus non magnus, neque uehemens, ſed paruus, & tardus, & frequens, non magnus, quoniam uirtus eſt debilis,non uehemens, quoniam celeritas conſequitur putredinem humorum, quæ in febre ethica non exiſtit,ut talis eſt, ob quam rem, ſi magnitudo, uel celeritas in alicuius febricitantis pulſu reperiatur, illũ non teneri febre ethica cogitabis. Quod ſi febri ethicæ uideatur,& ita ſit pulſum magnum,& celerem iunctum eſſe

aliquando,

aliquando, dices hoc eſſe uel propter oblatum cibum, uel propter alium affectum febri ethicæ copulatum, & plurimum hoc indicat ethicæ febri iunctam eſſe putridam, dixi & frequens, quoniam uirtus debilis non poteſt accelerare motum, ſed ut ſuppleat neceſsitati euētationis tempus quietis abbreuiat, & hanc Doctrinam uidi ex Galeno in libro tertio, de præſagiis ex pulſibus, non dixi & durus, quoniam uertitur in dubium propter dictum Galeni primo, de differentiis febrium, capite nono, ubi ait, quoniam ſine ſiccitate ſæpius ethicæ febres conſiſtunt, cum non tranſmutantur ad tabem, ubi uerò ethica febris ad tabem conuerſa eſſet, nihil à medicis expectabis, quoniam ad hoc non fui uocatus. Igitur de ſignis ethicæ febris non omnino tabidæ, uel omnino tabidæ, cum nondum, ut ais, ſub iudice lis ſit, nullum ſermonem faciam, ſed mittam te ad Galenum in libris de tabe, de præſagiis ex pulſibus, de differentiis febrium, & quinto, & decimo, methodi, & aliis in locis expectando nuncium de litis conteſtatione, quod Deus auertat.

Vbi uerò adoleſcens iſte non laboraret in effectu ethica febre, ſed paratus eſſet in eam cadere, huiuſmodi paratus indicia habes à Galeno ſecundo, de morbis, & ſymptomatibus, capite ſexto, & quinto aphoriſmorum, commento nono, ubi ait. Vicini autem huic paſsioni ſunt, quotquot ſunt tortorum crurum, & longitudo colli iis ineſt, & pectus tenue. Et dixit princeps decima tertii, & iſti ſunt habentes humeros eleuatos, ac ſi haberent alas, & guttura eorum eminent ad extra, & ubi hos reperies habentes cerebrum debile à membris inferioribus ſuperfluitates recipiens, & eius humores fuerint acuti, & cholerici, uel ſalſi, ſtatim hos ad ethicam paratos pronuntiabis. Nempe ſi huius adoleſcentis librum generationis perlegeris, ſcrutatuſque fueris eius prolem, ſi non in omnibus ſed in multis hanc malam affectionem locum obtinuiſſe, propter quam

nedum

nedum in tabem, uerum & in necem eos cecidiſſe reperies, fiat tunc iudicium tuum certius, puerum iſtum proculdubio ad tabem paratum fore, quam tabem natiuam uocamus, auctore Hippocrate in tertio de morbis uulgaribus, & Galeno ibi in commentario ſecundo.

Aggrediar nunc Doctor Excellens caput quintum, de prognoſticatione termini adoleſcentis ægroti, uel parati ad morbos, ut commodiorem uiam habeamus ad ipſos morbos præcauendos, uel profligandos, dixit enim Galenus primo de ratione uictus acutorum commento tertio Prædictiones magna afferre commoda in morborum curationibus. Nolo autem te opinari prognoſticationem meam talem eſſe, qualem Diuinatores promittunt, hoc enim ridiculum eſt, ut ait Galenus in libro de conſtitutione artis medicatiuæ, capite decimo octauo, ſpero tamen quod ubi morbus in habitum non tranſierit, me ipſo laborantem curante, cui peccatum non contribuatur, meæ Prognoſticationes rectè ſuccedent. Quod ſi æger firmum, & in habitu iam habuerit, morbum, indebitoque rationis uictu utatur, ut cogar de malo prognoſticari illius termino, proculdubio reddar inculpabilis de ægrotantis morte ut ait Galenus loco ut ſupra, capite decimo ſexto. Sed dices tu, quomodo prognoſticaberis de termino morbi huius pueri, cum nondum uidiſti, neque morbum cognouiſti, minimeque illius pulſum tetigiſti, aliter enim prognoſticari quis non ualet, auctore Galeno ſecundo prædictionum libro, commento ſexto, ubi ait, ſummatim autem dico, omnem prognoſticationem ſuper uiuentem, morituriumque fieri non poſſe, niſi facta comparatione inter uigentiam morbi, & uirtutem ægroti. Huic dico, quod non admirari debes, ſi omnes ferè prognoſticationes, quas afferam de morte, uel ſalute huius adoleſcentis, ſub conditione adducentur, ſicut uoluit Galenus ex primo, de diebus decretoriis, capite undecimo, ita fieri debere. Igitur

prius

prius prognoſticabor de apparentibus ulceribus in puero, & dico quod indicio ſumpto ab ætate ulcera in eo ſunt facile ſanabilia. Quoniam ulcera in ſenibus difficulter ſanantur, ut ait Galenus tertio aphoriſmorum, commento trigeſimo primo, igitur in pueris facilè ſanantur, conſequentia eſt, per locum à contrariis. Item à temperatura ætatis, quoniam ætas pueri calida eſt, & humida à qua facile caro progignitur, ut in ſecundo de temperaturis dixit Galenus, ob quod & in ea facile ulcerá ſanabuntur. Item à cute pueri. Ob enim ætatem, quæ calido abundat, rariorem cutim habent pueri, quo fit, ut melius ulcera à ſuperfluitatibus euacuentur, & ob hoc facilius curentur, & huius oppoſitum ſenibus contingit, ut ait Galenus tertio aphoriſmorum, commento trigeſimo primo. Sanè deſideraui ſcire modum ſubſtantiæ exeuntis ab ulceribus pueri, Quod ſi exiens tale ideſt pus, tenuem habuerit ſubſtantiā, uirus nominatur, ſi uerò craſſam, ſordities dicetur, ut quarta quarti, dixit Auicenna. Et ex hac cognitione modus curationis ulcerum redditur diuerſus. Item prænuntio ulcera pueri longo tempore durare, uel quia medici in curatione fuerunt delinquentes, ut ais, uel quoniam cicatrix longo tempore aduenit. Quod ſi facta fuerit, & iterum ſoluitur, cauſas adduxit Galenus ſexto aphoriſmorum, commento uigeſimo quinto, uel propter influxum uitioſorū humorum, uel ob aliquam paſſionem oſſis in eo loco corrupti, & quoniam hæc omnia in puero, ut ais, apparent, certè illius ulcera non niſi difficile ſanari poterunt. Item dico, ulcera hæc, & ſi difficile ſanantur, non omnino tamen ſunt inſanabilia, quoniam pus adgenerant. Dixit enim Galenus quinto aphoriſmorum, commento uigeſimo ſecundo, prodeſſe, & ſuppurare in ulceribus in unum coeūt, maximum enim eſt ulceris ſignum ad ſecuritatem, & pus, & medicamen, quod habet id faciendi facultatem. Item dico, quod ſi ulcera hæc cutem ambulent, carnemq́;

cauant,

cauant,uel uitio influentis humoris os percutiant,procul-dubio eorum curatio,& longa,& difficilis ſuccedet.&c.

De ethica febre huius pueri non relinquam prædictiones,& dico primo,quod ſi ipſe non ſit, ſed ex generatione paratus ſit ad ethicam, facile in ethicam irruere poterit, quoniam quæ à generatione ſunt ueluti habitus facta ſunt,qui magna cum difficultate moueri poſſunt. Cum igitur in puero hæc aptitudo à natura facta ſit, ueluti habitus ei inerit, quo fit, ut eo facile ethicam incurrat, dico ſecundo quod hanc natiuam aptitudinem medicus beneficio artis ſuæ amouere nequibit, uel magna cum difficultate, quoniam ipſa à primis ſpermatibus ortum habuit, à quibus & totum corpus, & eius omnia membra, & præſertim principalia prognata ſunt, poterit tamen medicus ſuis præſidiis naturæ blandiri, obuiando malis diſpoſitionibus, & etiam à natura promotis, ut æger in ipſis conſeruetur, uel defenſetur, ne celerius in ethicam concidat. Dico tertio, quod ſi puer ex habitudine illa natiua in ethicam non tabidam, uel primæ ſpeciei ceciderit, debet eius cura demandari medico Docto, & experto, qualis es tu Doctor Excellens, quoniam cognitionis difficilis eſt, & curationis facilis, ut primo de differentiis febrium, capite octauo, & nono. Dixit Galenus, ex inſcitia enim medicorum ethica non tabida facile fieri poterit ethica tabida.

Dico quarto, quod ſi ethicus puer non tabidus, efficiatur ethicus tabidus non omnino: facile medicus ipſum dignoſcet, eundem uerò difficile curabit. Vbi uerò ethicus omnino tabidus fiat,facillime eum medicus cognoſcet, nequaquàm autem ipſum curare poterit. Sententia hæc eſt Galeni primo, de differentiis febrium,& tertio, de præſagiis ex pulſibus,& decimo methodi curatiuæ,ubi ait.Ethica ubi ſolidas occupabit partes,homo non perſanabitur,ſed ipſa febris omnino, uel ſtatim eum iugulabit,&

dixit octauo, methodi capite decimo. Ethica ubi in maraſmum abierit, non tentanda quidem eſt eius curatio. Hortor igitur medicos, qui adoleſcentulum hunc curare debent, ſi ethica febre non tabida corripiatur, omni utatur diligentia, ac ſollicitudine, ut optimis præſidiis ei oppugnent, antequàm ipſe in tabem peruenerit, & in maraſmum. Quoniam curatio inde uana, & caſſa erit. Ob quam rem iterum hortor puerum hunc demandari optimo medico, ne ex eius inſcitia error aliquis ipſi contingat. Dixit enim Galenus octauo methodi, capite undecimo. Ethicæ curationem nullum errorem, ne minimum quidem admittere. Sanè non extendam ſermonem meum nunc ad ulteriora tabis indicia. Et Deus Glorioſus nolit, ut in puero iſto nequaquàm ualeam prognoſticari de termino tabis ad ſalutem, uel ad mortem, præter ea, quæ obiter à me recenſita iam fuere.

Sextum aggrediar caput, quod profligandi morbum rationem habet. Primo autem ſordida ulcera, quæ uitioſis humoribus affecta, facta ſunt caua, cum oſſis corruptione, atque eius partium ſeparatione, cogar corrigere, curareq́; & dico cum Galeno quarto methodi curatiuæ, capi. quinto, quod uel ad particulam, cui ulcus inſedit, uitioſus humor non amplius fluit, aut etiam fluit. Si etiam ad ulcera pueri uitioſus ſuccus fluit, malum quippe fluentem humorem dignoſcere oportet. Vbi ſanguis ſit qui fluit, euacuare redundantem ſanguinem tunc conuenit, ut ait, Galenus, capite ſexto, de curatione per ſanguinis miſſionem. Si morbus magnus erit, & uirium robur, & ætas florida, fugit autem intentio hæc miſſionis ſanguinis à puero, iuxta illud Galeni. Exceptis tamen ab hoc ſermone pueris. Sanè quoniam cucurbitularum appoſitio cute quidem conciſa, uicem gerit miſſioni ſanguinis inciſa uena, ut in libro de ſanguinis miſſione dixit. Ipſo iure conſulerem cucurbitulas apponendas fore natibus & ſcapulis cute quippe inci-

ſa pueri,iuxta illud Galeni,capite quarto tertii,de locis affectis, ubi ait. Cucurbitulæ enim attrahunt ad ſeſe humorem ex immo, id quod aridæ diſpoſitioni utile cenſetur, ſolum caloris excitandi gratia, & ſic fluentis ſanguinis in puero reuulſio fiet,quam iuſſit Galenus quarto methodi. Non quippe fiet per uenæ ſectionem, quæ puero contumax eſt timore futuræ ethicæ maxime. Vbi uerò certificarer ſanguinem ad ulcera illa fluere, unà cum abundante alio ſucco uitioſo,adhuc fluente, reuulſionis cauſa in puero auderem admouere gratia etiam cuiuſdam deriuationis duo cauteria ſecundum particulas affectas, ut ſi ulcus manum dextram poſſidet, in brachio dextro infra iuncturam ſpatulæ per quattuor digitos cauterium adiungerem & idem in manu ſiniſtra. Si uerò ulcus in altero fuerit pede, ut in dextro, cauterium admouerem in crure illo ſub genu in parte ſylueſtri, ſpatio digitorum quattuor.Simili quidem modo,ſi ulcus pedem ſiniſtrum obtineret,in ſiniſtro crure id, & eodem loco admouerem, & diu tenerem uſtiones illas apertas, ipſis enim priuatione influxus ſanabuntur ulcera,& una ſimul ſecurus erit puer à timore futuri lapſus & ad ethicam ſcilicet, & tabem,ait enim Albucaſis,& Galenus ſexto Epidemiarum, quod ad ea foramina confluunt & excernuntur omnes totius corporis praui ſucci. Vnum tamen annotatione dignum puto, quod dixit Galenus, in libro de cucurbitula, & ſcarificatione, quod omnia hæc quæ dixi præſidia non protinus ſunt admouēda,niſi corpore euacuato,propter pericula,quæ poſſent ægro contingere,dicta à Galeno,in primo aphoriſmorum, commento uigeſimo ſecundo, & in libro quos euacuare oportet,& à Principe quarta primi. Vbi igitur ad ulcera hæc ſanguis fluat,cuius natura uitietur altero malo ſucco, uel alius malus humor ad partes illas fluat, in his ulcera progignens.cuius certitudinem non habeo, niſi ſicut ais tu Doctor optime.Quod prauus ille humor ad ul-

ceroſa loca fluens,eſt phlegma ſalſum ſolum,uel abundantius ſanguini mixtum,non præceptum do, ſed conſilium ſuper hoc trado,ut primo concoquatur materia cum ſyrupo de lupulis,uel de fumo terræ,uel roſato, uel cum ſyrupo, de uiolis,uel de ſucco plātaginis,uel de endiuia, & ubi pueri uirtus calida eſſet, & membra forent ſatis robuſta, darem ſyrupum de pomis compoſitum, in quo ingreditur uirtus ellebori,cum conſimilibus aquis,ut ſyruporum uirtutes calidiores fiant. Materiam quippe digeſtam purgarem,uel cum caſſia & reubarbaro,uel cum diaſene lenitiuo & confectione hamec,uel cum electuario de ſucco roſarum, uel cum pillulis aggregatiuis, in quibus ingrediatur aliquid ellebori præparati, uel cum pillulis de fumo terræ,uel aureis,uel cum agarico in omni adminiſtratione cum infuſione ſenæ & fumi terræ,& lupulorum,& boraginis,cum qua expreſſione facta quid de reubarbaro, uel de ſucco roſarum, uel confectionis hamech,apponerem, uel cum manna diſſoluta cum prædicta infuſione, non una uice tantum,ſed pluries, & non mireris Doctor Excellens ſi medicinarum menſuras non expedierim, hoc enim non tribuas inſcitiæ meæ, quoniam & corporis ægrotantis, & ſuorum membrorum præſertim principalium facultates nondum exactè cognoui, nempe neque figuram, neque quantitatem, neque uictus rationem, neque aſſuetudinem medicinarum aſſumptionis uel inaſſuetudinem, neque ſi cutim denſiorem habet, uel rariorem, & huiuſcemodi, quorum prouentus nedùm uariat menſuram quantitatis medicinæ, uerum & ipſam medicinam, auctore Galeno, in libro de Tuenda ſanitate, & in libro quos euacuare oportet,& aliis in locis, & Auicenna quarta primi.

Porrò euacuato corpore ægroti pueri ad ea peruenie- mus,quæ operi manuum ſubmittuntur,ut de urendis particulis,& cucurbitularum appoſitionibus dicta ſunt obſer

uato ſemper præcepto Galeni, quarto methodi, & ſecundo artis curatiuæ ad Glauconem,ubi ait,quod inſtante fluxione, reuellere ad contrarium conuenit,ſiue per ſanguinis miſsionem, ſiue per purgationem reuulſio fiat,& idē dixit Galenus in libro de reuulſione, ob hoc igitur dixit Galenus in locis adductis,ſi fluxio ualenter irruat,reuellere ad contraria ſtudebis,utique ſi in ſuperioribus ulcus cō ſiſtat, per inferna euacuabis, uel ſanguinis miſsione, ſiue medicamento reuellere uolueris. Vbi uerò in inferioribus ulcus fuerit,ſuperiorem uentrem euacuabis,ſi quidem ſola purgatio conueniat, & non uenæ ſectio, ut in caſu noſtro. Cum ſermo phlebotomiæ excipiatur in pueris, ut dixit Galenus, quarto methodi, ſanè quod in puero hanc complet mixtionem ubi opus fuerit utriuſque reuulſionis,tum ad inferna,tum ad ſuperna,eodem medicamento uti conuenit, in quo ſæpe expertus ſum, & eſt ut ſemel in ſpatio dierum ſeptem cum uult cubare ingurgitet ſequentem bolum, Recip. floris caſsiæ recenter tractæ. drach. VI. agarici præparati drach.med.ex his fiat bolus.Vbi uerò ulcus in puero iam inueteratum ſit,& expedit ab eo ſanguinem effluere,& non effluxit,ita ut humor ad ſeipſum iam fluxus ſit ſanguis uitioſus, dixit Galenus, ut ſanguis ab ulcere crebro fluat, efficere prodeſt, utcunque opportunum uidebitur, tum ab ipſis ulceribus, tum à circumpoſitis ulceri partibus. Ingenium autem iſtud relinquo chyrurgico experto, demum uerò mundato & abſterſo ulcere cum panno lineo, crediderim ſtatim ulcus medicandum fore cum mundificatiuo de appii ſucco, & æquali parte diaponpholigonis Galeni cum parte media mellis deſpumati, & hoc etiam ualet ubi phlegma ſalſum ſolum ad ulcerata membra conflueret, & iam confluxum foret, crediderim tamen huic pituitæ ſalſæ aliquid ſanguinis permiſceri, propter illud, quod ais de apparentia inflammationis ulceri ſuperuenictis,quæ inflammatio rurſus diſcu-

titur,

titur,& iterum ulcus progignitur,& pus excernitur,& ob hanc rem præter curationem,quæ fit euacuatione ſanguinis ab ulcere,opinor ſecundum ingenium maxime ulceri conferre,quod eſt deriuatio,ut dixit Galenus ut ſupra, his uerbis.Tum à circumpoſitis ulceri partibus,illa enim euacuatio,quæ fit à uicinis ulceri partibus deriuatio dicitur à Galeno. Conſulo igitur,ut circa ulcus in partibus circumpoſitis ulceri admoueantur hyrudines, quibus deriuabitur materia ad propinquiores partes ulceri, & natura minùs occupata reddetur potentior ad corrigendum ulcus, quæ adiuta ab opere medici,facilius ipſum curabit. Qua de re facta deriuatione crediderim ſi ulcus cum caliditate fuerit,quod ſuffuſio ulceris cum aqua roſata & aceto plurimum proderit mane,ueſperique. Deinde iuuamentum præſtabit ulceri, ſi illi poſt ſuffuſionem dictam apponantur fila ebulita in aqua decoctionis aluminis,miram enim operationem in ulceribus exſiccando operabuntur, & ei ulceri quandoque apponatur litargirium argenti nutritum cum oleo roſato,& aceto optime enim exſiccat,& cicatricem facit,ſi uerò adfuerit ulceri frigiditas,ſuper ulcus infundatur aqua decoctionis uirgæ paſtoris, cum æquali quantitate uini ſtiptici, & modica aluminis portiuncula, deinde apponatur unguentum factum ex melle, & ſucco apii,& urina pueri, quæ omnia in mortario bene ducãtur donec fiat unguentum. Nempe relinquo tibi Doctor Excellens uictus rationem,intentione habita ad totius adoleſcentis temperaturam,& ad naturam ſuorum ulcerum,iuxta Dominium humorum uel influentium ad ulcera, uel eis affixorum, quæ omnia ſunt Excellentiæ tuæ in propatulo.Et aggrediar alterius curationem morbi, ſiue iam factus ſit,ſiue paratus fieri,eodem enim ſcopo utramque diſpoſitionem, & illam ſcilicet quam dicis præparationem ad ethicam,& alteram,quæ eſt ethica,non tamen tabida facta.Nempe eadem præſidia, quæ ethicam non tabidam cu

rabunt,

rabunt,paratum ad eam præſeruabunt,ne in eam cadat, & ſic eodem ſcopo duplicem actum exercitabo præſeruatiuum ſcilicet,& curatiuum,quem modo à nobis petiiſti.Sanè generalem regulam in utriuſque lapſus correctione dicam,& eſt Galeni decimo, methodi capite ſeptimo,ubi ait cum igitur,ut diximus, citra putredinem ſqualenti corpori febricitare contigerit, caput totius curationis in his remediis, quæ refrigerent, & humectent, ſtatuere oportet, hoc autem contingit fieri duobus modis, uel per quæ foris admouentur, uel quæ intro in corpus ſumuntur, ſiue igitur Adoleſcens tuus paratus ſit,& non dum ethicus ſit: ſiuè ethicus, & nondum factus tabidus. Si ei hæc in genere duo admouentur,quæ humectandi refrigerandiq; uim obtinent, proculdubio ea eidem præſtantia erũt præſidia, ut dixit Galenus,& ratio eſt, quoniam ethica febris eſt mala intemperies calida, & ſicca, ut primo de differentiis febrium dixit Galenus,cuius curatio eſt per humidam,& frigidam temperaturam,eſt enim curationis ratio contrarietas,ſecundo aphoriſmorum, commento uigeſimo ſecundo, & nono, methodi capite decimo quinto. Ea namque quæ foris corpori incidunt,ſunt, aer qui nos ambit, & in prima intentione noſtri in utroque actu præſeruationis, ſcilicet, & curationis uenit aer, cum ab eo maxime noſtra corpora alterentur, ut ait Galenus tertio, artis medicæ,deinde pharmaca, quæ humectandi uim habent. Tertium aquæ dulcis balneum.Quæ uerò intro aſſumuntur in corpus ſunt,quæ eduntur,& bibuntur, & inſpiratus aër, non intelligo autem,quæ eduntur,& bibuntur pharmaca, quæ facultatem ſoluendi humores obtinent. Quoniam ethica febris non humores, ſed membra efferueſcere facit, ut ait Galenus primo de differentiis febrium.

Igitur ab ambiente aere initium ſumam, & dicam, quod cum in ethicis primum quod offenditur eſt cor á ſuperfluo calido affectum, ut ait Galenus decimo, methodi

capite

capite ſeptimo,& primo de differentiis febrium,capite o-ctauo, & nono, & in libro de maraſmo, capite ſeptimo, quod inſpiratus aer frigidus, & humidus magis commodus eſt cordi, in ethicis, quam aer frigidus, qui exterius ethicum contangit, licet & inſpiratus aer, & qui exterius ethico adhibetur frigidus & humidus, condonandus ſit. Diſpone igitur ethicum puerum, uel paratum ad ethicã, in aere frigido,& humido,propter ethicam febrem intemperantiam eſſe calidam,& ſiccam,ſit autem aer, quem puero ſtatues magis ad humiditatem decliuis, quàm ad nimiam frigiditatem. Quoniam refrigeratio, quæ per efficaciſsimam frigiditatem inducitur, & ſi parui temporis ſit, periculoſa tamen eſt,curatio uerò ſiccitatis per ea, quæ humectant,& ſi longi temporis ſit, minus tamen, quàm refrigeratio periculo expoſita eſt,ut ait Galenus decimo, methodi capite ſeptimo. Vbi igitur aer, in quo hic patiens manſionem ſuam habet,admodum calidus eſt,contrarius inducendus eſt arte noſtra. Eligat igitur ſibi domum, uel partem eius abundantioris frigiditatis,& humiditatis, ut & ſolis uigentia eam partem quam inhabitat minus offendat, ſint itaque eius manſiones ad ſeptentrionem uerſæ,& aure perflatæ, quæ ipſis ethicis ſunt propriè, quod ſi hæc natura tales non adfuerint,arte noſtra parentur. Sint igitur eius domus,in quibus multi aquarum fontes ſe deiiciant,uel in eis ſit aqua frigida de uaſis in uaſa transfuſa. Hoc enim ſomniferum eſt, quod ethico præſidium affert magnum,tantum enim humectat ſomnus,quantum uigilia exſiccat, ex tertio artis medicæ. Itaque tentandum eſt calidiſsimum aerem refrigerare,qui in æſtate calida & ſicca accidit,aſpergatur igitur tunc domus eius aſsiduè aqua quæ prorſus frigida ſit, ſiue actu, ſiue poteſtate, roſiſque humi fuſis,& uitium capreolis,& ut ait Galenus,ruborum ſummitatibus,ac ramis lentiſci,& reliquis,quæ refrigerãt, humectantque,uti ſunt uiolæ,& eorum aqua, & folia can-

narum

narum,ac lactuca,& ſimilia, nempe dixit Galenus decimo methodi,ubi aer modicè frigidus fuerit, eo uti debet ethicus non tabidus,tum ipſum inſpirando, tum cutim exterius contingendo,ſua enim moderata frigiditate non utique adeo cutim denſat, quin etiam qualitas ad cor penetret,& id ſupercalefactum infrigidet,& ideo dixit Galenus te oportere contentum eſſe, ſi ethico condonabis aerem modicè frigidum,neque enim machinari debes ſupra alterationem temperantiæ eius. Vbi uero aer frigidisſimus fuerit,ethico ſolum inſpiratus peridoneus eſt,quoniam & ipſius qualitas,ac ſubſtantia facile ad cor peruenit. Idem uerò contingens corpus, uel nullius eſt ethico utilitatis, uel eidem admodum contumax eſt,primum quia fieri nequit,ut ab eo aere cuti denſata,eius qualitas,uel ſubſtantia ad cor penetrare posſit ex prohibita tranſpiratione, Quo fit,ut ethico ſuperaccendatur putrida febris, & tunc citiori periculo exponitur ethicus,ut primo, de differentiis febrium dixit Galenus.Sed dices tu,igitur non poterit ethicus frigidisſimo aeri exterius corpus tangenti exponi,quo fit,ut neque commodum ullum recipiat,ex inſpirato aere frigidisſimo, huic Dixit Galenus quod aer nimium frigidus denſando cutim ſibi uiam percludit,ut non posſit cõmodum cordi calefacto afferre, ſed incommodum ſuper accendendo putridam febrem,facile inducere poteſt,exponatur igitur ethicus aeri nimium frigido, qui ab eo inſpiratus magnum affert commodum, exterius uerò contangens certè incommodum progignit, ſed maius commodum illud eſt, quod fit ex frigida inſpiratione quàm ſit incommodum illud,quod fit ex cute dẽſata, quoniam illud incommodum poſſumus prohibere ex operimentis, quibus cutis facile calefieri poterit,uel reduci ad modicam frigiditatem, utilitatem cordi afferentem, & ſi minus, quàm inſpiratus faciat aer, Quæ autem aeri annectuntur,conuenientia ethico,uel ad ethicam parato,ſunt,

ut ſæpe camphoram odoret, & ſandalos, roſaſque ac uio- las, & ſimilia, quæ frigida, & humida temperatura ueſtiun tur, ſæpiuſque irroretur eius facies aqua roſata, & uiolacea, & quæ ex ſublimatione nympheæ, & portulacæ fit, ſatis ip ſi idonea eſt, & manibus patiens ethicam teneat ſequens pomum, & id leui fričtione commotum naribus frequen tius apponat. Recip. ſem. lačtucæ, & portulacæ, & plantagi nis, & papaueris albi, & hyoſrami albi, ana drach. ii. ſanda- lorum omnium roſarum rubearum, radicum mandrago- ræ, uiolarum, ana drach. ii. & med. camphoræ, drach. i. & med. florum nympheæ, drach. i. puluerizentur pulueri- zanda, & contundantur contundenda, & cum mucilagine pſilii, ad unum ducantur corpus manibus ferendum. Ab his autem, quæ nimium calefaciunt, cooperimentis caue- re debet, ut à ueſtibus præſertim, & lečto excitata ab utro- que caliditate adaugetur in ethico gradus ſiccitatis ei ad- modum contumax, fugiat igitur lečtum, culcitraſque plu- maceas, eius autem lečtus ſit de mataliciis frigidis ex coto uel lana in medio conditis, ſuperaſperſis etiam lintheami nibus pulueribus, qui pomum ſupra iam condiderunt, mutetque frequenter lečtum, & ueſtes, & lintheamina, & camiſias, quas lotas in aqua nympheæ & roſata, uiolataq;, & exſiccatas ſuffitu camphoræ, & roſarum alterabis. Ob quam rem non uitupero, quod poſtquàm eius camiſiæ fa čtæ fuerint albæ, iterum diluantur in aqua decočtionis flo rum nenufaris, & uiolarum, & foliorum maluæ, ſaliciſque & colatura fačta, ſuperadde camphoram, & iterum exſic- centur, & uſui ſeruentur quotidiano. Quæ autem Adole- ſcenti edulia idonea ſunt à nobis nunc dicantur, cum eo- rum uičtus ratio ad utrunque ačtum curationis ſcilicet, & præſeruationis multum expediat, & dicam prius generale præceptum galeni decimo methodi, capite undecimo, ubi ait. Sanè humidum eſſe, ac frigidum alimētum, quod ethi- cis febribus ſit condučtum nemo neſcit. Eiuſcemodi enim

ſunt,

ſunt, ptiſanæ cremor cum frigidus ſumitur. Non laudo alicam conditam, ut Galenus dixit, quoniam in eius condimento ingreditur aliquid porri, conditurque, & anetho, ſaleque, & oleo, & aceto, quæ omnia noſtris temporibus ſatis contumacia ſunt ethicis, ut nos docuit experientia. Cremorem uerò ptiſanæ frigidum potatum laudo quoniam & ſi frigidum potatum ſit, ultra quod in uentriculo non multam trahit moram, ipſum non infrigidat, ſed calefacit, & per corpus digeritur, in eoque operatur ſua frigiditate, atque humiditate poteſtatiua adiuncta tamen à frigiditate actuali, cum qua cremor talis potatus fuit, quæcunque uerò edulia longiorem in uentriculo trahent moram, puram frigiditatem obtinere non ualent, ipſum enim fortasſis refrigerant, & eorum concoctio in uentriculo, & toto corpore impeditur. Hortor igitur, ut quæ edulia ethico condonantur, niſi potiones fuerint, pauco quodam incaleſcant calore, & hæc doctrina eſt Galeni decimo methodi capite undecimo, ob quam rem cibus conueniens adoleſcenti tuo, unus talis eſt, pullam elixatam cũ lactucis & portulacis, & cum cucurbitæ portiunculis niſi tempus obſtet, quod ſi ſic cum pulla ſemina maiora frigida coquantur, & talem comedat carnem, cum herbis, & cucurbita, & aliis quæcunque alterabunt ius pullæ ad frigidum & humidum, fercula quoque ex quocunque ſibi conuenienti fuerint, cum iam iure dicto parentur nullo addito ſale, uel paucisſimo, ſic & paratu eodem conuenientes illi carnes præparabis, quoniam his complebuntur intentiones curationis ethici, uidelicet abolitionis conſumptionis, & alterationis ad frigidum, & humidum, item ethicæ conueniens eſt, ſi comedant madefactum, & bene dilutum panem in aqua frigida, ut dixit Galenus, ubi etiam panis ipſe modico uino aquoſo fuerit ſuperaſperſus idoneus ē, tale enim uinum infrigidat, & humectat, quoniam in omnibus diſpoſitionibus asſimilatur aquæ, ut ait Galenus ter

tio de ratione uictus acutorum, commento primo, & ſeptimo,& in libro de antidotis, Tale namque uinum ethicis non denegarem ad Galeni ſcopum. Vinum autem uinoſum,& potens,craſſumque & rubeum,nigrum'ue ipſis denegarem : quoniam nedum calefacit,uerum & exſiccat,ut ait Galenus locis dictis,& quinto aphoriſmorum,commẽto quinto, eorum igitur potus peridoneus eſt aqua hordei,ſi uirium uigor adfuerit. Vbi uero uirtus adeo imbecillis eſt,& corpus ſatis conſumptum, tribuerem eis uinũ non aliud,quàm aquoſum, quod ſi tale apud nos non inueniretur,tunc eis darem uinum tenue album, bene aquã mixtum. Vbi uerò maior roboris imbecillitas, quàm exigat uigentia febris ethicæ adeſſet, eis contribuere uinum mediocris facultatis,mediocriſque coloris auderem ſolius maioris nutritionis gratia,cibaria quoque alia,quæ ſui natura infrigidantia ſunt, & humectantia huic adoleſcenti ſunt optima,& in ſui communi eſu parentur cum papaueris modico ſucco uel ſeminum quattuor communium frigidorum emulſionibus, uel amigdalarum lacte, uti ſunt. Cancri fluuiales,& limaciæ, & teſtudines nemorales, neq; aſperno teſtudines in aquis degentes. Laudo quoque paruos piſces ſquamoſos,petroſoſque,de torrente, uel libero mari,ei enim piſces in cænoſis aquis, & paludibus & non fluentibus,ſed ſtantibus admodum ſunt contumaces,quocunque paratus genere condiantur,quæcunque uerò edulia ei conuenientia ſunt, conuenientiora quippe erunt, ſi cum lacte tum uaccino,tum caprino, uel ouino parentur, quod ſi fuerint cibaria illa, piſcés, uel alia quæcunque in ſua ſubſtantia uiſcitudinem obtinentia,cum fœniculo,uel petroſilino lacte iunctis condiantur,& ſi etiam forent carnes,quas ei peridoneas eſſe in genere diximus, ut carnes pullorum,gallinarum, caponum, faſianorum, perdicum, uituli lactantis,hædi,agni,cuniculi iuuenis. Hæ enim carnes ſi lacte parentur,& cum eo coquantur edulia erunt cõ

uenientia, infrigidat enim & humectat lac, nutritque copioſius, & hæc maximè ethicis peridonea ſunt. Panis eius ſit de flore farinæ, non admodum coctus, ita, ut exteriora ambuſta ſint, interiora incocta, non ſit ſalitus, neque multum fermentatus, ſal inquam, anxiatiuum eſt, præſertim in capite, ut ait Galenus ſecundo, de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, capite decimo octauo, multum uerò fermentatus panis, inacidam qualitatem uertitur in uentriculo, ut ait Auicenna ſecundo canone, capite CCLXXXV. Gaudeat, & lætetur, quoniam hæc corpora impinguant, utatur ſomno, & quiete quoniam humectāt, nō triſtetur, non iraſcatur, non ferat anguſtiam, non odium, non immodicè uigilet, hæc enim non ſolum noſtra corpora exſiccant, ſed & ea à ſua naturali temperie permutant, ut ait Galenus tertio artis medicæ. Non toleret immodicā famem, & ſitim, hæc enim noſtra corpora exſiccando conſumunt, nempe peractis, obſeruatiſq; his, quæ ad uictus rationem pertinent, nondum tamē æger ad illam, quam ſperabat ſanitatis latitudinem peruenit, opinor fore bonum medicum regere corpus, ſiue paratum ad ethicam, ſiue iā ethicum factum ſit his, quæ ſola alteratione ueſtiuntur, neglectis omnibus quibus humores corporis excernuntur, niſi cum ethica humorum putredo adfuerit.

Conſulo igitur, ut numero dierum decem cuiuslibet menſis apud diluculum, capiat. Vnc.iii. ſequentis ſyrupi, ſuperdormiatque. Recip. florum uiolarum, florum nympheæ, ana. Vnc.I. iuiubarum ſebeſten, paſſularum enucleatarum, glycirizæ mundæ, ana. Vnc.I. & med. ſummitatum papaueris albi, foliorum lactucæ, portulacæ, endiuiæ ſcariolæ epaticæ, ana. M.I. & ſi forte fortuna temporis occaſione herbas non reperies, earum ſeminibus in decocto utaris, quattuor ſem. maiorum frigidorum, ſemin. maluæ, ana drachmas tres, bulliant omnia in conuenienti quantitate aquæ fontis claræ, donec ad medictatem aqua conſumatur.

coleturque

coleturque reſiduum, quod remanſit, & addita zucchari albisſimi debita quantitate, arte conducatur ſyrupus. Quo ſic utaris. Recip. ſyrupi præſcripti. Vnc. iii. aquæ hordei. Vnc. iiii. miſce pro uice una, & potet frigidum, in aeris cõſtitutione calida, in aliis uerò propter ea, quæ iam dixi uẽtriculi occaſione, remisſius frigidum, frigidum tamen ſorbere poterit, huius enim potionis facultas eſt infrigidare, & humectare, quod ethicis, uel ad ethicam paratis peridoneum eſt. Hortor quoque, ut adoleſcentulus iſte crebro utatur ſequenti unguento, quo ungantur pectus, ſpatulæ & tota dorſi ſpina.

Recip. mucilaginis ſem. citoniorum, mucilagin. ſem. pſilii, olei uiolati loti, butyri recentis loti, lactis mulieris quæ puellam pepererit, ana. Vnc. ii. gummi arabici, dragaganti, infuſorum in aqua roſata, ana. drach. iii. camphoræ, drach. I. & med. omnia ſimul bene ducantur in mortario, & cum cæra alba quan. ſuff. fiat unguentum molle. Crediderim etiam ſequẽtem mixturam eidem idoneam eſſe, ſi crebris uicibus ieiuno uentriculo eius potionem ingurgitaret. Recip. candi, penidiarum, ana Vnc. I. gummi arabici, dragaganti amidi, ana. drach. ii. quattuor ſem. maiorum frigidorum, ana. Vnc. med. ſem. endiuiæ, ſem. portulacæ, ſeminum maluæ, ana. drac. ii pinearum mundatarum, piſtaciorum mundatorum, ana. Vnc. I. & med. amigdalarum dulcium mundat. Vnc. med. ſemin. papaueris albi, drach. ii. & med. conſeruæ nenufaris, conſeruæ uiolarum, conſeruæ teſtudinis nemoralis, ana. Vnc. I. diamargaritonis. Vnc. I. & med. cum zuccharo albisſimo quan. ſuff. fiat electuarium. Vbi uerò habitis præſidiis adoleſcens non præualuerit, obſeruet, quod de potu lactis dixit Galenus decimo methodi capite undecimo, & quinto methodi, capite duodecimo. Lac enim, ut ait Galenus mirificam plane uim habet ad eos, qui ethica febre tenentur, cum eius facultas infrigidãdi ſit, humectandique, & nutriendi, dixit quoque ubi ue-

rò febris iam traxerit, dandum planè eſt Aſininum lac, diligenterque obſeruato, ne in uentriculo coaguletur, quod utique prohibet, ſi illi admiſceas aut mellis, aut ſalis exiguum. Vere tamen abſtinendum eſt quoad fieri poteſt, in ethicis febribus à melle, atque idcirco etiam à mulſa quippe protinus uertitur in bilem, & ſicciores, acrioriſque caloris febres reddit. Modus autem exhibitionis lactis uideri poterit à Galeno, ut ſupra, & à Principe prima quarti, capite, de ethica febre, quodcunque & cuiuſcunque lac etiam exhibere decreueris, uſus quoque balnei dulcis aquæ admodum febrienti ethica febre à Galeno commendatur. Tu autem cõſiderabis dicta eius, ut ſupra, & omnem obſeruantiam, & modum, quem ipſe præcipit, facile ſequi poteris. Vnum tamen annotatione dignum eſt, Doctor Excellens, cum ulcera adoleſcentis, & illius ethica febris indicationes habeant oppoſitas, & modos curationis contrarios, non ſimul eodem medicamento curari poterunt, niſi cõfidentiam habebimus in opere uirtutis diſcretiuæ, huic & alteri quod ſuum eſt contribuentis, & tunc ægroto medicamentum, uires habens oppoſitas, facile ſimul condonare poterimus. Satius tamen eſſe opinor ei attendere, quod magis infeſtat ægrum, uel uni affectioni uno tempore ſuccurrere, alteri uerò, tempore alio, & ſic alternatis temporibus procedere, donec utraſq; affectiones propulſas eſſe iudicabimus. &c.

AD STRVMAS
Pro Nobili Iuuene Ioſepho Tridentino,

Conſilium XXXVII.

NObilis Iuuenis Dominus Ioſephus Tridentinus temperaturæ naturalis pituitoſæ cũ inſigni admixtione melancholiæ corripitur quibuſdam fraudulentis, & putridis ulceribus,hinc & inde in aliquibus ſui corporis partibus,uagantibus, in aliquibus uerò affixis, & detentis, quæ, ut aiunt, ſibi nomen ſtrumarum uendicarunt,Quod apud me ſub dubio relinquitur, cum dicat Galenus decimo quarto methodi,locum,cui ſtrumæ contingunt maximè fore in animalis corpore,molles carnes, dixit quoque Galenus tertio aphoriſmorum,commẽto uigeſimo ſexto.Strumas in illis animalis partibus progigni,ad quas per naturam accumulantur molles carnes, & adenoſæ,ueluti in inguinibus,aliſque, & gula,quemadmodum in Nobili iuuene nequaquàm repertum eſt, cum eius partes affectæ fuerint oſſuoſæ, atque neruoſæ & duræ. Sanè igitur ſiue propriori nomine ſtrumæ ulceratæ uocentur,ſiue communiori uocabulo ulcera fraudulenta, & putrida dicantur, cum ſciam ego horum omnium cauſam fore unam,proculdubio in modo noſtræ curationis, nullum committemus errorem, confiſi quippe quod medicamenta, quibus ſtrumarum cauſas abolebimus, ita & eiſdem purulentas ſuperfluitates in ulceribus ſuæ Nobilitatis tollemus.Quo fit,ut natura beneficio artis adminiculata ea conſolidare ualeat.

CAVSAE MORBI.

SAnè igiturdico horum ulcerum,ſicut & aliorum mor

borum

borum naturalium tria fore cauſarum genera, uidelicet, procatharticæ cauſæ,& præcedentis,& contentiuæ,ut dixit Galenus ſeptimo aphoriſmorum, commento tertio, & in libro de cauſis pulſuum, ad principium. Procatharticã in nobili Iuuene puto fuiſſe indebita uictus ratio in cibo præſertim,& potu,conducentibus ſuccum craſſiorem,concoctioni contumacem, quo fit, ut illo multiplicato humore admoueatur cauſa præcedens, quæ eſt totius ſui corporis plenitudo,ex humoribus craſſis, qui immodica iecinoris extra naturam caliditate, effecti aduſti, non ſine quadam morſione ad particulas læſas peruenerunt, qui in eiſdem decumbentes,& abradentes,ulcera conduxerunt, inducentes ſibi nomẽ cauſæ huiuſcemodi ulcerum. Ob quam rem utramque cauſam præcedentem ſcilicet, & contentiuam, uno uerbo comprehendens,dicam ſui morbi cauſam fore, materiã craſſam, duram, non quippe per eſſentiam calidã ſed pituitoſiorem,& frigidiorem conſiſtentem. Vbi uerò quid caliditatis obtineat, eam illi conſentiet uitiatum iecur nõ naturali caliditate, quo fit, ut tumores ſtrumarum priuſquàm ad ulcus perducantur, difficulter ad ſuppurationem properant,ut dixit Gale.iii.aphoriſ.commẽ.XXVI.

PRAESAGIA IN MORBO.

ET ideo cognitis cauſis morbi, obſeruans ego decretũ Gal.I.de ratione uictus in acutis,cõ.iii.ubi ait,prænotiones magna afferre cõmoda in actu morborũ curatiuo ſic dicã. Quæcũꝗ ſtrumoſæ affectiones,& ſi ulceratæ,& apertæ fuerint,& illis ſimiles in cauſis ulceratiões fiũt,& ſi difficile ſanẽtur,oritur tamẽ maior, uel minor difficultas merito diuerſitatis ætatum corporis offenſi, uti dicam facilioris curationis eas eſſe in pueris,propter etatem ducentem melioris,& pluris alimenti ſubſtãtiam,& fortiorem, citioremꝗ alimenti trãſmutationẽ, neceſſariã ad carnis generationẽ, & ſolidationem.In ſenibus uerò impoſſibilis ſunt curationis ob contrarias cauſas, ob quam rem Nobilis noſter

patiẽs propter in ætate maiorem pucro propinquitatem, agit enim,ut audio, ſuæ ætatis annum uigeſimum primũ, minori cum difficultate ſanabitur. Iterum dico. Et ſi ſtrumæ,& illis ſimiles affectiones,cum tumidæ ſunt, & in Tuberculum eleuatæ abſque dolore extiterint, difficilioris ſunt curæ, eædem tamen, ſi apertc, & ulceroſæ ſine dolore fuerint,facilioris, & citioris curationis exiſtent. In primis enim indicatur, materiam craſſam,& duram, atque ſciroſam eſſe, longo temporis ſpatio egentem, ſi concoqui debeat. In aliis uerò ſignificatur, ulcus mundum fore à ſanie dolorem excitante, & hæc in ulceribus optima uia eſt, & ulcerum curationis ratio,ut dixit Galenus decimo quarto methodi,capite undecimo.Igitur reddetur curatio Nobilis patientis facilis ſi, ut ait, ulcera,quibus corripitur indoloroſa exiſtunt. Item dico ſi patiens præbebit ſeipſum medico,& eius præceptis obtemperet.Et ſit medicus gnarus & prudens, quoniam in eo omnia particularia alia cõſentiunt,proculdubio Dei gratia ſanabitur,ut ait Hippoc. prognoſticorum primo,& aphoriſmo primo.

MORBI CVRATIO.

QVoniam morbi abolitio pendet ex amotione cauſarum illius, ut ait Galenus ſecundo aphoriſmorũ, commento uigeſimo ſecundo, & tertio artis medicinalis, non ab re duxi in huius morbi profligatione cauſas illius propulſare. Et ad hoc perficiendum utar triplici inſtrumento medico, ut obſeruat Galenus, in libro de partibus artis medicatiuæ, uidelicet, uictus ratione medicinarum adhibitione, & chyrurgia. At cum uictus ratio cæteris nobilius ſit inſtrumentum,ut ait Galenus, in libro experimentorum. Ob hoc à uictus ratione primum ſermonem faciens, dicam.

RATIO

RATIO VICTVS.

QVo'd panis eius debet eſſe de tritico, non tamen ex toto mundo à furfure, quoniam habet uim abſterſiuam, diſcutientemque craſſos humores, & non ſit ex azimis confectus, non quippe miliaceus, cum humorem craſſum progignant, difficilemque diſcuſſu, & non ſit incoctus, ita, ut interiora cruda ſint, exteriora uerò cruſtacea, & ambuſta. Hic enim panis deterrimus difficulter permeans, & malum ſuccum progignens. Vinum eius ſit ſubtile, & album, uel medii coloris, & pauciferum, non nigrũ non craſſum, non turbidum, non dulce. Talia enim uina ſunt ei nocua, & ſint aquata dulci aqua pluuiali. Ceruiſia eſt ei nocua, quia humorem craſſum adgenerat. Carnes eius laudabiles, ſunt, quæ bonum alimẽtum non craſſum, non ualde tenue progignunt: Veluti ſunt perdices, faſiani, turdi, merulæ, capones, pulli gallinarum, francolini, & om̃nes auiculæ in arboribus & pratis, atque in nemoribus degentes Caro quoque uituli lactantis, iuuenis cuniculi, caſtrati aniculi, eſt ei peridonea, leporina uero caro, ſuilla, bubula, ceruina, & omnium animalium quadrupedum grandium, carnes ſunt Nobilitati ſuæ obnocuæ, quoniam humorem craſſum difficile permeabilem adgenerant. Salitæ carnes ſunt ei admodum malæ, & quæcunque humores ſalſos, & nitroſos progignunt. Piſces à tota ſui natura, ſunt D. ſuæ contumaces, propter largam, & abundantem eorum humiditatem, præſertim qui aquas cænoſas, & ſtantes inhabitant: excrementicii enim ſunt, & humidiores pluſquàm decet humores adgenerant, naturæ patientis rebelles. Saliti quoque piſces, & fumo exſiccati, ſunt mali, & omnia ex multo ſale condita, quoniam humores acutos, & mordentes adgenerant. Caſeum quoque ſecundum omnem ſui ſubſtantiam non comedat, inimo in omni eius adminiſtratione nocuus eſt. Oua gallinarum ſunt ei idonea, ſi recentia fuerint, & ſorbilia, & in aqua eli-

xata,in patellis uerò frixa ſunt ei contumacia, fumũ enim ſibi ipſis edunt,& non ſint diu aſſeruata,neq; dura,ultra.n. quod difficulter permeant,ſunt craſſi, & mali ſucci progignentia.Legumina omnia ſunt ei nocua, & abundantia aromatum,atque omnia acria,& quæcunque olera, & herbæ,quæ abnndanti humiditate ſunt ueſtita.

Caueat à nimio exercitio,quoniam humores acuit,& à nimio coitu,præſertim ſupra repletionem,& à nimia quiete,quoniá frigidos,& lentos diſcuſſuq; difficiles humores adgenerat.

Gaudeat,& lætetur,& cũ gaudentibus uitam ducat,non multo utatur ſomno,quoniá ſuperfluos cõducit humores & ſomnũ fugiat meridianũ,ſuperflua uigilia ipſum incõmodat,quoniá humores exacuũtur,& ſpiritus reſoluũtur.

Aer illius ſit temperatus,uel uergens potius ad ſiccum, cum cõmunis intentio curationis ulcerum ſit exſiccatio.

Corpus eius teneat à ſuperfluitatibus uacuũ,ſi nõ natura arte tñ,ut dicemus,& ob hoc ex cõi ſuo uſu utatur attenuáte dieta: ueſperi uerò parcius mane uerò modeſte cõedat.

MEDICINARVM EXHIBITIO.

Conſulo D.ſuam, ut ſi ualide ſanitatem ſuam procurare uoluerit,bina in anno purgatiõe utatur.Prima quidem uernali tempore. Secunda uerò, cum autumnus ad nos peruenire cœperit.Dico igitur, ubi in ulceribus uehemens dolor cum mordicatione,& pruritu,& inflammatione,aliis quoq; ſignis apparentibus de ſanguinis miſſione, quæ omnia prudenti medico tunc aſſidenti relinquo.Iuberem aduentante uere fieri ſanguinis miſſionem primo,ex baſilica, iteratoq; ex cephalica, cũ caput pro parte cauſam ſui morbi obtineat præcedente quippe uentris lenitione. Vbi uerò hæc nõ apparuerint,nequaquàm ſanguinis miſſio fieri debet propter cauſam de nimia humorum infrigidatione, quæ nobilitati ſuæ admodum contumax eſt. Deum uerò duobus pereuntibus diebus,duabus horis priuſquá

uſquá dies ad nos perueniat,capiat D. ſua ſequētem bolū.

Recip.floris caſsiæ nouiter tractæ.Vnc.i.Turbith boni, & gummoſi ſubtiliter pulueriᷣzati. drach.ii.ex his fiat bolus. Sequenti uerò die,nullo intermiſſo die,potet diebus ſeptē continuis apud diluculum ſequentem ſyrupum.

Recip. ſyrupi de betonica, ſyrupi de lupulis,ſyrupi roſ. mellis roſati col.ana Vnc.med.aquarum betonicæ, lupulorum,fumi terræ,cicoreæ,ana Vnc.i.miſce.

Octauo uerò die duabus horis priuſquá nobis ſol eluceſcat,ſequentem bibat potionē,ſuper quá dormiat donec dies apparuerit.Reci.diaſenæ lenitiui.Vnc.med.diacatholiconis.dr.iii.cōfectionis hamec.dr.ii.ellectuarii ſucci roſarū ſcrop.ii.turbith ſubtiliter puluerizati ſcrop.ii.miſce,& fiat potus cum decoctione capitali,& cuſtodiat ſe illo die modo aſſumptionis medicinarum. Vbi uerò D.ſua præſentaneū præſidiū expedire uoluerit, peracta dicta purgatione, conſulo,ut ſeipſum cum debita diæta,diſponat ſe ad potū aquæ ligni guaiaci. Vbi in infuſione decoctioneue, apponantur foliculi ſenæ, polipodii quercini, betonicæ, ana. Vnc. med. Turbith boni, drach.ii. uini albi potentis libr. med.buliant omnia ſimul ſecundum conſuetam artem,& ea utatur potione diebus quadraginta,cum prouocatione ſudoris,& obſeruantia generalium,& particularium, quæ relinquo,tum conſideranda, tum expedienda à Doctis & prudentibus ſuis medicis. Quòd ſi fortè fortuna Dominatio ſua non conſentiret potui aquæ dictæ, non dubito illi fore elegans, & admodum utile præſidium, ſi transferat ſe ad balnea de aquis in Comitatu Piſano. Et ibi moram ducat per dies quinquaginta, continue, & quotidie ulcerata membra per ſex horas in balneo illo detinendo, ſecundum modum, & obſeruationem quam exactè intelliget ab ibidem aſſidentibus, & ſpero Dei auxilio Domin. ſuam à morbo illo maligno releuari, ubi uerò adhuc his peractis Dominatio ſua uellet præſeruari,ne

per

per tempus caderet iterato ad morbum, uel ad minus à deteriori caueret lapſu, conſulo, ut omnibus quindecim diebus apud diluculum ingurgitet ſequentem bolum.

Recip. zinziberis uiridis, conſeruæ roſarum, ana.drachmas duas, Turbith boni benè puluerizati, drachmas duas, miſce, & fiat bolus. Et aliquando loco boli capiat ſequentes pillulas.

Recip. pillularum de fumo terræ, pillularum aurearum ana drachmam mediam, Turbith boni puluerizati, ſcropulum unum, miſce, & fiant pillulæ ſex pro duabus uicibus. &c.

Conſulo quoque, ut aliquando uidelicet, ſemel in anno, uel bis, ut uere, & autumno faciat ſibi admouere tres hæmorrhoidibus hyrudines, quoniam in omni morbo ſapiente aliquid melancholici, admodum utiles ſunt. Ob illud Hippocrat. dictum, Melancholicis, & nephreticis hæmorrhoides innatæ bonum.

Et quoniam quotidiano præſidio eget locali, quo membrum ulceratum confortetur, & ulcus mundificetur, & exſiccetur.

Conſulo igitur, ut ad intra uulnera, & caua ulcera, cum tenta non acuta propter membrũ eſſe neruoſum, ſequens unguentum imponatur, & mane, & ueſperi mutetur, in eo enim eſt uirtus confortatiua, abſterſiua, & mundificatiua, exſiccatiuaque, ac conſolidatiua.

Recip. unguenti diaponpholigos Vnc. ii. unguenti de minio, Vnc. i. unguenti uiridis. Vnc. med. miſce, & diu inſimul agitentur, donec benè incorporentur, ſupra uerò membrum, ut eius natura conſeruetur, apponatur ſequẽs unguentum ſupra petiam lineam extenſum.

Recip. litargirii argentei pluries loti cum aqua ſolatri, Vnc. VI. unguenti roſa. meſue, uncias quattuor, olei roſa. in mortario plumbeo benè ducti, uncias tres, miſce, & ducatur donec fiat unguentum, & ubi induretur, cum di-

ĉto oleo molle fiat. &cet.

Aduentante uerò autumni tempore conſulo D. ſuam iterato purgari. In primis igitur deglutiat poſt mediũ noĉtis ſequentes pillulas.

Recip. pillularum de fumo terræ pillularum aurearum, ana drachmam mediam, pulueris Turbith, ſcropulum unum, miſce, cum ſyrupo de ſtæcade fiant pillulæ numero quinque.

Sequenti uerò die per ſeptem dies continuos ſequentẽ apud diluculum potet ſyrupum.

Recip. ſyrupi de ſtæcade, ſyrupi de betonica, ſyrupi roſati, ana drach. v. Aquarum betonicæ, lupulorum, plantaginis, ana Vnc. I. & med. miſce pro una uice.

Oĉtaua uerò die, duabus ante lucem horis, capiat ſequentes pillulas.

Recip. pillularum cochiarum almanſoris, pillularum fœtidarum, ana drachmam mediam, pulueris Turbith, ſcropulum unum, miſce, cum ſyrupo de lupulis fiant pillulæ numero quinque.

Tempore uerò hyemis ueniente conſulo, ut omni ſeptimana ingurgitet ſemel ſequentem bolum.

Recip. Turbith optimi & bene pulverizati drachmam unam, conſeruæ zinziberis Vnc. med. miſce, cum zuccharo fiat bolus.

Vbi uerò prædiĉta non contulerint, uel adhuc ſi contulerint in aĉtu præſeruatiuo, & in euacuatione cauſæ præcedentis. Conſulo, ut in eo duo de membris ſui corporis urantur. Vnum quippe brachium ſiniſtrum in parte ſylueſtri per quattuor digitos infra ſpatulæ iunĉturam, diuertet enim foramen illud, & ſimul euacuabit à capite, cum putem ſuæ Nobilitatis morbum magnam habere cauſam caput ipſum. Alterum uerò erit crus dextrum, ut ſcilicet, in illo admoueatur cauterium in parte ſylueſtri per quattuor digitos infra genu. Ad illud enim foramen, ut ait Galenus

lenus in Epidemiis omne totius corporis ſuperfluum con ducitur,quo fit,ut auerſione,& euacuatione materiæ ad ex tra corpus,& prohibitione fluxus materiæ ad locum ulce rum relinquātur ulcera priuata,& libera à cauſa utraq; uidelicet,præcedente,& contentiua,& ſic natura adminiculata beneficio artis noſtræ ulcera Deo uolente conſiderabit. & cet.

Hæc ſcripta ſunt currenti calamo, à Benedicto Victorio Fauentino, in Docto Gymnaſio Bononienſi Theoricam medicinæ publice edocente anno Chriſti M D XLIX. Die ſexto Ianuarii,& ætatis ſuæ anno ſeptuageſimo, ad Dei gloriā, & Chriſti Domini noſtri. Amen.

FINIS.

AD IMPETIGINEM

Pro Nobili Vxore Magnifici Domini Alexandri Martinelli Ceſenatis,

Conſilium XXXVIII.

NObilis, ac Magnifica Domina Bernardina Vxor Nobilis,& Magnifici Domini Alexandri de Martinellis de Ceſena, temperaturæ ut aiunt bilioſæ, quam comitatur inſignis gradus aduſtionis, ob quem non fugiet nobilitas ſua aliquid atræ bilis in eius naturali temperatura, quo fit, ut Domina hæc procliuior ſit ad morbos atræ bilis participes, quoniam à ſimilibus intemperantiis facilius læduntur naturales temperantiæ: á diſſimilibus uerò difficilius, ut ait Galenus tertio artis medicinalis,& in ſecundo aphoriſmorum, commento trigeſimo quarto. Sanè cum hac naturali temperantia ipſa corripitur, ut aiunt, quadam cutis turpitudine, ſeu infectione, quam neoterici ſcriptores impetiginem uocant, non quippe recente,& noua, ſed ſeptennio antiquata. Quam ſuæ nobilitatis medici, eam impetiginem eſſe nouerunt ob Galeni dictum in libro medicarum finitionum, ubi ait, Impetigo eſt ſummæ cutis aſperitas cum multa prurigine, quã finitionem compleuit Galenus in libro introductio, ſeu medicus, ubi ait, & ſquamulæ in ea ex cute abſcedunt, ſub quibus locus rubicundior ferèque ex ulceratus apparet, & huius impetiginis cutem moleſtantis duæ ſunt ſpecies, Vna quippe mitior eſt, curatu facilis, & eſt ut dixit Auicenna quarto canone, fen. ſeptima, tractatu tertio, capite tertio, humida ſanguinea, quæ cum fricatur apparet ros,& eſt ſalubris magis, cum in ea uitium ſit in ſanguine,

qui facile ad benignum reduci ualet, altera uerò ſpecies eſſera dicitur, eſt enim ſiccior, & difficilius tollitur, & hæc eſt ut aiunt, quæ Dominam hanc admodum moleſtat, & huius cauſa eſt. Pituita ſalſa, & flaua bilis, quæ per ulterius aduſtionem in atram uertitur bilem. Ob quod inquit Galenus ſecedunt ſquamæ ex cute, ueluti in ſalſuginum uaſis fictilibus, & hæc ſpecies fera impetigo nominatur, ut ait Galenus ſexto de compoſitione medicamentorum per genera, quoniam à medicamentis imbecilliter ſiccantibus nihil iuuari uidetur, à ualidis autem irritari. Et non lateat te quo ad materiam idem eſſe impetigo, & ſerpigo, quia ſtat, & erodendo non permeat, impetigo dicitur, ubi uerò erodendo ſerpat, ſerpigo nominatur, & ſi in utriuſque modo curæ nullo utemur diſcrimine, & impetigo nomen eſt deductum ab impetu, quoniam cum impetu inuadit corpus & ipſum dehoneſtat.

Impetiginis huius Nobilis Dominæ, uno, uel pluribus trium inſtrumentorum curari poterit, aut uictus ratione, quam illius Doctis, & expertis medicis relinquo, qui eam plurimo iam peracto tempore nouerunt. Tum quo ad eius naturam, & robur, & mores, & conſuetudines, & huiuſmodi, à quibus pendet uictus ratio, Quorum ipſi per præſentiam, exactam cognitionem habebunt, tum eorum quæ particularia ſunt, & ſuæ Dominationi ex uſu conuenientia: tum eorum, quibus per abuſum ipſa appetit, utiturque. De quibus omnibus non niſi per præcepta uniuerſalia loqui poſſumus, ſatis à ſenſibus noſtris remota: ob quam rem ſatius eſt in rationis uictus moderatione tacere, & prudentibus medicis coram aſſidentibus opus remittere, quam nos, temerè pronuntiantes falli. Ratio enim uictus quotidiana ab ægrotantibus deſiderari debet, & eius crebro memorari, quod præſentium officium eſt, & non eorum, qui longè ab ægro diſtant. Secundum inſtrumentum eſt, medicinarum exhibitio Tertium uerò manum

operatio,

operatio,ut ait Galenus in libro de partibus artis medicatiuæ & princeps quarta primi. &c.

PROGNOSTICVM.

AT quoniam præſagium de termino morbi ad bonũ, uel malum,multa affert commoda, in modo curæ morborum, ut ait Galenus,in primo de ratione uictus in acutis, commento tertio, Ideo præſagiendo dico prius, quoniam indubitatam fidem adhibeo illi Excellenti medico,qui nos certiores fecit de huius Dominæ affectu,uide licet,quòd eo ſeptennio moleſtata eſt, ſanè reddetur cura admodum difficilis, & ubi ad bonum terminum ducetur, hoc non niſi in longo temporis interuallo fiet,tum ob id, quod dixit Galenus in libro introductio,ſeu medicus. Altera eſt effera,quæ difficilius tollitur: tum quoniam quod antiquatum eſt efficitur,ueluti habitus,qui cum difficultate tolli poteſt. Et ob hanc rem dico ſecundo Impetiginem hanc in Nobili Domina diuturnam factam, facile in leprã uerti poſſe cum lepra ſit cutis fœdatio mutata in habitũ, qui præter naturam eſt cum aſperitate,& pruritu, ac dolore, & nonnunquàm cum decidentibus ſquamis,ut ait Galenus,in libro finitionum medicarum. Quod ſi non in lepram antiquata impetigo uertatur, nihil oppugnat eam facile uerti poſſe in pſydracium,genus quoddam puſtularum ſubalbidarum,& acutarum,caput præſertim infeſtantium,aut in pſoram,quæ eſt ſcabies magis ulcerata, quorum omnium deterrimum eſt,& naturæ humanæ contumax,cum pituita ſalſa eorum omnium cauſa ſit, ut ait Galenus. Dico tertio,ſi impetigo Nobilis huius Dominæ fuerit humida ſanguinea,cuius indicia iam diximus,minoris erit malitiei,& citioris curæ,quàm ſi ſicca ſolum fuerit. Siccum enim non ita obedit reſolutioni uti humidum, ut ait Ariſto. quarto metheororum. Dico quarto, ſi huius Nobilis mulieris impetigo à ſeptennio caput eius, uel faciem continue infeſtauerit, iudicium medici certius efficietur

de cõuerſione eius in lepram, indicat enim Principem partem ideſt cerebrum, in quo eſt minera generationis ſalſæ pituitæ admodum affectum eſſe, & procliuius ad eam pituitam ſalſam progignendam, niſi repẽte ei ſuccurramus, tum ex conuenientis obſeruantia uictus rationis, tum ex ſalutaribus præſidiis dicendis. Dico quinto, quod ubi impetigo nobilis mulieris per conuenientia medicamenta curationem non accipiat, ſed ſerpendo hinc & inde per corpus permeat, hortor tunc medicum, eam curare debere cura lepræ, facta enim erit habitus ad quem ſymptomata lepræ ſequi quiſque facile comprehendere poterit, & hoc dixit Princeps ſeptima fen. quarti canonis. &c.

CVRA IMPETIGINIS.

IMpetiginis huius Nobilis Dominæ curationem aggrediar, his, quæ in ſequenti ſermone nota faciam, quibus inſtrumentum medicationis ſecundum complebitur. At occurrunt mihi duæ intentiones huius morbi curatiuæ. Vna quidem generalis, altera particularis, ex generali igitur intentione dico cum Galeno ſexto, de compoſitione medicamentorum per genera, quod cum à medicamentis imbecilliter ſiccantibus nihil impetigini conferri uideatur à ualidis uerò irritari, opus eſt in his uti medicamento efficaci abunde, non quippe uehementer mordaci, quoniã talia medicamenta ſui mordaci acrimonia erodendo ulcerant, ulceraque profundant, & hoc ſylueſtri & feræ impetigini ualde noxium eſt, ſint igitur medicamenta impetigini congruentia, ex artificiali quadam coniectura compoſita ex his, quæ experientia probata ſunt abunde acribus, tenuiorum partium digerentibus, habeantque medicamenta talia citra roſionem detergendi facultatem, & uim aliquam adſtrictoriam, habeant quoque quædam eorum, uirtutem leniendi, ut ea in tali compoſitione, acrium pharmacorum

macorum uehementiam leniant,ſimulque humores in af flictis particulis concoquant,ſimplicia autem medicamen ta, ſanè ualida in impetigine,acria quidem,& tenuiorum partium,ut ait Galenus ſunt pyretrum,ſynapi,coccus, gni dius,ſtercus columbi,erugo,baccæ lauri,nitrum,ſal armo- niacum,& acetum forte, & ſulphur, & argentum uiuum, & ſpumam maris,& glutinum decoriis & huiuſmodi.De tergentia autem & lenia, mordaciaque ſunt. Yris, & Ari- ſtolochia, mirrha & ſtaphiſagria, & talia, ut cuminum, ſemen erucæ, ciperum, & ſine morſu exſiccant, & quan- dam habent uim adſtringentem, pariter quoque & æris ſquama. Et quoniam hæc acria ſunt, mordacique facul- tate ueſtita, Decoctio caricarum uehementiam morſus in his admodum mitigat. Quo fit, ut ſi hæc ſua ſicca acrimo- nia, impetiginem ulcerarent, profundarentque, humi- do quippe iniecto, effectus talis à medicamentis abolere- tur, uelut eſt ſuccus melonis,& emulſio ſeminum eius, & ſuccus cidoni,& eius mucilago,& ſuccus portulacæ,& mu cilago pſylii,& alii humidi ſucci,& gumma prunorum,& huiuſmodi, quæ ſui humiditate uirtutem mordendi hebe tant,& iuuant ad digerendos humores.

Dico ſecundo in eadem generali intentione cum Gale- no in libro medicus, Quod medicamenta impetigini i- donea per intrinſecus ſunt, quæ pituitam mouere ua- lent. Cum affectus is, à pituita ſalſa ortum habet, at quoniam per aduſtionem in atram bilem uertitur, ideo medicamina melancholiæ dicata etiam conueniunt, & eaſdem intentiones generales habuit Auicenna, ſeptima quarti.

Singulares autem intentiones medicationis impetigi- nis huius Nobilis Dominæ plures nobis occurrunt. Vna eſt ſanguinis miſsio,& non latet me,quod cum affectio ali qua ſit, cuius uitium ſit in ſanguine, tunc ſanguinis miſ- ſio cum uniuerſalis ſit euacuatio, in ea præmitti debet.

Ob

Ob quam rem ſi Nobilis mulieris impetigo humida foret, ac ſanguinea, proculdubio etiã in uenis ſuperioribus ſanguinis miſsionem non aſpernerem. Cum hoc ex Galeno in libro de ſanguinis miſsione præceptum habeam, uidelicet ſanguinis miſsionem, ſanguini peccanti attributã eſſe, at ut potui ex enarratis indiciis coniectari, impetiginem ſuæ nobilitatis fore ſiccam, aridamque, trahentem ortum à flaua bile, uel ſalſa pituita, ex quarum aduſtione fit atrabilis, quæ omnia ſanguinis miſsionem renuunt, ideo hanc Dominam alio ingenio, quàm ſanguinis miſsione ex uenis ſuperioribus medicari conabor. Tum quoniam in ea ægritudo eſt uetuſta, terrea quippe facta, ac frigida peccans materia, cui ualde oppugnat ſanguinis miſsio, cũ ipſa maximè infrigidat, ut ait Galenus in libro de ſanguinis miſsione, & ob hanc cauſam puto miſsionem ſanguinis ex uenis ſuperioribus ei cõtumacem fore. Tum etiam quoniam ipſa bonum raperet ſcilicet ſanguinem aliorum humorum malam naturam corrigentem, & malum relinqueret, ſcilicet humores facientes impetiginem, qui in uitio concreſcunt, ob ſanguinis euacuationem prædictos humores moderantem. Sed ut mihi obiicias nollem, cum ſanguinis miſsio multitudinem euacuat, ut ait Galenus de curatione per ſanguinis miſsionem, & princeps quarta primi capite uigeſimo. Igitur ea nedum ſanguis euacuabitur, uerum & humores noxii tollentur ob quod corpus à cauſa morbi alleuiatum, ad meliorem ſtatum ducetur. Niſi eſſet, quod nocumentum, quod fit in impetigine ex euacuatione ſanguinis relinquentis prauos humores dehoneſtantes totum corpus, maius foret, quàm ſit iuuamentum, quod eidem contingere poteſt ex ſanguinis miſsione, non enim ob eam alleuiabitur corpus, cum maior quãtitas prauorum humorum relinquatur, quàm eorundem ſimul cum ſanguine euacuatur. Quo fit, ut totum corpus tunc ex ſanguinis miſsione magis ex impetigine deturpetur

tur

tur ob priuationem ſanguinis defenſantis corpus, ne impreſſo uitio ab illis humoribus cadat incrementum impetiginis, uel irruat in lepram, aut pſoram. Tum etiam non conuenit ſanguinis miſſio ex uenis ſuperioribus in impetigine fera, & antiquata, quoniam cum talis trahat ab extimis ad intima, quod natura tentat excernere per partes extimas, ſanguinis miſſio reuocaret ad internas. Quo fit, ut uitium externarum partium trahetur ad internas partes, quod maxime nocuum eſt corpori. Et quoniam in hac Domina impetigo antiquata eſt, & facta uti habitus cutis, ad interna non poſſet reuocari, niſi magna occurſante uiolentia, in uniuerſo corpore. Ob quam rem ſub ſilentio præteribo, mulierem hanc nobilem ſubmitti debere miſſioni ſanguinis in ſuperioribus ſecta uena. At quoniā in ſua nobilitate impetigo eſt ex uitio humoris atrabilarii, orti quippe ex aduſtione ſalſæ pituitæ, & flauæ bilis, ſapientis quippe naturam elementi terrei, ob hanc cauſam aperta fronte iuberem uenas aperire hæmorrhoidales, quoniam earum ſanguis craſſus eſt, turbidus, ac feculentus natura abundans elementi terrei, ex quo corpora noſtra procliuiora ſunt in cutis defedationes incidere, ac melancholicas affectiones, & liberalius id approbo, quoniam uidi Principem ſeptima quarti, capite de cura impetiginis, ubi ait. Et appoſitio ſanguiſugarum eſt de melioribus medicinis eius. Sanè conſulo, hanc euacuationem ſanguinis ex hæmorrhoidibus lenitione alui præcedente, bis in anno fieri debere, uidelicet ueris tempore, ob illud Hippocratis tertio aphoriſmorum, commento uigeſimo. Vere enim & lepræ, & tuſſes, & impetigines, & uitiligines. Demum & tempore autumni, ob id Hippocrat. tertio aphoriſmorum, commento uigeſimo ſecundo. Autumno uerò furores, & atræ biles. Sed non latet me, quod ubi Domina hæc forte fortuna in hanc affectionem inciderit, ſicuti alias uidi ex menſium ſuppreſſione iam facta, Dubio

procul

procul auderem ſupra ſanguinis miſſionem ſecta in talo uena interna,quam ſaphenam dicunt. Hic enim ſanguis & ipſe craſſus eſt, ſapiens naturam ſanguinis, qui per hæmorrhoidas mittitur,ut in de miſſione ſanguinis dixit galenus.Sanè in impetigine contingente, uel conſeruata ex menſium ſuppreſſione,putarem apertionem hæmorrhoidarum contumacem eſſe. Quoniam deriuaretur ſanguis ad contrariam regionem ſuæ conſuetæ euacuationis, & hoc maxime à medico conſiderandum eſt,iuxta Galenum primo aphoriſmorum,commēto uigeſimo primo.Et Auicenna quarta primi.

Altera ſingularis intentio curationis impetiginis nobilis mulieris,eſt euacuatio cauſæ morbi,cum enim morbus ſit de plenitudine eius curatio eſt euacuatio,ut ait Hippocrates ſecundo aphoriſmorum uigeſimo ſecundo.At cum ægritudo dat moram,præeſſe debet concoctio cauſæ morbi, ut ait Hippocrates primo aphoriſmorum, uigeſimo ſecundo. Sanè & præparare eam oportet, ad faciliorem excretionem,ut Dixit Hippocrates ſecundo.aphoriſmorum nono.Ideo conſulo,ut duobus anni temporibus uere ſcilicet,& autumno nobilitas ſua ſubmittatur purgationibus, ea enim purgationibus peridonea ſunt tempora,ut ait Galenus in libro de curatione per ſanguinis miſſionem.

Initiante igitur uere,conſulo Dominam hanc ingurgitare ſequentem bolum apud diluculum, caſſiam recenter extractam accipito,pondere ſeptem drachmarum,cui unciam mediam diaſenæ lenitiui iniungito,& bolum conficito,& mulieri dato, iſto enim materiæ exiſtentes in uiis latis, fouenteſque proprias materias impetiginis euacuabuntur & ubi aliqua etiam pars materiæ propriæ excerneretur, hoc nihil abſonū puto,quoniam uirtus à parte materiæ exonerata, reddetur potentior ſupra reſiduum concoquendum,& idem excernendum, ut ait Galenus ſecundo aphoriſmorum,commento uigeſimo nono.

Cœterum

Cœterum ſequenti die in diluculo materiam impetiginis, in hac Domina concoquere incipies, quæ cum ſit craſſa, & ſicca, cui commixtum eſt aliquid tenue, & acutum, non ab re accipies digerentia compoſita, ut dixit Galenus ſexto de compoſitione medicamentorum per genera, ex incidentibus, & attenuantibus, & humectantibus, atque accidentia impetiginis remittentibus. Talis igitur erit ſequens ſyrupus, admodum in fera, & ſicca impetigine periidoneus. Summitates fumi terræ, lupullorum ſcabioſæ, florum boraginis meliſſæ, bugloſſæ, uiolarum, de quolibet pondus unciæ unius accipito, cui iungito radices appii, petroſilini feniculi, pondere ſex drachmarum. Demum endiuiam ſcariolam portulacam, cuiuslibet pondus duarum unciarum permiſceto, quibus omnibus addito folliculos ſenæ, epytimi, polipodii, quercini, thimi, quorumlibet pondus unciæ unius, aniſorum, carui, dauci, omnium ſemina pondere mediæ unciæ, omnia ſimul bulliant in aqua fontis clara, donec medietas conſumatur. Demum facta colatura cum melle zuccharino abbreuietur ſyrupus ſecundũ artem, qui patienti condonetur ſeptem continuis diebus apud dilucum, & ſuper dormiat. Sic igitur potum conficies. Aquam decoctionis cicerum rubeorum, & ſpice nardi, & ſquinanti pondere trium unciarum accipito. Cui iungito præſcripti ſyrupi uncias duas, & potui calidum dato. Octauo uerò die duabus horis priuſquàm diei lux ad nos perueniat ſequenti pharmaco Dominam hanc purgabis. Mirabulanos indos, citrinos, utriuſque drachmas tres accipito, quibus permiſceto flores boraginis, ſenam, polipodium quercinum recentem, paſſulas, epythimum, de quolibet drachmas tres, omnia ſimul in aqua lactis caprini ebullito, & cum ea diſſolue. Mannæ optimæ unciam unam, uel caſſiæ fiſtulæ unciam mediam, de reubarbaro drachmam unam iungito, cum granis ſeptem ſpicæ nardi. Demum his addito electuarium de ſucco roſarum, confectio-

nem hamech uniuſcuiuſque drachmam unam,& cum dia turbith drachma media potum conficito, & patienti dato. Vbi, uero potabiles medicinas ipſa odio haberet, tunc temporis ei conuenientes erunt pillulæ de fumo terræ, pillulæ aureæ deſcriptione nicolai, pillulæ fetidæ, pillulæ indæ uel ſeparatæ, uel iunctæ ſimul, ad quas capiendas faceret ſibi uſum capiendi drachmam uná, præſertim autumni, & hyberno tempore bis in menſe, Nobilitas ſua bene habebit. At pillularum uice ſi ipſa aſſueſceret ſemel in ſeptimana potare apud diluculum uncias ſex decoctionis folliculorum ſenæ. Vel uere, & æſtiuo tempore eam biberet factam in ſero caprino, admodum ſibi utile erit. Et ubi domina hæc quandoque potaret hyberno tempore ſemel in ſeptimana decoctum epythimi in aqua lactis, putarem hoc eſſe ei peridoneum potum. Non negligat igitur aſſiduum uſum, ut diximus, uel pillularum, uel decoctionum per intercepta tempora inter duas ordinarias purgationes, & ueris, & autumni tempore fiendas, aduentante igitur autumni tempore. Conſulo, ut nobilitas ſua eadem, uel conſimili utatur purgatione, & ubi tunc temporis aliqua particularia ei occurſarent, uel de fienda, aut non fienda purgatione, id relinquo prudentibus medicis nobilitatis ſuæ.

Cœterum poſt effectas purgationes, quibus uniuerſum corpus intrinſecus eſt mundatum, conſulo cum obſeruantia conuenientis rationis uictus ut Dominatio ſua extrinſecus utatur his, quibus membra offenſa ilinuntur, balneanturque, ut eſt Galeni præceptum, & Pauli, & Auicennæ. Quæ ſiue ſimplicia fuerint, ſiue ex ſimplicibus compoſita, rem ipſam perficient, & ſcire debes, quod ubi ſimplicia dicta ſeorſum in ſubtilem puluerem reducta, quæ puluerizari apta ſunt, & quæ etiam non in puluerem duci poſſunt, ut herbarum, & radicum ſucci cum aceto forti miſceátur, & unica ebullitione bulliant. Demum uerò offenſæ partes

præſertim

præſertim caput liniantur, utile præſtabunt præſidium, cohibet quoque impetiginem, ſi cum ſimplici hominis matutina ſaliua eam linieris, ut ait Auicenna ſeptima quarti, & Galenus tertio de facultatibus naturalibus, capite ſeptimo, ubi obſequia matutinæ hominis ſaliuæ accumulat, & idem aſſumpſit Paulus quarto methodi, de cura impetiginis, & non lateat te ſequens linimentum impetigini maximè puerorum, præſertim in capite, & facie dehoneſtanti, ſi ueſperi cum cubare uoluerit patiens, offenſæ partes capitis liniantur. Mane uerò orto iam ſole diluatur caput cum lixiuio ex uitium cineribus effecto. Sane ex eo linimento, lotioneque bis in ſeptimana patienti adhibitis, impetigo ſanabitur. Linimentum eſt tale. Succum ſabinæ, adipem porci ſaliti, ceram citrinam nouam, pinguedinem uiperæ de quolibet unciam unam accipito, & lento igne calefacito, & in linimentum formato. Idem efficiet linimentum ſequens. Terram ſaponariam accipito pondere unciarum octo, eique hyoſciamum adiicito, & omnia ſubtiliter puluerizato, & cum uino auſtero, & mororum ſucco, & aceto æqualibus partibus pulueres in paſtillos formato: quos in umbra ſiccatos in uas figulinum nouum ſeruato, omnibuſque quinque diebus in decocto caricarũ, & aceto eorum uno diſſoluto, impetiginem illinito: & cum ſupra exaruerit linimentum, locum cum prædicto lixiuio abluito, & eſt expertum. Aliud eſt linimẽtum admodum conueniens in effera impetigine, & antiquata, uelut in hac Domina reperitur. Squamæ æris libram mediam accipito, cui addito piretri, ſtaphiſagriæ coccignidii, ſeminis ſynapis, ſtercoris columbini, Ariſtolochiæ, æruginis, ciperi, ſeminis crucæ, cumini, ſingulorum drachmas duas, ſalis armoniaci, baccarum lauri, myrrhæ, irridis, ſingulorum drachmam unam & mediam, omnia in ſubtilem puluerẽ reducito, & cum aqua decoctionis caricarum, & aceto paſtillos formato, quos in umbra exſiccato, & in prædicto ua

ſe eos ſeruato: & omnibus ſex diebus uno eorum diſſoluto cum ſucco ſabinæ, & lapacii acuti particulæ læſæ illiniãtur, & cum exaruerit linimentum, diluantur cum aqua decoctionis caricarum, & lapacii acuti, & conſimile linimentum à Galeno in libro ſexto, de compoſitione medicamentorum per genera, mira laude extollitur. Quod non niſi horribili, & arduæ, ac inobedienti, & antiquatæ, & procliui in lepram impetigini operari debemus. Aliud ex Hippocrate in libro ſecundo de morbis muliebribus plurimum ualens ad impetigines oẽs. Myrrhæ, pumicis, ſulphuris uiui, naſturgii ſyluestris, ſpoliæ uiperæ, radicis lapacii acuti, ſpumæ argenti, pondus drachmarum quattuor de quolibet accipito, & ſubtiliter puluerizato, & cum aceto uini paſtillos facito, quos exſiccatos in uaſe recondito, & bis in ſeptimana unum eorum cum aqua decocti caricarum diſſoluito, & impetiginem illinito, & cum exaruerit cũ aqua diſtillationis lapacii acuti locum dilues, & eſt expertum, mente uerò tenere oportet, quod illis linimentis aliquando exareſcunt partes impetigine affectæ, ob hoc conſulo, ut aliquando infrigidetur, & humectetur locus impetiginis cum ſuccis herbarum frigidarum, & humidarum, ſicut eſt lactuca, portulaca, & ſuccus cucumeris, & optima eſt in hoc mucilago pſylii, & poſt iterato ſuperponantur linimenta, & ſcire debes, quod infraſcriptum balneum curat omnem impetiginem; Grana iuniperi rupta, folia boraginis, folia ſcabioſæ, folia lapatii acuti, folia fumiterræ, lupullos, ſingulorum pugillos tres accipito. Quibus iniungito ſiliginis, furfuris craſſi, albuci, foliorum rutæ, foliorum agni caſti, foliorum citri, foliorum limonis, ſingulorum pugillos duos, ciperi, ſulphuris uiui, ſalis nitri, ſalis gemmæ ſingulorum uncias duas apponito, foliorum maluæ, uiolariæ, foliorum plantaginis, ſcariolæ, portiuncularum cucumeris, nouylorum quantum manu capi poteſt, omnia in ſuffi-

ficienti

ficienti quantitate aquæ ebulliantur, donec tertia pars conſumatur: & mane ſtomacho ieiuno ingrediatur aquam illam calidam, ac optime colatam patiens impetiginem, & in ea moram trahat per tempus horæ unius, uel minus, quomodo ſufferre poterit patiens. Cum uerò exierit Balneum, corpore optime abſterſo, illiniatur impetigo ſequenti linimento. Sulphuris uiui, auri pigmenti, rubei, ſingulorum uncias duas, accipito, & in ſubtilem puluerem ducito, & cum ſucco de fumo terræ fiant paſtilli, & cum uno eorum diſſoluto in unguento citrino illiniatur impetigo, & craſtino aduentante, aqua decocti furfuris diluantur partes illinitæ, & iterum intrabit patiens balneum, ut prius, poſtea ungatur, ut dixi, & tandiu perſeueret, donec cura perficiatur. & cet.

BALNEA.

SEd uenirem egò interrogandus. Nunquid apud nos in Italia aliqua extent Balnea mineralia, quibus abſque tot, & tantis illinitionibus, unguentiſque, ac balneationibus, Nobilis hæc Domina ad illam, quam iam habuit ualetudinem Deo uolente reuerti poteſt, cui dico munitus præceptis Galeni ſexto, de compoſitione medicamentorum per genera, & primo, de compoſitione medicamentorum per loca, & pauli quarto methodi, & Auicennæ ſeptima quarti. Quòd ſi quæ Balnea fuerint, quorum minera ſalſuginoſa fuerit, nitroſaque, uel ſulphure participans, proculdubio ea impetigini peridonea fore pronuntiabo. Veluti balnea poretana in comitatu Bononiæ exiſtentia, uel de Abbano in comitatu Patauino, non quippe potui data, tunc enim morbus con creſceret, ſed balneationis forma condonata. At indubitatam fidem facio, ſicut pluries edocuit me experiētia, inter

omnia

omnia Italiæ Balnea, quæ impetigini conuenientia ſunt, unum inuenitur, quod & ſui minera, & natura, quam ei Deus conceſſit, indubitato Nobilem hanc Dominam ad ſui iam habitam ſanitatem conducet, Quippe ſi Domina hæc, ea aggrediatur Balnea duobus annis non intermiſſis, & tempus acceſſus ad ea, eſt à ſecunda parte Menſis Madii, in quo Nobilitas ſua Balneetur omni die moram trahendo in eo per ſex horas, & alternis diebus de mane diluere debet ſibi caput tonſis capillis aqua prædicta, & inde id bene exſiccare. Tempus autem, quo continue Domina hæc Balneo ſubmitti debet eſt, donec finierit totus menſis Iunii, & reuertetur Dei gratia munda, ab omni cutis defedatione. Vade igitur Nobilis mulier cum fide, & ſpe ſalutis tuæ erga Deum, ad hæc Balnea, & fides tua te ſaluam faciet. Hæc autem Balnea in Comitatu Piſano exiſtunt, ab omnibus nunc temporis Balnea de aqua nominata. &c.

POTVS GVAICANI.

SEd uenirem ſecundo interrogandus. Nunquid potus aquæ ligni guaicani foret Nobilitati ſuæ conueniens ſalutis ſuæ medicamentum, cui dico, quod peractis purgationibus, & præcedente ſanguinis per hæmorrhoidas miſſione quemadmodum etiam id fieri debet, ante ingreſſum Balnei de qua, ſiue uernale, ſiue autumnale tempus adfuerit, cum in ſua affectione aquam decocti ligni guaicani contumacem non reperiam. Lata mente iuberem, Nobilitatem ſuam eius ligni potui ſubmitti debere. His omnibus obſeruatis, quæ ad uictus rationem attinent. &cet.

CAVTERIVM.

SEd tertio uenirem interrogandus. Nunquid per opus, quod

quod urendo medicus exequitur, Nobilitas ſua ſanitatem concapeſcere ualeat, huic dico quòd cum diurna euacuatio, in diuturnis morbis perſeuerans, & ſenſim facta, maius obſequium ducat, quam repente, & præcipitanter facta, ut docuit Galenus primo aphoriſmorum, commento uigeſimo quarto, & ſecundo aphoriſmorum, commento nono. Admouerem ſuæ Nobilitati duo cauteria, unum quippe in brachio dextro, alterum in crure ſiniſtro, & hoc iuxta præceptum Galeni ſexto, de morbis popularibus, & Albucaſis, ubi aiunt. His uſtionibus exactis, humores praui, qui totum corpus occupant, foraminibus illis ad extra corpus ducuntur. Ad laudem Dei, qui me ſeruet, & protegat. Amen. &c.

FINIS.

AD MORBVM GALLICVM.

cui adiuncta erat ſpecies quædam uertiginis, & ſcotomiæ,
Cum hernia inteſtinali ferè a pueritia,
Pro Reuerendo Domino Bartholomæo Vicentino,

Conſilium XXXIX.

REuerendus, & Nobilis Dominus Bartholomæus Vicentinus patitur affectionem illam, quam gallicam ſolent appellare, cum quadam ſpecie uertiginis & ſcotomiæ, & cum Hernia inteſtinali ferè à pueritia. Quibus omnibus affectionibus R.S. à nobis ſalutaria petit remedia, cui ego ſatisfacere cupiens, unicuiq; earum affectionum, remedia conducam, ut deo fauente ad illam, quam iam habuit ſanitatem reuertatur.

CVRATIO MORBI GALLICI.

IVbeo, ut ſequentem diætam R. S. omni diligentia conetur obſeruare, cum omnium ægritudinum potior cura ſit uictus ratio, auctore Galeno in libro experimentorum, capite ultimo. Eligat primo ſibi aerem non admodum calidum, uel frigidum, ne ſui intenſo calore humores adurantur, cuius morbi aduſtio eſt conſocia, & ſui intenſo frigido intus materiæ compingantur, admodum neruis nocuo. Illius igitur aer non multum recedat à temperamento, potius tamen per calidum naturæ amicum, & humorum concoctiuum, quàm per frigidum undequaque D. S. nocuum inimicatur enim frigus nedum

naturæ,

naturæ, uerum & neruis, & iuncturis, in his dolores progignens. Hortor igitur, ut muniat ſe, & ſua membra in temporibus frigidis [condecenti pannorum] coopertura, ne ea frigido lædantur. Quippe ſit aer illius non admodum humidus, cum ſui inſigni humiditate ſuperfluitates progignat, & membra, & totum corpus grauitantes. Vitet igitur aerem pluuioſum, & nebuloſum, & habitare loca humida, paludoſa, & prope aquas ſita. Erit igitur aer in paſſiuis ei conuenientior, & temperamẽto parum ſiccior, quoniam temperatior ſoluit eas, quas ſolent corpus grauitare ſuperfluitates, & humiditates, caueat igitur R.S. ab auſtrino flatu, cum ei non adhuc ſit conueniens flatus ab Aquilone.

Panis eius ſit de tritico, & non de aliis granis quoniam nedum non ſunt naturæ amica alia grana, uerum neque boni alimenti. Sitque panis eius de ſimula ideſt flore farinæ, quoniam cum hoc quod cito permeat, & digeritur, eſt & boni ſucci, generatiuus, & ſit panis recens, non unius diei ſed trium ad plus, & non diu aſſeruatus, ſit condecenter coctus, & non quæ exteriora ſunt cruſtacea, uſta, obaridaque ſint, interiora uerò incocta, hic enim deterrimus eſt panis & R. S. admodum contumax, & non repleat ſe multo pane quoniam ex eo repletio eſt omnibus mala.

Vinum eius, quod ex communi uſu bibere debet, non ſit album, quoniam uias aperit, & ad membra humiditates conducit & eas grauitat, atque dolores ingerit, non ſit nigrum, quoniam ſui ſtipticitate materias in membris detinet, ſed ſit coloris mediocris, quem cereſolum ſolent dicere non ſit craſſum, non dulce, non turbidum, non nouũ, omnia hæc uina ſunt R. S. inimica, & non ſit forte, non acetoſum, ſed pauciferum, & mollis ſaporis, & ex ſui aſſuetudine parce bibat, & niſi comederit non bibat, caueat igitur à conſortio eorum, qui bibuli cognoſcuntur.

Carnes eius, quas ex communi eſu comedit ſint pau-

cæ quantitatis, & boni chimi progignentes, atque bonæ cōcoctionis,& facilis tranſitus,ut ſunt carnes gallinarum, çaponum, perdicum, faſianorum,francolinorum, & omnium auicularum montanarum,& aliarum degentium in pratis,& arboribus,ut ficedulæ,turdi,merulæ, turtures,& huiuſmodi. Iuuenes cuniculi, uituli, hædi, ſunt ei conuenientes,& caſtrati.

Carnes craſſorum, & uetuſtorum animalium, & peditantium, ſunt D. S. contumaces, ut bubula caro,& ſuilla, ceruina, ouilla,& antiqui caſtrati,& huiuſmodi, omnium animalium aquas habitantium ſunt ei contumaces carnes,& anſerum,anatum,& ſimiles.Caueat ab omnibus carnibus ſalitis, quoniam ſal anxietatem parit, & maxime moleſtum cerebro eſt, & epati, quæ ſunt membra primo patientia in gallica affectione.

Piſces à tota ſui natura R.S.contumaces ſunt, quoniam frigidi omnes,& humidi ſunt abundanti humiditate,maxime ei noxia. Vbi uerò piſces eſſent de libero mari,uel de ſaxoſo torrente, non admodum eſſent ei contumaces, dum elixentur,uel aſſentur,& in patellis nullatenus frigantur.Saliti piſces ſunt ei admodum nocui, & omnia condimenta,quæ multo condiuntur ſale ſunt ei contumacia.

Oua recentia admodum ei conueniunt, in aquis elixata,uel ſub cineribus cocta,& non in patellis frixa, quoniā ſibi ipſi fumum edunt,& diu aſſeruata oua, & dura nocua ſunt ei,ſed tremula & ſorbilia conuenientia, & præſertim uitellus.

Caſeus,niſi recens fuerit, & unius diei eſt ei incommodus,quoniam craſſum, uiſcoſum, & hærentem progignit humorem,qui membris, & iuncturis hærens dolorem, & grauedinem ingerit,& malum in ſtomacho conducit chilum,& quoniam butyrum inflammabile eſt, facile in calidum humorem uertibile,ideo ei nocuum pronuntiamus, & quoniam lac in ſtomacho debili facile putreſcit & quibus

bus ilia tenduntur, & capiti nocet, R. S. ipſum denegamus.

Legumina omnia, & quæcunque ſpiritum flatuoſum progignunt ueluti caſtaneæ, & quicunque fructus humidi ſunt. ut poma, pira, ceraſa, & huiuſmodi ſunt D.S. contumacia,& cocta minus lædunt incoctis. Vuæ uerò recentes, & ficus, non admodum ei nocuæ ſunt.

Omnia condimenta ex paſta omnibus ſuis affectionibus noxia ſunt.

Omnia aromata, & ex his condimenta ſunt admodum R. S. rebellia, ut piper, zinziber, crocus, gariophylli, ſui enim acredine humores adurunt. Vbi uerò parum de cinnamomo uteretur, non ſibi nocuum erit.

Olera quæcunque frigida,& humida ſunt, ei non conueniunt, ut beta, ſpinachia lactuca, & huiuſmodi. Caules admodum ei nocent,& ſibi conueniunt, borago, buglosſum, betonica, hyſſopus, ſaluia,& roſmarinus, fœniculus,& petroſelinum.

Caueat à ſomno ſuperfluo,& meridiano, quoniam omnium membrorum facultates grauitat, & eorum iuncturas humiditatibus replet.

Quies eſt D. S. rebellis ob gallicam diſpoſitionem ſuperfluus etiam motus admodum ei contumax eſt, ob id quod laborat de uertigine, & hernia inteſtinali, modeſto igitur utatur exercitio, cum ſtomachus non aggrauatur cibo,& eſt hora, qua uirtus operatur complementum digeſtionis, ut per duas horas ante prandium, & cænam.

Caueat à ſuperflua repletione, tum cibi, tum malorum humorum. Conſulo igitur ubi Dominatio S. multo ſe impleuerit cibo, ſi prandendo hoc fecerit abſtineat ſe à cæna, ſi uerò cenando à prandio, & tunc temporis etiam parco utatur cibo. Vbi uerò ſe humoribus repletum cognouerit, conſulo, ut tunc capiat ſequentes pillulas, per duas horas ante cibum. Recip. pillularum maſticinarum

 conciliatoris,

conciliatoris, pillularum elefanginarum, ana drach. med. fiant pillulæ numero quinque triſtes animi cogitationes, & melancholicas fugiat, quoniam noſtra corpora extermi nant, lætetur igitur, & in iucunditate uerſetur, & bene ſperet de ſua ualetudine, quoniam bona confidentia eſt magna pars curæ. &c.

CVRATIO MORBI GALLICI PER MEDICINAS.

Conſulo, ut aduentante principio ueris, cum ſit tempus idoneum purgationibus primæ purgationi ſub mittatur. In primis igitur per duas horas ante prandium ſumat ſequentem bolum.

Recip. floris caſſiæ nouiter tractæ drachmas decem ſpecierum ieræ ſimpl. drachmas. ii. miſce, & fiat bolus cum zuccharo.

Sequenti uerò die tribus continuis diebus ſumat in diluculo ſequentem ſyrupum.

Recip. oxymellis ſimpl. ſyrupi de fumo terræ, ſyrupi de endiuia, mellis roſati col. ana. Vnc. med. aquarum fumi ter ræ, betonicæ, cichorii, buglosſi, ana Vnc. i. miſce.

Eodem tertio die, in mane præcedente lenitione uentris cum clyſteri, communi, conſulo, ut aperiatur uena commu nis dextri brachii, ſanguiſque extrahatur ad quantitatem quattuor unciarum. Demum per duos dies ſequentes con tinuet ſyrupum ſuum.

Sexto uerò die per duas horas ante lucem, ſumat ſequẽ tes pillulas ſuperdormiendo.

Recip. pillularum aurearum nicolai, pillularum de fumo terræ, agarici trociſcati. ſcropul. i. cum ſyrupo uiolato fiant pillulæ numero quinque.

Purgato corpore quieſcat patiens per quattuor dies, & regat ſe cibariis laudabilibus, & boni nutrimenti, nimiam fugiendo repletionem.

Quinto

Quinto uerò die iterato purgetur, & capiat tribus diebus continuis ſequentem ſyrupum in aurora.

Recip.ſyrupi de lupullis, ſyrupi de fumo terræ, mellis roſati col.ana.Vnc.med.aquarum lupullorum,fumi terræ, cichorii,ana vnc.I.miſce.

Tertio uerò die faciat de mane, ſecundam phlebotomiam ex ſaluatella ſiniſtræ manus, cum extractione ſanguinis quattuor unciarum.Demum duos alios continuet ſyrupos uel tres, & ſequẽte die per duas horas ante lucem ſumat ſequentes pillulas.

Recip.pillularum fœtidarum,pillularum de hermodactilis,pillularum de fumo terræ ana.ſcropul.i.cum ſyrupo uiolato fiant pillulæ numero quinque.

Purgato corpore quieſcat patiens per ſex dies,regendo ſe cibis boni nutrimenti uſu tamen moderato.

Sequente uerò die iterato purgetur,& ſeptem continuis diebus in diluculo capiat ſequentem ſyrupum.

Recip. ſyrupi de pomis compoſiti.Vnc.i. ſyrupi de fumo terræ,ſyrupi de lupullis,ana vnc.med. aquarum lupullorum,fumi terræ,betonicæ,ana.vnc.I.miſce.

Die uerò quarto aſſumptionis ſyruporum,faciat ſibi apponere ueſperi per duas horas ante cænam quinque ſanguiſugas hæmorrhoidibus, cũ extractione ſanguinis quattuor unciarum. Octauo uerò die, uel nono, ſumat per duas horas ante lucem ſequentes pillulas.

Reci.agarici præparati,dra.med.pillularũ de fumo terræ ſcro.ii.& med.cũ ſyru.uiolato fiãt pillulæ numero quinꝙ.

Purgato corpore quieſcat patiens per quattuor dies, in quibus præparetur ſequens balneum, in quo per ſeptem dies alternis tamen diebus debet ingredi in aurora calido à collo infra, & in eo morari in proportionato uaſculo ad minus per dimidium horæ maius uerò tempus eſt hora, & cum egreſſus fuerit ex Balneo bene totum corpus abſtergat, & confeſtim ingrediatur lectum calidum,

dum,& pannis bene coopertum, & dormiat per duas horas,uel ad minus quieſcat, abundanter ſudabit, abſtergatur, & ſurgat,& ſtatim capiat infraſcriptum bolum,ſupra ipſum bibendo uncias quinque aquæ endiuiæ, & non comedat,niſi per quattuor horas poſt.

Recip. zucchari roſati,zucchari uiolati. ana.drachm.iii. miſce.

Vltimo uerò die balneationis,conſulo,ut in exitu à balneo ad ſit ſtupharius,qui ei imponat ſexdecim cucurbitulas, uidelicet, quattuor in ſpatulis, quattuor in brachiis, quattuor in natibus, & quattuor in coxis, cum extractione ſanguinis modeſta, demum ingrediatur lectum modo dicto.

Præterea conſulo, ut per decem dies continuos poſt balneum in aurora ſuperdormiendo ſumat uncias ſex iuſculi carnis caponis bene conſumptæ detracta pinguedine, cum modico zucchari.

Præterea conſulo ut poſt tempus potus iuſculi aſſueſcat omnibus decē diebus ſumere ante *diluculum* ſequentes pillulas.

Recip.pillularum de fumo terræ,pillularum aurearum nicol.ana ſcropulum unum,cum ſyrupo uiolato fiant pillulæ numero tres.

Vbi uero forte fortuna his non ſaneſceret R.S. conſulo, ut non ſubmittatur inunctioni ex mercurio propter nocumenta, quæ ſuæ Dominationi facile contingere poſſent, eam autem deuenire ad potum decoctionis aquæ ligni Guaicani cum conuenienti ordine & modi,dietæ,non poſſum uituperare,ſed ſumme laudare. &c.

DESCRIPTIO BALNEI FIENDI.

Recip. florum ſtæcados arab. florum ſtæcados montani betonicæ, ſaluiæ, iuæ, herbæ paralyſis,roriſmarini,

ana

ana M.I.& med. pulegii, calamenti, ſampſuci, camedryos, camepityos,ana.M.I.& med.florum chamæmeli,mellıloti, aneti, abſinthii,feni greci,ſem.lini,ana manipulum unum radicum acori,rad.peoniæ,galangæ,zedoariæ,ana manipu lum medium.Roſarum rubearum, granorum mirthi,ba- lauſtiarum,corticum granatorum,ana manipulum unum miſce,& bulliant ſecundum artem,in ſuff.quan. aquæ uſq; ad conſumptionem quartæ partis,deinde coletur, & uſui ſeruetur.

Vbi uerò hæc non in totum patientem ſanarent,conſu lo,ut fiant duo,uel unum cauterium in cruribus infra ge- nu per quattuor digitos in parte ſylueſtri, ſublime inquã remedium eſt tale in omnibus eius affectionibus, quoniã ea conducunt à toto corpore ſuperfluitates, & diu relin- quantur aperta,ut natura aſſueſcat illi parti. &c.

CVRATIO AD VERTIGINEM.

COnſulo,ut R. S. ſemel in ſeptimana ueſperi cum ibit dormitum,capiat ſequentes pillulas.

Recip.pillularum de agarico meſuæ,pillularum de iera Nicol. ana ſcropulum unum, miſce cum ſyrupo uiolato fiant pillulæ numero tres.

Item conſulo, ut quotidie per tres horas ante prandiũ capiat de ſequenti ellectuario ad quantitatem nucis.

Recip. diagalangæ,aromatici roſati,diadraganti frigidi ana Vnc.I.miſce. &c.

CVRATIO AD HERNIAM INTESTINALEM.

COnſulo, ut purgato corpore cum prædictis, & in- tromiſsis inteſtinis, applicet rupturæ de ſequenti ce- roto quantum expedit, & non amoueat illud per

triginta

triginta dies,& eſt mirabile,& expertum.

Recip.terræ ſigillatæ,mumiæ,ſanguinis humani,ſanguinis draconis,ana drach.ii.boli armeni, litargirii,opoponacis, galbani, ana drachm.ii. & med. nucis cupresſi, nucis muſcatæ,ana drach.i.& med. roſarum rubearum, drach.ii. thuris.drach.med. corticum thuris.drachm.ii. ſarcocollæ. drach.iii. acatiæ drach.ii. & med. balauſtiarum, corticum granatorum,ana.drach.i.& med.conſolidæ maioris,conſolidæ minoris,drach.i. & med. ſanguinis hircini, ſanguinis ranarum,ana. drach.i. pellis cum pilis leporis, pellis cum pilis ericii, ana drach.i.& med. gallarum, drachm.i. gipſi, drach.ii.tasſi barbasſi.drac.i.& med. picis hyſpanicæ.dra.i. gummi helenii, drach.i. & med.maſticis, drach.i. & med. conſolidæ mediæ.drach.ii.gummi arabici.Vnc.i.dragaganti.Vnc.i.& med. picis græcæ.Vnc.med.colofoniæ.drach.ii. ſanguinis ueſpertilionis drach.ii.pulueris pillorum talpæ. drach. i. pulueris mirthi. Vnc. med. omnia pulverizanda pulverizentur ſubtiliter, & gummi diſſoluantur in aceto forti, & cum oleo de abiete fiat cerotum. Cuius pars extendatur ſupra corium,& applicetur. &c.

FINIS.

AD MARASMVM,

Pro Magnifico Franciſco Sorego Patritio Raguſeo,

Conſilium XXXX.

NObilis, & Magnificus Dominus Franciſcus de Sorego, Patricius Raguſeus, maraſmo, ſeu ethica ſenectutis afficitur. Eſt quippe in eo conſumptio humiditatum totius corporis cum Dominio prauæ temperaturæ ſiccæ, & hoc Maraſmum, ſeu ethicam ſenilem dixit Galenus ſexto, de locis affectis, capite ſecundo, & quarto, de cauſis pulſuum, & Auicenna prima quarti, capite proprio. Cum enim eius affectio fixa ſit, ethica nominari conſueuit, auctore Galeno libro ſecundo de criſibus, capite nono, & in libro, de inæquali temperatura, capite primo, ubi ait. Ethicæ nomen deriuari à fixione, & eſt nomen apud græcos, & ſenilem quidem hanc nominamus: Cum ſenis temperatura frigida ſit, & ſicca, auctore Galeno quinto, de ſanitatis tutela, & hæc porrò affectio frigida eſt, & ſicca, iuxta illud Galeni libro primo, de tabe, capite primo. Tabes eſt corruptio minuentis corporis ex ſiccitate, non ab re affectionem hanc ethicam ſenilem ſimilitudine temperantiæ etatis ſenilis nominabimus.

SIGNA.

INdicia autem comperte affectionis in nobilitate ſua. ex pulſu primo habentur dixit Galenus quarto, de cauſis pulſuum, capite decimo. Pulſum æthicæ ſenilis paruum & rarum, & addit Princeps ipſum eſſe tardum. Sanè ſecundum omnes has diſpoſitiones, eſt pulſus S. D. ſecundum indicium ab habitudine corporis arefactio, & exſiccatio corporis manifeſta, & à qualitate mutata, quonian non

adeſt calor, immo ad tactum eius corpus plurimum frigi-dum percipitur,& ab exeũte mutato, quoniam urina eius ſecundum plurimum eſt alba,ſubtilis,& aquoſa,& quia in diſpoſitionibus ſuis eſt ueluti ſenex decrepitus , non ab re his indiciis apparentibus in D.ſua,rectè à nobis decretum eſt,eum laborare ſenectutis æthica.

CAVSAE.

NEmpe ſuæ affectionis cauſæ primitiuæ fuerunt, quæ-cunque extrinſecus ei accedentes admodum exſicca-runt, & præſertim itinera longa , in quibus facile calor in-tenditur,& corporis humiditates plus conſumuntur, quã ſit earum tranſitus in nutrimentum, & nimia mentis agi-tatio,& aſſidua negotiorum ſolicitudo,quibus ſpiritus & calor innatus diſſoluuntur,nequeuntes alimentum regere ad bonam concoctionem,& nutritionem,& nimia ambiẽ tis frigiditas mortificans naturales facultates membrorũ corporis,ueluti anno iſto. M D XXXV. accidit Venetiis, ubi tunc temporis Nobilitas ſua moram traxit. Cauſa ue-rò una de præcedentibus fuit,quam habuit à primis gene-rantibus,qm̃ ipſe natus eſt ex matris utero quantitate cor-poris inſigniter paruus,exilis,& ex toto imbecillis,ob quã rem à generante omnes eius facultates præſertim natura-les debiles ei adfuerunt , & huic cauſæ iungitur altera ex-trinſeca cauſa, quoniam plurimum temporis ſugit lac nu tricis prægnantis,uel nullum , uel paruum ſuccum progi-gnens: Quo fit, ut à principio illaudabili nutrimento to-tius corporis membra dilaniata ſint , extenuataque & ex hac conſecuta eſt alia cauſa præcedens , quæ fuit debilitas caloris naturalis , & uirtutis nutritiuæ totius , & corporis partium , & inde reſolutio eiuſdem caloris , non potentis gubernare nutrimentum. Cauſa uerò contentiua ægritudi nis D. ſuæ, eſt temperaturæ frigidæ, & ſiccæ, nunc tempo-ris dominantis prauitas in corpore toto , cum imbecilli-tate totius corporis , quæ à propriis actionibus prohibet

uirtutem digeſtiuam,& nutritiuam. &c.

CVRA.

COmmunis intentio curationis morbi D. ſuæ, eſt ipſius cauſæ deperditi reſtauratio,& caloris naturalis augumentatio,& ſpirituum regeneratio. Quò fiet,ut omniũ membrorum facultates præſertim concoctiua, & nutritiua ſimul concreſcant. Completur autem hæc intentio duabus particularibus intentionibus. Prima ex regimine uictus currente per ablationem,ſex rerum non naturalium. Secunda uero ex medicinarum applicatione. &c.

AER.

PRimo initium capiat ab aere, cum ipſe ſit de maxime alterantibus noſtra corpora, ut ait Galenus tertio artis medicæ, & dixit nono methodi. Ambiens is eſt, ſine quo nec ſanitas teneri,nec morbus tolli poteſt. Eligat igitur ſibi D.ſua aerem contrarium qualitati ſuæ affectionis, & temperaturæ, quæ nunc temporis ei facta ueluti naturalis,quæ cum ſit frigida & ſicca, aer habitationis ſuæ debet eſſe calidus,& humidus, & non ſit plurimæ caliditatis aer, plus enim corpus exſiccaret, neque plurimæ humiditatis ne actionem caloris obtundat, & nutritionem impediat. Sit igitur recedens à temperamento per calidum & humidum non multum. Veluti eſt aer,cuiuſdam uillæ in Comitatu Raguſiæ nomine Slano, uel in alia uilla eiuſdem Comitatus nomine,Canale. Eligat igitur. D.S.ſibi aerem non craſſum,& nebuloſum, cluſumque nullum recipientẽ perflatum,nec qui ob ſtagnum fœtidum, uel flumen uicinũ, turbidus, & nebuloſus eſt aer ſibi conuenit, ueluti in ſuo Comitatu: Aer illius uillæ nominatæ ſtagno,uel illius nominatæ Vmbla. Ibi enim mixtione dulcis aquæ cum ſalſa aer uitiatur. Proinde locum, & domum ſibi conducat, in quo non ſit aer incluſus defectus perflatum ſuſtinens,ille enim aer omni ætati noxius eſt. Quòd ſi talem aerem calidum,& humidum per naturam non habuerit,ex arte cõ

multum conueniunt, tum etiam quoniam ex elixatione ſiccitatem perdunt, acquirunt humiditatem nutritiuam ſatis conuenientem ueluti ſunt faſiani, perdices, coturnices, frigelle, & etiam omnes auiculæ degentes in arboribus. Quæ uerò in aquis uiuunt ſunt omnes malæ, quoniam ſunt malæ digeſtionis,& etiam malum ſuccum progignunt,ut ſunt anſeres,anates, & ſimilia. Et eius omnes carnes ſint elixatæ,& non in ueru toſtæ, quoniam toſtæ difficulter ad membra penetrant, facile uerò, quæ in aqua ſunt elixatæ. Et recordare quod in decoctione ſuarum carnium ſemper bulliant pedes uituli, uel agni, uel unius caſtrati. Et ſi hæc animalium extrema non habuerit cum ſuis carnibus ebulliat modicum de gummi arabico, & dragaganto.

Et nota, quòd caro teſtudinis ſic alixata, uel limachiarum cum gummi arabico, & dragaganto. D. S. optimum edulium erit, & melius ſi in lacte per diem unam prius infundantur, & demum in iure pullæ pinguis elixentur, uel in eodem lacte concoquantur. Item caudæ cancrorum fluuialium in lacte infuſæ per diem, & coctæ in iure pingui, ſunt ei admodum conuenientes. Item fercula facta ex pane trito in butyro pingui conuenientia ſunt, item ferculum illud, quod fit ex uermiſellis de pane coctis cum lacte, & zucchαro; & farina riſi in iure pingui,eſt ei ualde utile.Item ferculum ex boragine, & lactuca,coctis,& bene tritis in iure gallinæ pinguis, cum lacte,& zuccharo eſt multum conueniens,& nota,quod eius cibus non debet eſſe multus, quia uirtus debilis non poteſt multum cibum concoquere, ſed debet partiri in quattuor uicibus ab inuicem diſtantibus per ſex horas, in prandium ſcilicet, & cænam, in quibus lautius comedat, in collationem meridianam, & nocturnam, in quibus capiat ſcutellam unam iuris conſumptionis carnis pulli, cum uitello oui recenter nati, & modico cinnamomi,

momi, & oua recenter nata eodem ſcilicet, die elixata, in aqua ſunt ei conuenientia, & non alio modo cocta, & ſint tremula, & non dura. Vbi igitur D. S. aliquando non uellet ueſci carnibus ſit contentus duobus ouis recenter elixatis cum ferculo de antedictis, quia aliquando in nocte loco collationis nocturnæ ſi uellet ſumere ſequens condimē tum, erit ei utile ſcilicet, capere. Vnc. iiii. uini albi dulcis non potentis, & Vnc.ii. lactis, & uitellum unius oui, & miſcendo omnia lēto igne coquantur, & ſorbeat de nocte, & nota quod debet conari ſemper poſt cenam per unā horā dormire, uel duas, quoniam facit ad impinguandum. Et multo plus debet dormire quam uigilare, quoniam uigilia exſiccat, & ſomnus humectat.

Nota quod plus debet quieſcere, quàm exercitari. Quies enim humectat, & exercitium ſuperfluum exſiccat, uolo tamen, ut exercitetur mane, & ueſperi per horam ante cibum exercitatione breui, & moderata, ut calor naturalis ſolum excitetur ad cibum digerendum, & ad ſuperfluum reſoluendum.

Nota quod non debet repleri multo cibo, quia uirtus ſtomachi aggrauata non poſſet cibum concoquere, ſic plus corpus extenuaretur, nec famem ſuſtineat, quia magis exſiccaretur. Vbi uerò in aliqua hora fames inualeſceret, bonum erit, ſi aſſumat unum de infraſcriptis morſellis ordinandis.

Nota quod hylari animo uiuere, & ſuauibus cātilenis, & non turbari, nec iraſci, & ſemper bene ſperare de ſalute ſua eſt de melioribus rebus pro cura Dominationis ſuæ.

LAC.

LAc D. ſuæ magis idoneum eſt muliebre, poſtea Aſinæ, poſtea capræ, poſtea ouinum, poſtea uaccinum. Omne igitur lac eſt ei conueniens. Sed propter ſymboleitatem, lac humanum, & propter penetrationem lac aſinæ. Conſulo, ut in ſuis condimentis utatur lacte caprino, uel ouino,

& uaccino,

& uaccino, pro medicina autem utatur lacte humano,uel aſinino,& hæc de ratione uictus dicta ſint. &c.

DE EXHIBITIONE MEDICINARVM.

COnſulo,quod D.ſua quando erit in habitatione,quá ei ſupra ſtatuimus poſt tres dies ſuæ quietis capiat in diluculo ſequentem medicinam præcedente tamen clyſteri infraſcripto,facto die præcedẽte ad diem medicinæ ubi non habeat beneficium uentris.

Reci. foliorum maluæ,uiolariæ,florum camomillæ,ana manipulum unũ, bulliant in lib.ii.iuris pullæ ad conſumptionem medietatis,& coletur, & colaturæ adde zucchari rub. Vnc.I. & med . olei uiolati . Vnc. iii. ſalis communis. drach.ii. uitelli oui numero uno , & fiat clyſterium de mane ſtomacho ieiuno.

Sequenti uero die in aurora,capiat hanc medicinam,& dormiat ſuper eam per dimidium horæ.

Recip.Mannæ granatæ electæ. vnc.ii.& med.diſſoluatur in iure pullæ,& potui detur.Sequenti uero die incipiat ſugere lac à mamilla mulieris, in aurora uidelicet ; & in ueſperi poſt cibum per horam quando dormire uoluerit, & ſugat pro qualibet uice.Vnc.VI.prædicti lactis,& hæc lactis quantitas cognita reſeruatur in iudicio ſuo exiſtimatiuo, & ſtatim ſucto lacte dormiat. Sit autem mulier lactans ætatis ab annis uiginti, uſque ad triginta , carnoſa, ſanguinea, rubei coloris, læta, agilis, & ſollicita, eius cibaria ſint præciſé, ut D. S. ipſa tamen lautius uiuat,& aliis non utatur cibariis,& caueat ab aceto,& à ſalſis, & à coitu , & à cibis acutis,ut eſt piper zinziber,crocus,cinnamomum & ſimilia , & ſic continuet ſuctionem lactis per quadraginta dies continuos.

Vbi uerò in his diebus aluus eius ſtricta efficeretur,quod tamen non eſt credendum : Quia lacte ipſo ſolet uenter ſolui

ſolul,conſulo,ut alternis diebus ante prandiũ fiat ſequens clyſtere. Recip. iuris pullæ lib.i. olei uiolati.Vnc.iii. zucchari rubei.Vnc.i.& med. uitelli oui numero.ii.ſalis communis.drach.ii.miſce,& fiat clyſtere.

Vbi uerò eiſdem diebus dormire non poſſet, conſulo, ut D. S. utatur ſequentibus ingeniis.

Primum ingenium eſt,ut in ueſperi quando uult cubare fiant ſequentes lotiones à genu infra,& à cubitu ad manus calidæ. Recip.florum chamæmeli,florum uiolarum florum aneti,florum nymphex,ana manip.i.& med. corticum mandragoræ manipu.med.ſem. hyoſciami albi,Vnc. med.miſce,& bulliant in ſuff.quan.aquæ, ad conſumptionem tertiæ partis, & uſui ſeruetur.

Secundum ingenium eſt,ut facta lotione prædicta,mox ungantur tempora,& pulſus manuum,& pedum cum ſequenti unguento. Recip. olei nymphex,unguenti populeonis.ana.Vnc.med.croci opii,ana gran.iii. miſce pro linimento.

Tertiũ, ingenium eſt,ut cum ſequenti uino calido in ingreſſu lecti diluantur aures,& nares. Recip.uini albi dulcis lib.med.ſem.hyoſciami albi.drach.ii.miſce, & bulliant uſque ad conſumptionem medietatis, & coletur, & uſui reſeruetur.

Quartum,ingenium eſt, Quòd ſi poſt potum lactis immediate per horas tres,nõ dormiret, capiat infraſcriptum potum. Recip. ſyrupi de papauere, aquæ lactucæ, ana. Vnc.ii. miſce pro una uice.

Finitis diebus quadraginta ſumptionis lactis mulieris, conſulo, ut per decem dies conquieſcat ab illo lacte, & quolibet mane alternis diebus una hora capiat ſequens clyſtere. Recip. iuris decoctionis gallinæ pinguis, & pedum, uel capitis caſtrati lib.i. uitelli oui numero.ii. butyri loti,Vnc.iii.miſce ſine ſale, & fiat clyſtere.

Illo uerò die quo non capiat clyſtere, intret balneum ſe

quens

quens in diluculo,& in eo trahat moram per horam, uel ad minus dimidium horæ.

Recip.aquæ dulcis claræ.lib.CCL. capitum arietum, uel caſtratorum, numero.iiii. pedum caſtratorum nume.VIII. gallinarum pinguium, numero.iii.bulliant inſimul uſque ad conſumptionem carnium capitum, & aliorum, & illis abiectis D. S. intret toto corpore citra caput tinam dicti balnei calidam, & in exitu à balneo facta aliquali abſterſione ungatur totum corpus ſequenti oleo.

Recip.olei ſiſamini,olei amigdalarum dulcium,ana partes æquales, & adhuc modicum iterato ungatur totũ corpus excepto ſtomacho,cum oleo roſato,& ſtatim capiat ciphum unum lactis mulieris recenter mulcti,uel aſinæ, uel capræ, uel ciphum unum iuris pinguis caponis, & ſtatim ingrediatur lectum, & duabus dormiat horis, uel ad minus quieſcat,ſi dormire non potuerit,& ſic alternis diebus procedat per illos x. dies uno quidem die cum clyſteri,altero uerò cum balneo, quoniam in his diebus uirtus humectatiua,& reſumptiua reperietur.

Poſt uerò illos x.dies reuertatur ut prius ad lac muliebre,uel aſininum,& continuet per alios quadraginta dies, ut ſupra.Quibus finitis,iterato ſe exponat balneo & clyſteribus ut prius præciſe per decem dies continuos,poſtea iterum ſe exponat potui lactis procedẽdo ſic modo cum balneo,modo cum lacte per totum hybernum tẽpus futurũ. Quòd ſi deſideriũ non adipiſcatur eodem præciſæ modo exponat ſe his aduentante uere,& futura æſtate.

Et nota, quòd D. S. eo tempore, quo potat lac,poſt lactis ſumptionem de mane ſtatim inungat ſibi totum corpus excepto ſtomacho,cum ſequenti unguento, & ſtatim dormiat. Recip.olei ſiſamini,olei amigdalarum dulcium, medullæ ſpinæ dorſi uituli,butyri recentis loti, lactis mulieris, ana.Vnc.iiii.ceræ albæ quant. ſuffic. fiat unguentum molle.

Nota quod illa hora, qua facit collationem diurnam, & nocturnam, quæ eſt cum aſſumptione iuris pinguis, conſulo, ut capiat. Vnc.I. infraſcripti electuarii, & illa hora debet relinquere uitellum oui, non ponendo ipſum in iure illo, quod electuarium eſt de optime reſumentibus tabida corpora, ultra quod iuuat ad ſomnum. Recip. carnis teſtudinis nemoralis, carnis pulparum caponis, pulparũ faſiani, ana lib. med. contundantur optime, & molentur optime cum aqua ungulæ caballine. Deinde Recip. amigdalarum dulcium, pinearum, piſtaciorum, ana. Vnc.iii. contundantur optime, & cum dicta aqua madefiant, & carnibus miſceantur. Deinde Recip. ſem. papaueris albi drach.x. ex his fiant emulſiones, & cum aqua nympheæ, & cum prædictis miſceantur. Deinde Recip. gummi arabici, dragaganti, ana. Vnc. med. ſem. ſiſamini. drach.ii. penidiarum. Vnc.iii. cinnamomi electi drach.iii. florum boraginis, florum bugloſſæ, ana. drach.ii. conſeruæ corticum citrii. Vnc.I. & med. puluerizentur puluerizanda, & contundantur contundenda, & cum zuccharo diſſoluto in aqua uiolata, & ungulæ caballinæ conducatur electuarium, cui adde foliorum auri numero decem, uel cum zuccharo diſſoluto in aqua uiolata fiat confectio in morſellis. Nota, quod cum iſto electuario fieri ferculum D. S. multum conueniens eſt. Recip. iuris pulli pinguis. Vnc. VIII. prædicti electuarii. Vnc.I. & med. lactis ouini, uel caprini, uel uaccini, Vnc.iii. miſce, & bulliant unica ebullitione, & eſt optimum eduliũ ipſi in prandio uſitandum. Et conſulo quod prædictum electuarium in itinere ſecum portet, & de illo comedat quater in die naturali ad quantitatem, Vnc.I. pro uice, uidelicet, in diluculo, in meridie, in ingreſſu lecti, & in medio noctis, in quo itinere cuſtodiat ſe à radiis ſolis, & ab aere nimis calido, ne magis exſiccetur, & caueat à frigore ne mortificetur, & facultas contentiua, & nutritiua magis debilitaretur. Ideo pannis ſe muniat, uſu tamen moderato, &

recordetur

recordetur patiens aufugere phlebotomias, & qualeſcũq; alias ſanguinis miſſiones quantum fuerit ei poſſibile, quoniam ex his fit ſanguinis euacuatio, quo D. S. plurimum indiget in ſui reſumptione, quippe & ex his plurimum euaneſcunt ſpiritus, & admodum naturalis calor debilitatur. Quo fit, ut facultatis concoctricis, & nutritiuæ debilitate corpus plus tabeſcat. Nempe nec medicinis ſcammoneatis, atque laborioſe euacuantibus D. S. ſubmittatur, quoniam in eo magis peccant membra. Et eornm uirtutes, quàm humores, quo fit, ut ab his D. S. plus de iuuatiuo euacuaretur, quam de noxio.

Vnum tamen uolo D. ſuam obſeruare, & eſt, quod diebus, quibus non capiat lac, capiat. Vnc. VIII. infraſcripti conditi, & per duas horas ſupra dormiat, in eo inuenitur intẽtio humectandi, & facile nutriendi, & ſitim extinguendi. Et ſi quid caloris febrilis ipſum plerumque inuadat ab eo remittetur, & præſeruabitur. Recip. iuris pullæ pinguis, lib. I. hordei excorticati, & mundi. Vnc. I. gũmi arabici, draganti ana. drach. i. miſce, & bulliant uſque ad conſumptionem tertiæ partis, & coletur, & patienti detur cum modiculo cinnamomi.

Et Nota, quòd ſi D. S. laboraret alui ſtrictura, & clyſteria eſſent ei faſtidioſa, conſulo, ut per horam ante prandium aliquando capiat coclear unũ ſequentis mixturæ, qua uentrem excernet, & reſumptioni præſidiũ præſtabit non paruum. Reci. mannæ electæ vnc. ii. penidiarũ. vnc. ii. olei amigdalarum dulciũ recentis vnc. I. & med. iulep uiolati. vnc. ii. miſce. Et credat D. S. ſi ſalutaribus his præſidiis obtemperabit, bonitate Dei concurrente ad meliorem conducetur ſtatum. &c.

Benedictus Victorius Fauentinus, Primus ex ordine in Gymnaſio Patauino in re medica profitẽda Theoricus ſic dixit M D XXXV. XV. Maii.

POLYPI INFORMATIO.

OBtulit ſe mihi diebus iſtis caſus non minus Nobilis,quam difficilis, & ſtudio diligenti proſequendus. Caſus inquàm Magnificæ Dominæ Philippæ Vxoris Eximii legum Doctoris Domini Nicolai Randini Foroliuienſis amici mei Colendiſsimi, qui eſt polypus in nare ſiniſtra: iam ſunt octo menſes,coloris mixti albi,& rubei,nec ullo modo fuſci, uel nigri, nec duri, nec canceroſi notabiliter, & ad tempus quandoque completam reſpirationem prohibẽs per narem dictam ſiniſtram in dicta Nobilisſima matrona, à quo quidem humiditates profluunt ſine dolore,& qui Polypus quandoque elongatur & creſcit,quandoque uerò difficulter apparet,& deliteſcit ad tempus.

Quod autem nullo modo ſit cancer,nec eius principiũ, ſed uerè Polypus,uel hæmorrhois naſi, ſumemus differentiam poſitam à Principe inter hæmorrhoim naſi, & cancrum quinta tertii,dicente,quia caro nata ſi eſt poſt ægritudines in capite, & catarrhos eſt hæmorrhois, ſi uerò ſit poſt claritatem naſi,& poſt priuationem curſus,eſt cancer.

Raſis quoque nono Almanſo.capite iſto ponit ſigna ſimiliter diſtinctiua, quæ pro maiori parte ſupra, prætacta ſunt,idem confirmans.

Huiuſcemodi polypi cauſam ex dictis latenter habemus, & eſſe dicimus materiam phlegmaticam catharrhoſam à capite reumatizantem uitio malæ complexionis frigidæ cerebri, ſiue illam à generatione,uel à tempore contractam eſſe uelimus, nam à capite illius materia quandoque deſcendit ad crus, ad Tibiam, uel ad humerum, aut ad pectus, & quandoque ad ſtomachum, & ibi impedimentum facit,& quandoque ad narem deſcendens elon

gat polypum, & eum facit deſcendere, & maxime flante uento Auſtrali incurrit ſemper notabile nocumentum cum illius prolongatione,& tumore, cuius cauſa ſumatur ab Hippocrate aphoriſmorum tertia, aphoriſmo ſexto ibi. Auſtrini flatus grauant caput, & etiam ab Ariſtotele, prima problematum,problem.uigeſimo quarto,ubi quæritur propter quid in Auſtris flantibus grauiter ſe habent homines, tam in uirtute ſenſitiua, quam motiua. & cet.

Circa præſentem Dominam inſudarunt nonnulli ex noſtratibus Excellentisſimi Viri, uariis, & multis remediis per multos dies, tum per potiones, tum etiam per localia, & ab altero eorum tentata eſt uia per præcipitatum, & iteratum ſæpe, à cuius adminiſtratione deterioratio, & dolor, cum tumore loci ſemper ſequutus eſt.

Alter in aquis cauſticis diuerſis confidens nihil profecit, Alius confidens in remedio à ſe tantopere magnificato, quod eſt Dioſcoridis, capite de Dragunculo maiori & minori. & eſt Auicennæ capite iſto. Et Diui quoque Meſue. Practicatur quoque ab Vgone Senenſi in Conſilio nono, pro eadem cura, & regiſtratur à Mattheo gradi, capite iſto, & eſt ſuccus dragunculi per menſes aliquot continuatus, nihil proficui fecit.

Vocatus ego in cura prædictæ Nobilisſimæ Matronæ debito ſibi regimine ordinato,eidem conuenienti phlebotomia facta, poſt longam ſyruporum,& pillularum iterationem,& eiuſdem capitis roborationem, tandem uiſum eſt mihi canonicè,& ſecundum regulas artis operando, duce Domino Gradi materiam diuertere per cauterium in occipitio,ideſt in fontanella,ubi collum capiti iũgitur,à quo quidem remedio notabile ſequutum eſt iuuamentum, & materia pro parte alleuiata, Nam quæ ſi quidem per naſum ſolita fluere dictam excreſcentiam, & prolongationem

nem cauſabat, eadem per uiam hanc intercepta, rarius ad locum dictum confluebat. Veruntamen ſæpe uiſum eſt in dicta Domina per experientiam, quod ex flatu auſtrali ſemper deterius ægrotabat, & ita eadem Domina non eſt uoti ſui compos facta, nec ualetudinem aſſecuta prout ſua, & noſtra mens erat.

Quapropter cum tria inſtrumenta pro ægrotis conquirenda ſanitate ſubminiſtrentur, diæta ſcilicet, potio, & manualis operatio, teſte Auicenna quarta primi, capite primo. Cumque piiſsimum ſit cuilibet ægrotanti ſumma cum charitate prouidere, illis ego tantopere magis ſuccurrendum reor, qui mutua inter ſe beneuolentia coniuncti ſunt, qualeis nos ſumus, quique in medico benè confidunt. Ob id, ne amicitiæ uinculo deſim, neque illorum in me confidentia fruſtretur, operepretium duxi, ſi poſtremum remedium, & pariter utiliſsimum ſibi addidero, pro ſanitate adipiſcenda quod ſequens erit.

Dixit Raſis nono ad Almanſorem, capite de polypo: Si autem, quod in naribus exoritur caro *mollis* eſt, fluxerintque ex eis humores, & cum nares ſtringuntur, inueniuntur molles, & cum tanguntur, tactus non ſentitur ſolidus, non eſt timendum, quin ex medicaminibus acutis, & ferro mederi poſsit.

Dixit Auicenna quinta tertii, capite iſto, quæ ſunt ex diuiſione prima. S. molles, & albæ incidantur cum cultello paruo, quæ uerò ſunt ex diuiſione ſecunda. S. rubeæ, melius eſt, ut coquantur, aut cum medicinis acutis, aut cum igne, aut cum cauterio paruo ignito.

Diuus Meſuæ hanc ſententiam acceptat, & ea utitur in praxi. Idem docet Excellentiſsimus Nicolus flor. ſer. drac. ir. ſeptimo, & ſer. VII. ir. tertio, ſumma ſecunda, capite ulgeſimo ſeptimo.

Eandem opinionem ſequitur Mattheus Gradi, & in eo fecit bonam aduertentiam pro medicis notandam. Et

iſte

iſte eſt communis fere omnium excellentium uirorum.

Poſtremo addo quod cauterizatio in iſto caſu conueniat ex diffinitione, Auicennæ quarta primi, capite proprio dicentis. Cauterizatio eſt medicamen ualde utile iuuans ad prohibendum, ne corruptio ſpargatur, & ad confortandum membrum, cuius complexionem uolumus rectificare.

Super quem locum notat Excellenter Vgo Senenſis vir inſignis, quod complexio, quæ uigoratur per cauterium, maxime eſt complexio frigida, & humida materialis, qualis noſtro in caſu, cum cauterium ſui calore & ſiccitate opponatur illi malæ complexioni, cum etiam reſoluendo abiiciat illam, propter auctoritatem tantorum illuſtrium uirorum, cogor ad tenendum, cauterium actuale immiſſum per narem ſecundum artem à prudenti Chyrurgo eſſe cõſumptiuum, & eradicatiuum iſtius materiei, & adeo loci corroboratiuum, ut amplius non ſit reuerſura, addito tamen, ut complexio capitis iſtius Dominæ in totum ad contrarium permutetur, & perficiatur neceſſarium, immo impoſſibile fore, quin dicta Domina trasferat ſe ad Duciam naturalem, habentem uim talem qualitatem imprimendi in eo, & conſumendi dictam materiam, Quales Duciæ ſunt Senenſes, eſt etiam Sancta Maria in Bagno Romandiolæ. Aliter cum catarrhus ſit origo, & cauſa omnium ſuarum ægritudinum, & Dominetur huic Magnificæ Dominæ pro maiori parte, prout ſupra, & in quancunque partem corporis deſcendat, eidem ſit dominaturus, & reliquas corporis operationes impediturus, propter hæc, & per ſupra dictam ægritudinem Duciam naturalem poſtremo ſuo capiti conuenientisſimam fore adiudicaui, & conſilium ei dedi.

Ad Excellentiam tuam, qui es medicorum Cephas, ſplendor, & medicinæ decus refugium habemus omnia ſecundum prudentiam tuam moderaberis, & quam no-

bis

bis uiam oſtendes, eam ſequemur, nec ab ea (ſicuti noſtra intereſt) inquàm diuertemus. Vale, & Speronum alumnum tuum (ſicuti ſoles) ama, qui te colit, & obſeruat.

Excellentisſimæ tuæ obſequentisſimus filius.

Ioan. Baptiſta Speronus
Imolenſis Phyſicus.

AD POLYPVM

Pro Philippa Nobilisſima Matrona & Vxore clarisſimi iuris utriuſque periti Nicolai Randini Foroliuienſis,

Conſilium XXXXI.

DVbium mihi proponitur ab Excellente Doctore, & experto Chyrurgico, in uerẽdo caſu Nobilisſimæ Matronæ, Dominæ Philippæ Vxoris clarisſimi utriuſq; Iur. Doctoris Domini Nicolai Randini Forliuienſis amici, & fratris carisſimi.

Vtrum in Polypi curatione poſt infinita ingenia, quibus iam multi medici uſi fuerunt, & non contulere, deueniendum ſit ad manum Chyrurgicam, quidque agendum ſit finito opere manuali, ut Nobiliſsima hæc Domina conſeruetur adepta ſanitate, & præſeruetur, ne iterato in eandem concidat affectionem.

Huic reſpondeo, per duo capita. Primum fundabit cognitionem

gnitionem

gnitionem rei, ſecundum uerò petito ſatisfaciet.

Quantum ad primum. Sit primum noſtri fundamentum hoc, quod ægritudo, qua Domina hæc tenetur, uere Polypus eſt, dico hoc, quoniam narium affectiones tres genere ſunt, uidelicet, Polypus, ſarcoma, & ozæna, dixit hoc Galenus in libro de diffinitionibus medicis. Volens & ipſe intelligere nomina ſarcoma, quod naſi hæmorrhoides nominauit Princeps tertio canone, fen. quinta tractatu ſecundo. Dixit enim Galenus, ſarcoma eſt incrementum carnis in naribus præter naturam, ubi & Princeps idem dixit, cum ait. Hæmorrhoides quidem ſunt carnes additæ naſcẽtes. Vbi igitur generaliter loquamur ſarcoma comprehendet Polypum, & cancrum, ſi uerò ſpecialiter ſarcoma magnitudine ſola diſtat à Polypo, ut dixit Galenus. Vna enim medicinarum intentione curabuntur Polypus, & ſarcoma ut aſſeruit Auicenna ibidem, capite undecimo. Et Paulus libro tertio artis curatiuæ, capite uigeſimo quarto. Nempe cum non ozæna ſit illa, à qua in naribus hæc Domina tenetur, affectio, propterea, quoniam ulcere priuatur. Et dixit Galenus in de diffinitionibus medicis, ozæna eſt exulceratio in naribus, in immo fœtens, & graue olens, & Aetius libro ſexto, de re medica dixit, capite decimo nono. Sicut è genere ulcerum ozenæ. Et Paulus, lib. tertio, artis medendi, ubi ait ozæna uerò ulcus eſt carnoſum, ac putridũ, & quoniam patiens in naribus nullo tenetur ulcere, nequaquàm igitur ozæna turbatur, neque cãcro tenetur in naribus mulier hæc, quoniam & ſi tumor inæqualis ſit, non tamen aſper eſt, & fœdus, ſubliuidus, neque dolore infeſtans. Hæc enim cancri eſſentiam tollunt, ut eſt Galeni ſermo in libro de differentiis morborum, & Hippocratis in libro, de fracturis, & Pauli ſexto methodi curatiuæ, capite quadrageſimo quinto.

Relinquitur igitur Nobilẽ hanc Dominam Polypo uel ſarcomate in naribus teneri, propter ea indicia de quibus

doctus Chyrurgicus me certiorem fecit. Cuius recta mens confirmatur à Galeno in de diffinitionibus medicis, & à Paulo ſexto, artis, capite uigeſimo quinto, & ab Aetio ſexto, artis medicatiuæ, capite. XCI. Pro confeſſo enim habent Polypum eſſe tumorem præter naturam, qui in naribus concreſcit, qui ſubſtantiæ proprietate, colore, & conſiſtentia polypi marini carnibus ſimilatur, de quo ſermonē habuit Hippocrates ſecundo de ratione uictus.

Secundum fundamentum principale eſt Polypum ipſum ex craſsis, lentiſque humoribus originem trahere, dixit hoc Galenus in primo, de ſymptomatum cauſis, & Aetius, ut ſupra, & hii craſsi, lentique humores, ut dixit Princeps quinta tertii, ſequuntur ægritudines capitis & catarrhos. Quo fit, ut Polypus diſtet à cancro, in cauſa ſui ortus, ab atra enim bile connaſcitur cancer, ut Dixit Galenus in libro de morborum differentiis, & nō ſequitur catarrhos ſed claritatem naſi, & ægritudines capitis melancholicas, ut dixit Auicenna.

Tertium fundamentum eſt, ubi humores craſsi, & lenti à quibus Polypusconnaſcitur molles ſint, mollemque tumorem præternaturam in naribus progignant, illius facilis eſt curatio, molle enim & reſolutioni obedit, & inciſioni, atque abraſioni. Vbi uerò humores, à quibus Polypus originem habet impacti, denſique ſint, quibus tumor præter naturam in naribus progignatur aſper, duruſque, eius certè difficilis eſt curatio.

Quartum fundamentum eſt, Nobilem hanc mulierem conuenienti uictus rationi iam ſubmiſſam fore, eamque diligenti cura obſeruaſſe, ſicut decet, cum dixerit Galenus, in libro experimentorum, capite ultimo, nobilius inſtrumentum curationis morborum eſſe uictus rationem.

Quintum fundamentum eſt, eandem Dominam multis, & uariis ingeniis uſam fuiſſe; quibus nullum ſperatum iuuamentum adepta eſt.

Secundum

Secundum caput petitioni ſatisfaciet, per primam hanc concluſionem Polypi, qui aſperi, & duri, & ſubliuidi, atq; maligni ſunt, & laborantibus naribus obſtructionem & reſpirandi, & loquendi difficultatem ingerunt, manu Chyrurgica tangendi non ſunt, cum enim ad cancrum tendentes ſunt. Dixit Galenus ſexto aphoriſmorum, commento trigeſimo octauo. Hos curatione, quæ per ſectionem, uel uſtionem fit, iuſsit Hippocrates, non curare melius eſſe. Et dixit Galenus decimo quarto, methodi curatiuæ. Cæterum ſi quando catharrhum per Chyrurgiam curare audebis &c. pondera uerbum audebis. Eandem ſententiam uidebis à Paulo ſexto artis, capite uigeſimo quinto. Et dixit Auicenna, cuius uia eſt, blandimentum ſine inciſione, & raſione.

Secunda concluſio eſt Polypi, qui teneriores, & laxiores, atque torpentes, neque maligni, utpote ad cancrum, non tendunt, manu Chyrurgica ſunt admouendi. Concluſionem hanc habes ab Hippocrate, ſecundo libro de morbis, ibi ab eo plura inuenies ingenia ſecandi, uel urendi, uel abrodendi polypos cuiuſuis naturæ fuerint, & eadem dixit Paulo ſexto, artis, capite uigeſimo quinto, ibique expreſsit Chyrurgiæ modum, quo facile quis poterit uti. Eandem concluſionem dixit Galenus, in libro introductio, ſeu medicus, capite penultimo. Vbi ait, ut in naribus Polypum, qui in naribus naſcitur acuto ferramento ab oſſe reſoluimus, & nouacula poſtea radices demetimus. Corollarium ex hac ſequitur cum Nobilis hæc Matrona, in naribus Polypum patiens, Polypi indicia teneat, ut Excellens Medicus me certiorem fecit, quibus indubie Polypus ſuæ Dominationis tenerior, & laxior, & torpens, & non malignus ſit. Ideo læta mente uenio in eandem ſententiam, quam ſcientiſsime habet expertus, & Doctus Chyrurgicus Iohannes Baptiſta Speronus, mihi ut Filius, & di-

lectus, uidelicet, Dominam hanc ſic affectam, curandam fore manu urente, uel inciſoria, cum dei auxilio.

Tertia concluſio. Priuſquam Nobilis hæc Domina operi ſe ſubmittat manuali, regimine medicinali regenda eſt iuxta præceptum Galeni tertio, artis medicæ, & decimo quarto methodi curatiuæ, ubi edocet nos modum purgationis obſeruandum, priuſquam cancri curam tentemus, manu Chyrurgica, ubi ait. Cœterum ſi quando cancrum per Chyrurgiam curare audebis, cœpiſſe quidem abuacuãdo per purgationem melancholico humore oportebit, & hanc mentem habuit Aetius ſexto, artis medicatiuæ capi. XCIII. ubi ait. Vbi igitur, cum his, quæ proximè diximus, caput recte firmaueris, ad naſi curationem accedes. Idem quoque uoluit Auicenna quinta tertii, tractatu ſecundo, capite decimo ſecundo, ubi ait Alarnabet, uel Alarbian uerò eſt rectius, ut curetur cura manus, & illud quidem poſt diminutionem repletionis à corpore, & à capite.

Corollarium ex hac ſequitur, quòd cum polypus ex craſsis, uiſcidiſque humoribus originem habet, & maxime à capite defluentes ad naſum, ut iam dictum eſt prius amoueatur repletio cum pillulis cochiis, quibus iungatur uirtus ex elleboro, prius tamen humoris coctio præcedat ex oxymellite ſimpl. uel compoſito cum ſyrupo de betonica, uel de ſtæcade, & melle roſato.

Quarta concluſio, Vbi Nobilis mulier forte inciſoriam manum, uel uſtiuam non uoluerit admittere, quoniam uitium eſt ex capite ab humoribus craſsis, frigidis, & glutinoſis. Certe mundato corpore toto, atque capite, ut dictum eſt, Iuberem Nobilitatem ſuam aggredi Balnea ſulphurea, uel aluminoſa non fugientia uirtutem nitroſam, eorumque potu non utatur, ſed ſola Ducia ad commiſſuram coronalem, ut ſunt Balnea Sanctæ Mariæ in Romandiola, uel Apponenſia apud Patauium, uel Pitrioli, aut Sancti Philippi in Comitatu Senarum, quæ ſunt fortiora,

tiora, ſeruatis ſeruandis, ut ei balnea hæc ſacerrima dicantur.

Corollarium ſequitur ex hac. Vbi etiam Nobilis hæc Domina uſtioni uel inciſioni obediret; firmato uulnere, Conſulerem eam dicta aggredi Balnea, eſt enim caput origo ſuæ affectionis, cuius uitia admodum his Balneis corriguntur. Ad laudem dei. Amen.

Benedictus Victorius Fauentinus, dum primus ex ordine medicinæ theoricam in Patauino Gymnaſio profiteretur ſic Dixit. & cet.

FINIS.

AD ORIS ET NASI fœtorem,

Conſilium XXXXII.

CVm alias conſultum fuit per me in caſu Nobilis Adoleſcentis Germani affecti fœtore oris, & naſi, prout fœtor ille eſt nocumētū ſenſus odoratus, Quo ad ea quæ parti Theoricæ attinebant. Nūc uerò ut exquiſitè illius affectionis curatio Deo uolente optimum adipiſcatur finem, ea tantum conducam, quæ illius affectionis actum practicum concernunt, ut noſtris ſalutaribus remediis D.S. obtemperans liberè ſaneſcat.

Conſulo igitur primum, ut hyberno tempore peracto, & uere ſuccedente, in illius principio ſequenti utatur purgatione.

In primis fiat cauſæ præcedentis minoratio,ſumpto ſequenti bolo mane priuſquàm quinq; horis uentriculum impleat,paulumque ſubdormiendo. &c.

Recip. hyeræ ſimpl. Galeni. drachm.IX. fiat bolus cum zuccharo. &c.

Sequenti uerò die apud diluculum quolibet mane ſeptem diebus continuis, ſorbeat infraſcriptum ſyrupum calidum ſuperdormiendo.

Recip. oxymellis ſimpl. ſyrupi de hyſſopo, mellis roſa. col.Vnc.med. aquarum maioranæ,betonicæ, bugloſſæ,an. vnc.I.miſce. Tempore,quo his purgabitur ſyrupis,ſi illius aluus adſtricta fuerit,quotidie imponatur ſequēs clyſtere.

Recip. foliorum maluæ,bis maluæ, mercurialis,florum ſtæcados, ana manipulum unum, ſurfuris ligati in petia manipul.ii. bulliant in ſuffi.quan.aquæ uſque ad conſumptionem medietatis,& colentur,& de colatura Recip.lib.i. hyeræ ſimpl. drachm.VI. mellis roſati col. Vnc. ii. & med. zucchari rubei . Vnc. i . & med. uitelli oui numero.I. ſalis communis.drach.ii.olei communis.Vnc.iii.miſce, & ieiuno ſtomacho iniiciatur clyſtere.

Eodem quoque tempore cum poſt ſomnum ſurrexerit,utatur ſequenti caputpurgio calido.

Recip. aquæ hordei.Vnc.ii. olei amigdalarum dulcium Vnc.med.zucchari albisſimi pulueriżati.drach.I.cinnamomi puluerizati.drach.med. miſce,& his omnibus bene agitatis quantitatem ſufficientem ſurſum per nares trahat ſequentis liquoris, poſt uero ſtatim & ſemel trahat ſequentem liquorem.

Recip.lactis uaccini.Vnc.ii.aquæ uiolatæ.Vnc. med.miſce,& aduertat patiens, quod ita ſurſum trahendò per nares in ore ſemper detineat hauſtum aquæ, ne caputpurgium per colatorium in os irruat.Demum eodem tempore quo patiens ſyrupos capit, ueſperi cum uult dormire inungat ſibi cauitatem naſi intra duos oculos deſcendendo

do ſequenti inunctione Recip. ſucci pomorum dulcinm, olei uiolati, olei amigdalarum dulcium, butyri recentis, medullæ crurum uituli, ana Vnc. med. ceræ albæ quan. ſuff. & fiat unguentum molle.

Octauo uerò die ſuccedente poſt ſyrupos capiat infraſcriptam medicinam duabus horis ante lucem.

Recip. Diaſebeſten lenitiui. Vnc. i. electuarii de ſucco roſarum. drach. ii. & med. ſpecierum ieræ ſimpl. drachm. i. miſce, & fiat bolus cum zuccharo. Sumpta medicina quieſcat patiens per quattuor dies, in quibus de mane ieiuno ſtomacho, ſollicitet ſequens caputpurgium.

Recip. ſucci pomorum dulcium, ſucci altheæ, ſucci maioranæ, ana Vnc. i. ſtoracis, ambræ, ana grana. iii. miſce, & ſurſum per nares trahatur calidum.

Quinto uerò iterato patiens purgetur, & in primis per ſex dies cõtinuos capiat ſequentem ſyrupum in diluculo.

Recip. ſyrupi de ſtæcade ſine ſpeciebus, ſyrupi de hyſſopo, oxymellis compoſiti, ana Vnc. med. aquarum ſaluiæ, betonicæ, bugloſſæ. ana. Vnc. i. miſce. His uerò diebus, quibus ſyrupos capit, conſulo ipſum uti ſequentibus remediis. Primum eſt, ut alternis diebus de mane utatur ſequenti clyſtere.

Recip. foliorum maluæ, uiolariæ, florum ſtæcados, betonicæ, ana manipulum unum, bulliant, & colentur, & de colatura Recip. lib. i. hyeræ logodionis. Vnc. i. olei rutæ. vnc. iii. zucchari rubei Vnc. i. & med. uitelli oui numero unũ, ſalis communis. drach. ii. miſce, & fiat clyſtere. Secundum remedium eſt, ut omni mane, quo non utitur clyſteri, fiant ſibi fortes frictiones ſurſum incipiendo à collo, uſque ad pedes deorſum trahendo.

Tertium remedium eſt, ut omni ueſperi cum uult dormire poſt cænam, abluat ſibi crura à genu infra, & brachia à cubitu infra cum ſequenti lotione calida.

Recip. florum chamæmeli, florum ſtæcados, maio-

ranæ, ſaluiæ, roris marini, betonicæ, pulegii, calamenti, ana manipulum unum, miſce, & fiat decoctio.

Quartum remedium eſt, ut omni mane utatur ſequenti caputpurgio calido, ſurſum per nares trahendo.

Recip. ſucci foliorum enulæ, ſucci maioranæ, ana. vnc. iii. caſtorei, nigellæ, ana drach. i. pulucrizentur puluerizanda, & miſceantur, & immediate poſt hoc caputpurgium quotidie factum ſurſum per nares trahat ſequẽtem liquorem calidum, Recip. lactis uaccini. Vnc. ii. ſtoracis puluerizatæ. drach. i. & med. miſce.

Quintum remedium eſt, ut omni ueſperi ungat ſibi cauitatem naſi, ut ſupra, cum dicto unguento.

Septimo uerò die ſuccedente poſt ſyrupos capiat ſequentem medicinam per duas horas ante lucem. Recip. diacatholiconis, diaſenæ lenitiui, ana Vnc. med. hyeræ logodionis drach. iii. miſce, & fiat bolus. Permeante uerò ueris tempore antequàm principium æſtatis ad nos accedat, conſulo, ut ſequentibus utatur remediis.

Primum remedium eſt, ut alternis diebus modo, & ordine ut ſupra, utatur ſequenti caputpurgio, prius uerò bene diluendo nares cum uino albo odorifero, & ſurſum per nares trahendo.

Reci. ambræ, ſtyracis, muſci, ana. gran. iii. diſſoluantur in aqua diſtillationis florum citrii, & ſurſum trahatur calida; poſt uerò ſurſum per nares trahat ſequentem liquorem. Recip. lactis. Vnc. ii. muſci. gran. iii. miſce.

Secundum remedium eſt, ut ſemel in decem diebus capiat in ingreſſu, lecti infraſcriptum bolum. Recip. turbith boni. drach. i. zinziberis uiridis. drachm. ii. zucchari roſati. drach. ii. & med. miſce.

Tertium remedium eſt, ut omni mane per duas horas ante cibum, capiat. drach. iii. infraſcriptæ mixturæ.

Recip. diagalangæ. vnc. II. diamuſci dulcis. vnc. I. zucchari roſati. vnc. I. & med. miſce, & fiat mixtura. &c.

Quartùm uerò Remedium eſt, ut ſemper inungat ſibi cauitatem naſi, modo, & ordine ut ſupra. &c.

Accedente uerò æſtatis tempore. Conſulo, ut patiens quieſcat ab operipus artis medicinæ, & regat ſe exercitio laudabili, & non ſuperfluo, & modeſtè cibetur, & modeſtiſſime bibat, & eius uinum ſit album, & mediocre, non immune ab aliqua aromaticitate. &c.

Accedente autumni tempore, iubeo, ut illius initio iteratò purgetur, & per ſeptem dies capiat in diluculo ſequẽtem ſyrupum.

Recip. oxymellis compoſiti, ſyrupi de endiuia, de hyſſopo, de praſſio, ana Vnc. med. aquarum betonicæ, ſaluiæ cichorii, ana Vnc.i.& med. miſce.

Octauo uerò die in medio noctis capiat ſequentes pillulas.

Recip. pillularum cocchiarum almanſoris, pillularum aurearum Nicolai, ana drac. med. fiant pillulæ numero. iii. cum ſyrupo uiolato. Euacuato uerò corpore, iubeo, ut alternis diebus, utatur ſequenti caputpurgio, prius cum uino albo odorifero naribus benè dilutis ut ſupra.

Recip. urinæ aſini. Vnc.ii. ſtyracis pulueri zatæ, drach.I. miſce. Poſtea ſurſum per nares trahatur lac cum muſco, ut ſupra.

Demum Conſulo, ut per autumnum, & hybernum tempus ſemel in ſeptimana apud diluculum capiat infraſcriptum bolum.

Recip. Terebintinæ lotæ cum aqua maioranæ. vnc. med. Turbit boni ſubtiliter puluerizati ſcropulũ unum miſce.

Permeante uero autumno, & hyberno tempore ſuccedente, conſulo, ut de remediis ſupradictis, modo iſto, modo illo utatur, ſecundum quòd ei uidebitur, quoniam & omnibus temporibus conuenientiſſima ſunt. &c.

Vbi uerò patiens his non curetur, conſulo, ut fiat ei hoc ſublime remedium, & eſt curere loca, quæ ſunt poſt

aures

aures, & diu tenere aperta, ſcilicet per ſex, uel octo menſes. Eo etiam tempore non prætermittat D. S. exercitare remedia, quæ iam ſcripta ſupra ſunt, quæ etiam hyberno conueniunt tempore, & bene ſperet, quoniam hæc remedio Deo fauente complementum curationis conducent, & ſperatum finem patiens breui adipiſcetur, ad illius gloriam, qui noſtra corpora gubernat, & direxit mentem meam ad hæc remedia apud me ſalubriora forte, quam potus decoctionis ligni ſancti, uel aquæ Thermarum naturalium, quæ tamen a nobis in alio Conſilio non fuere neglectæ. & cet.

FINIS.

2892265

REGISTRVM

* A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V
X Y Z AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL
MM NN OO PP QQ RR SS TT VV XX YY ZZ
AAA BBB CCC DDD EEE FFF GGG HHH III
KKK LLL MMM NNN OOO PPP QQQ RRR
SSS TTT VVV XXX YYY ZZZ AAAa BBBb
CCCc DDDd EEEe FFFf GGGg HHHh IIIi
KKKk LLLl MMMm NNNn

Oēs ſunt duerniones, præter * & NNNn qui eſt ternio.



Venetiis, in officina Eraſmiana, apud Vincentium
Valgriſium. M D L I.

* A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V
X Y Z AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL
MM NN OO PP QQ RR SS TT VV XX YY ZZ
AAA BBB CCC DDD EEE FFF GGG HHH III
KKK LLL MMM NNN OOO PPP QQQ RRR
SSS TTT VVV XXX YYY ZZZ AAAa BBBb
CCCc DDDd EEEe FFFf GGGg HHHh IIIi
KKKk LLLl MMMm NNNn

Oēs ſunt duerniones, præter * & N N N n qui ternio.



Venetiis, in officina Erasmiana, apud Vincentium
Valgriſium. M D L I.

Digitized by G

Dig[illegible]

Digitized by Google

10701
РНП / СТОЕ